UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

(auctore Joh. Wernero Herzog.)

Digitized by Google

ATHENAE RAURICAE.

SIVE

CATALOGUS PROFESSORUM ACADEMIAE BASILIENSIS

AB A. MCCCCLX. AD A. MDCCLXXVIII.

CUM BREVI SINGULORUM

BIOGRAPHIA.

ADIECTA EST RECENSIO

OMNIUM EIUSDEM ACADEMIAE

RECTORUM.



BASILIAE.

Sumtibus CAR. AUG. SERINI, Bibliopolae.
ANNO MDCCLXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROFESSORES THEOLOGIÆ.

I. Casparus Maner, vir præclara eruditione, judicio ſubtili atque auctoritate magna, qui jam Concilio Baſil. interfuiſſe perhibetur, cujas fuerit, quando, quibusque parentibus natus, non conſtat. Fuit Theologiæ Magiſter ſ. Doctor, ejuſdemque ſub ipſis Academiæ Baſil. auſpiciis, i. e. A. 1460. Profeſſor. Ordinis erat Prædicatorum ſeu Dominicanorum. Theologia nempe erat auguſtiniana, hinc B. Auguſtini imago matriculæ Theol. eſt præfixa, & ordo Dominicanorum, Auguſtini regulas ſecutus, primum dedit Theologiæ Profeſſorem, itemque Decanum primum Theol., eundem Caſparum Maner, qui d. 18. Oct. 1462. primum, & poſtea tribus adhuc vicibus, ab ordine ſuo Decanus fuit electus. Functus eſt munere Profeſſoris publico ſumma cum laude uſque ad annum 1474., quo d. 29. Nov. fato fuerat defunctus.

II. Johannes Creutzer probatæ vitæ & doctrinæ, interque primos fuiſſe dicitur, qui in ſuperiori Germania, miſſis hominum commentis, decreta Dei auditoribus annuntiabant. Ortus erat ex Gebweiler, Alſatiæ oppido; A. L. M. fuit Erfordienſis, Theologiæ Baccalaureus Heidelbergenſis & Canonicus atque Prædicator eccleſiæ cathedr. Baſilienſis, nec non Doctor Juris Canon. Baſileæ S. Paginæ Profeſſorem publicum egit a. 1462., quo cum Caſparo Maner & Wilhelmo Textoris theologicam facultatem repræſentavit. Decanatum philoſophicum adminiſtravit primus a. 1460. & Rectoratum acad. a. 1461. ob. Dominicanorum Decanus Colmariæ.

Scripſit tractatum de illuſtribus Ordinis ſui Viris, qui in Bibliotheca Baſ. inter Mſt. adſervatur: itemque expoſitionem orationis dominicæ ac de ſeptem pietatis operationibus.

III. Wilhelmus Textoris, Artium & S. Paginæ itemque Linguæ Hebrææ Profeſſor, natus eſt Aquiſgrani. Theologicam Profeſſionem primum adminiſtravit in aca-

Digitized by Google

demia Erfordienſi; unde Baſiliam ſeſe contulit, ubi eandem profeſſionem obtinuit a. 1462., eodemque anno die 4. Oct. primus magiſtralia, i. e. doctoralia, inſignia in Theologia accepit. Decanatum theol. geſſit a. 1469. ſed a. 1472. d. 6. Jun. in plena congregatione Decanatum, Facultatem & Regentiam reſignavit, quæ reſignatio, quod ipſe eſſet ſingulari rei literariæ ornamento ægre quidem, tandem tamen, quia flecti noluit, acceptata eſt. Rectoris munus ſubiit bina vice a. 1463. & 1467. Canonicus quoque exſtitit B. Virginis Baſileæ. Eum a. 1500. adhuc vixiſſe reperitur, quando vero mortem obierit, notatum non invenimus.

Scripſit librum de paſſione Domini. Itinerarium terræ ſanctæ. Sermonem de cœna Domini.

IV. Henricus Noldt ſ. Noll, ſtudiorum fundamenta jecit, & ſummos in Philoſophia itemque primos in Theologia honores accepit in alma academia Colonienſi. Baſileam veniens in ordinem Prædicatorum ſuſceptus & a. 1469. publicus lectionis biblicæ Profeſſor fuit conſtitutus; poſtea d. 23. Sept. 1470. Licentiatus, & d. 16. Jan. 1471. Theologiæ Doctor publice renunciatus, hocque nomine eodem anno circa feſtum purificationis Virginis B. in Facultatem theol. fuit adſumtus. Obiit diem Ordinis ſui Decanus II. Decembri 1473.

V. Johannes de Grüningen Artium liber. & S. Paginæ Profeſſor, d. 14. Febr. 1473. per patentes literas, (verba ſunt matriculæ Theol.) Facultati certificavit, quod in Colonienſi Vniverſitate rigoroſe ad magiſterium in theologica facultate promotus fuerit; ideoque venerabilis iſte vir, præſtitis tamen præſtandis, eodem die in conſortium Magiſtrorum Theol. Baſ. fuit adſcitus.

VI. Johannes Syber de Wangen, A. L. M. S. Theol. Doct. & Profeſſor, itemque Canonicus Petrinus, vir fuit & ingenio & ſolertia ſingulari. Licentiam in Theologia obtinuit d. 6. Apr. 1473., ipſum autem in eadem Doctoratum d. 25. Jan. 1474. In Facultatem Theol. receptus fuit d. 31. Jan. 1474. poſtquam jam d. 23. Oct. 1465. ad lectionem Biblicam, ſ. publicam Scripturæ S. interpretationem fuiſſet admiſſus. Ejus opera plurimum

&

Digitized by Google

& usa & delectata videtur academia. Decanatum enim Philosophicum bis a. 1462. & 1472. Decanatum Theologicum octies, & Rectoratum acad. ter, a. 1470. 1482. & 1487. obiisse legitur. Obiit Decanus a. 1502. Legavit Facultati Theol. Bas. 20. florenos Rhenenses, ex quorum censibus annuatim nonnulla erant distribuenda; hos quidem Facultas a. 1505. a Ven. Domino Bernhardo Müller, Canonico & Cantore S. Petri Bas. accepit, sed, cum ei conditiones essent molestiores, a. 1508. eidem restituit.

VII. Henricus Riedtmüller, Theol. Doct. & Prof. natus est Lucisvalli, oppido agri Basil. Ab ineunte ætate studiis, inprimis Theologiæ, animum adplicans, eorundem commodius & felicius tractandorum gratia ordinem sibi sumsit Augustinianorum, cujus etiam Prior exstitit. Ut multa eruditione erat clarus, ita meruit, ut d. 20. Dec. 1474. Licentiatus, & d. 24. Jan. 1475. Doctor Theologiæ publice renunciaretur, cum pridie, pro more, vesperiatus esset. (Vesperiarum loco a. 1551. instituta fuit Disputatio publica, in qua, Præside adhibito quidem Professore, sed non defendente, nisi urgens postulet necessitas, disputator objectionibus omnibus ipse per se satisfacere debuit.) In Consortium Facultatis Theol. Riedtmüllerus Doctor atque Professor receptus fuit d. 27. Jan. 1475. & Decanatum Theol. bis administravit, a. 1475. & 1477., vitam cum morte commutavit d. 24. Apr. 1478.

VIII. Johannes Geyler, dictus Keisersbergensis, S. Theol. Doct. & Prof., Rhenano judice, Pericle eloquentior, Socrate continentior, Numaque religiosior, ortus est Schafhusiæ d. 16. Mart. 1445. patre Joh. Geilero, notario publico Amersvillano, matre autem Anna Zubera. Amisso patre cum vix trimatum implesset, a proavo suo, cive Cæsaremontano, receptus est educandus, cujus beneficio ac cura, post prima literarum tyrocinia ad Friburgense gymnasium missus, liberalibus artibus vacavit, magisteriique laurea, exigentibus hoc studiis suis, est coronatus, quod factum a. 1463. ex quo tempore publice lectiones habuit philosophicas, itemque a. 1469. Decanatum gessit philosophicum. Exinde mox sese sacris initiari curavit. Et cum sacerdotem nil magis deceat, quam

ſacrarum peritia literarum, ne myſteriorum inſcius a plebeio nihil differat, Baſileam venit a. 1471. quo ad Facultatem Artium itemque ad Facultatem Theol. receptus & admiſſus eſt ad lecturam Bibl., adſignatuſque ei fuit liber Deuteronomii & Apocalypſeos, pro magiſtro ipſi deputato M. Henrico Noldt; a. 1472. admiſſus fuit ad lecturam primi ſententiarum libri, n. Lombardi, qui agit de Deo ejusque eſſentia; anno ſequenti ad ſecundi atque tertii, denique ad quarti libri ſententiarum lecturam. A. 1474. Decanus fuit Artium, eodemque anno vocatur in matricula Theol. Baccalaureus in ſacra Theologia; tandem a. 1475. ſolennitatibus debitis, inſigniis doctoralibus in facultate theologica inſignitus & mox poſtea in conſortium Theologorum fuit receptus, quo nomine publice Theologiam docendi facultatem obtinuit, poſtquam per quinquennium fere literis ſacris gnaviter incubuiſſet. *Utinam atque utinam*, ſcribit Beatus Rhenanus in vita Geyleri, (quam a. 1510. elegantiſſime conſcriptam Argent. edidit.) *utinam noſtro aevo ſacerdotes nonnulli literis operam navarent, ne divinarum & humanarum juxtà ignari, aſino apud Gabriam mythologum ſacra deferenti, eamque ob rem a prætereuntibus honore adfecto, perſimiles exiſterent. Sed quid Æthiopem lavo?* Cum jam Geylerus, novellus doctor theologiæ conſultiſſimus haberetur, & eſſet, Friburgum eſt accitus, ubi viri probitas antea omnibus erat cognita, atque chriſtianarum literarum publicus interpres conſtitutus. Itaque d. 7. Maji 1476. a Baſilienſibus dimiſſionem petiit & obtinuit; Friburgum profectus profeſſionem theol. ſub ſexaginta florenorum ſtipendio annuo auſpicatus eſt. Vix autem anno elapſo Herbipolim concionator vocatur, promiſſis ducentis annuatim aureis, donec ſacerdotio opulentiori dotaretur. Sed dum Baſileam pro advehendis, quos illic reliquerat, libris petit, a Petro Schotto Argentoratenſi ſenatore, viro tam gravi quam prudenti, rogatus eſt enixe admodum, ut ſi uſpiam dominici verbi enarrandi provinciam ſubire vellet, Argentorati id ageret, ſe daturum operam, ne digna laborum mercede careret; adſeveravitque porro Schottus, cum patriæ ſecundum parentes omnia debeamus, eo illud maxime faciendum eſſe loco, qui Alſatiæ ſit caput; ut enim Keiſersberga, ubi educatus, ita & Scaphuſium, ubi natus erat Geylerus, tum ad Alſatiam pertinebat. Promiſit Geylerus, & Schottus ſupra quingentos aureos, ut ſacerdotium

Digitized by Google

dotium Geylero Argentorati a ſacrorum Antiſtite obtineret, impendiſſe legitur. Jam Geylerus concionator conſtitutus non minus exemplo quam doctrina populum ſibi creditum annis 33. fideliter docuit, nemini unquam adulatus. Quin primores eccleſiaſticos, qui dignitatibus magnisque plurium ſacerdotiorum cenſibus pollent, ſed his abutuntur, aut meretriculas foventes, aut ventrem pro Deo ſtatuentes, graviter inſectabatur. Etiam virgines Veſtales, quas Pœnitentes vocant, cum luxu & deliciis diffluerent, ſub arctiorem vivendi regulam redegit. Quoties declamaturus erat, dicenda prius ad verbum domi ſcribebat, hoc enim, rite perpenſa loqui, de honore Dei atque ſalute auditorum eſſe haud immerito putavit. Bibliothecam habuit omnis generis librorum refertiſſimam, quam ad ſucceſſores tranſire pientiſſime voluit. Pauperes maxima ſemper liberalitate fovit. Neminem unquam ſine munere paſſus eſt abire, quicquid enim ex ſacerdotii cenſu ultra vitæ neceſſaria ſupererat, id omne in uſum pauperum erogabat. Hoſpitalitatem quoque in peregre advectos ſimili ſtudio exercuit. Eruditos ac probitate conſpicuos vehementer dilexit, & inter hos maxime Jac. Wimphelingium Seleſtatinum. Thomam Wolfium juniorem muneribus eſt ſæpiuscule proſequutus. Sebaſtianum Brandium, Jureconſultum, Baſileæ degentem, Argentoratum promovit. Ob ſummam eruditionem cum vitæ ſanctimonia copulatam, ab invictiſſimo Imp. Cæſare Maximiliano benevolentia haud vulgari dilectus eſt; hunc interdum ad ſe accerſire, accerſitum non tam comiter quam familiariter compellare ſolitus erat Imperator: hujus etiam in magnis rebus conſilium non parvi æſtimabat. Sacratiſſimo Cæſari præcepta quædam collegit, ad quæ ſe rex componere debeat, ut ſuis utilitatem, ſibi vero gloriam pariat. Cetera fuit Geylerus ſtatura procera, capillo criſpo, facie macilenta, ac corpore gracili, ſed ſalubri, & renum dolore excepto, nullis ægritudinibus obnoxio. Morbo denique fatali correptus nihil conſternatus diſſolvi cupiit & eſſe cum Chriſto. Augeſcente tandem ob tumorem ægritudine, membraque vitalia ſenſim enecante, naturæ conceſſit d. 10. Martii a. 1510. totius Alſatiæ lacrymis defletus. Libros ſcripſit plurimos, quorum plerique typis editi proſtant, alii vero paſſim in Bibliothecis manuſcripti adhuc reconditi delitescunt. Eo-

Digitized by Google

rum catalogus inquiri poteſt in *Amœnit. liter. Friburgenſibus.* F. I. p. 71. &c.

IX. MICHAEL WILDEGK, Müllhuſinus, A. L. M. & S. Theol. Doct., Canonicus atque Prædicator fuit eccleſiæ cathedr. Baſileæ, ubi publice Theologiæ Doctor fuit creatus d. 15. Nov. 1491., ſimulque Theologiæ egit Profeſſorem. Decanatum Theol. 3. Philoſophicum 5. & Rectoratum academicum 2. vicibus cum laude ſuſtinuit. Plura de eo deſiderantur.

X. MAURITIUS FINIGER, ſ. Fininger, de Pappenheim, Auguſtinianus, varios Baſileæ ob præclaram, qua pollebat, eruditionem honorum gradus fuit adeptus, & quidem a. 1499. receptus eſt ad facultatem Theologorum & poſt publicam reſponſionem ad lecturam Bibl. admiſſus, in V. T. ad legendum Oſeam prophetam, in Novo autem epiſtolas Petri apoſtoli; a. 1501. obtinuit in Theologia Licentiam, eodem anno d. 12. Oct. per Magiſtrum ipſi adjunctum, ſpectabilem ordinis Decanum, Joh. Siberum, veſpereatus & ſequenti die ab eodem doctorali diademate coronatus fuit. Profeſſoris Theol. ordinarii munus tum obtinuit, & a. 1503., mortuis omnibus ejus collegis, ordinem Theol. ſolus ſuſtinuit. Decanatu functus eſt quinquies, & quidem ultima vice a. 1520.

XI. LADISLAUS VLRICHER ſ. Vlrich, de Valdenſa, Baſileæ d. 23. Jan. 1504. ſupremum in Theologia gradum, promotore Mauritio Finigero, adſecutus eſt; poſtquam Theologiæ Licentiatus in Vniverſitate Colonienſi rite fuiſſet formatus, prout id Facultati Theol. Baſ. per patentes literas certificavit; ad gradum doctoris philoſophiæ itidem apud exteros fuerat promotus. „ Facultas Theol. „ magnam ob ipſius paupertatem cum eo habuit patien„ tiam, quem proin ſpeciali decreto obligavit, procu„ rare bonum Facultatis, & orare Dominum pro ſuo „ præceptore. " Profeſſor exſtitit Theologiæ ſub annum 1504. & Decanatum Theol. ultima vice ſuſtinuit a. 1506. poſtea cum ſcandalo a Baſilea receſſit, ut refert matricula.

XII. JOHANNES DIECK Baſileæ artium Magiſter creatur a. 1466. M. Joh. de Gengenbach Philoſophorum Decano, ubi, nempe in matricula philoſophica, ut videtur, a pa-

Digitized by Google

a patria, Joh. Dieck de Rütlingen vocatur. Theologiæ Licentiatus designatur d. 14. Jun. 1482. Professionem Theol. administrasse creditur a. 1504. certe dicto hoc anno cum Ladislao Vlricher S. Theol. Doct. ejusdemque Professore ordinario, ordinisque sacri Decano, Johannem Gebwilerum rigorose examinasse & ad Licentiam Theol. gratiose & benigne admisisse in matricula Theologorum perhibetur. Ordini etiam philosophico Decanus præfuit a. 1471.

XIII. JOHANNES GEBWILER, alias Sellatoris, Sattler, Colmarienſis, Plebanus in Turken, Basileam veniens Facultatis Theol. Doctores testimoniis fecit certiores, quod artium liber. Magister & S. Paginæ Licentiatus formatus sit Friburgi, & Magistrorum suorum consensu huc iter suum direxerit, quod factum a. 1504. dein a. 1507. idem, ut in matricula vocatur, venerabilis artium liber. Magister Johannes Sellatoris Gewiler solenniter principiavit in N. T, & eodem anno d. 22. Nov. per M. Mauritium Finiger solenniter fuit Theologiæ Doctor promotus. Fuit & Canonicus Ecclesiæ cathedr. Professioni Theol. præfuit sub an. 1507. Ordini Theologico Professor adscriptus Decanatum ordinis sui aliquoties gessit. A. 1526. Senatus atque Civitas Biennensis ei pastoris sui primarii obtulit munus, quod & accepit; sed is Biennensibus meliora a Wittenbachio edoctis non adrisit, & dimissionem obtinuit.

XIV. THOMAS WITTENBACH, a patria vulgo dictus Suicerus, A. L. M. S. Theol. Doct. & Professor, natus est Biennæ Helvetiorum a. 1472. ex antiqua atque nobili familia. Patrem coluit Ulmannum Wittenbach, Consulem Biennensem. Prima studiorum fundamenta jecit Biennæ, in quibus quo magis proficeret, Tubingam se contulit; dein a. 1505. Basileam petiit, & in omni disciplinarum genere, præcipue vero in Theologia, sese diligenter exercuit. S. Paginæ Baccalaureus jam Tubingæ fuerat creatus, Basileæ vero exhibitis promotionis suae testimoniis & præstito juramento in facultatem theologicam receptus & ad primum librum Sententiarum admissus, insuperque gratis fuit habitus, quia unde daret non habuit, se, cum pinguior fortuna ipsi adriserit, totum daturum pollicitus. Quamvis ergo, ut Juvenalis ait,

haud facile emergant, quorum virtutibus obſtat res angusta domi, exceptionem hic merito eſſe faciendam præter alios complures & noſter docet ſuo exemplo Wittenbachius; virtus in adverſis patet non ſecundis, eaque eo major eſt atque laudabilior, quo plures, quibuſcum conflictandum erat, habuit adverſarios; quin eximium iſtum Virum debitum ſuum cum fœnore ſolviſſe cenſendum, quod non ſolum literis elegantioribus ſed præſertim puriore doctrina evangelica & exteros & cives noſtros imbuerit plurimos, in quibus præcipue nominandi Leo Judæ atque Zuinglius, qui eo hic Baſileæ præceptore fuerant uſi; & inprimis notandum, ipſum Zuinglium alicubi fateri, ſe a præceptore ſuo, Thoma Wittenbachio, Theologiæ Profeſſore Baſilienſi, didiciſſe: *ſolam mortem Chriſti eſſe* λυτρον *pro peccatis*, *Indulgentias Papæ figmentum eſſe*. Sed Wittenbachius civibus ſuis Evangelium prædicaturus a. 1522. Baſileam relinquens Biennam conceſſit, ibique ſtatim paſtoris munus ad S. Benedicti ſubiit. Sacrorum Reformationem omni ſtudio in civitate patria efficere laboravit atque promovere, quod & ipſi proſpere ceſſit, licet ipſi gravia impedimenta, quae vero ſingula bono cum Deo ſuperavit, fuerint objecta. Denique cum Deo atque eccleſiæ fidum ſe ſervum præbuiſſet, multisque doctrina atque exemplo profuiſſet, in cœlis mercedem obtinuit a. 1526. quo per mortem ad vitam tranſiit perennem atque beatam.

XV. Ludovicus Berus ſ. Bærus, lat. Vrſus, Baſilienſis, vir erat, quod vel ſolum ipſum commendaret, magno Eraſmo cariſſimus, ut qui eo uſus eſt familiariſſime, & in cujus gremium quicquid habebat, etiam in ſecretiori receſſu, effundere non dubitavit; ſummo loco Berum iſtum ab Eraſmo fuiſſe habitum, hujus ad illum variæ teſtantur epiſtolæ editæ, in quarum una ipſum theologum abſolutiſſimum, patronum & amicum incomparabilem vocavit. Ad eum & hancce epiſtolam, cujus autographum in Bibliotheca Baſil. publica ſervatur, dedit: *S. Amice incomparabilis, mitto ad te primam manum nugamenti de* libero arbitrio. *Hic perdidi dies quinque non ſine magno tædio. Sciebam me non verſari in mea harena. Rogo dignere inſpicere & indicare, ubi a toto ſcopo aberrarim. Nolim tamen hoc ad alios permanare. Bene vale.* Eraſmus etiam in teſtamento Bero horologium ſuum

ſuum aureum in ſignum amicitiæ legavit. Natus eſt autem Berus Baſileæ circa finem Sec. XV. patre Joh. Bero, ſenatore, qui a. 1515. in prælio Marignanenſi ſignifer occubuit; matre, Nic. Grünenzweigii, prætoris Badenſis, filia. Ab his puer adhuc Pariſios miſſus eſt, ibique tam diligenter ſtudia philoſophica ac theologica tractavit, ut in eadem academia Pariſienſi Philoſophiæ itemque Theologiæ Doctor fuerit promotus, & quidem inter commilitones primus, quod ibi loci vix unquam contigit Germano. In collegium Theologorum Baſilienſium receptus & publice docendi facultate fuit inſtructus a. 1513. Canonicus atque Præpoſitus fuit etiam Collegii S. Petri Baſil., & in Academia Rectoratum iterum, Theologicæ vero Facultatis Decanatum ſæpius geſſit, ſingulaque ſua munera eximia modeſtia atque pietate exornavit. In diſputatione Badenſi a. 1526. inſtituta, una cum Barnaba Abbate Engelbergenſi, Jacobo Stapfero, Equite, ex S. Galli, ut & Johanne Honeckero, Prætore Bremgardenſi, præſidem egit a parte Pontificiorum, atque omnium ora in ſe convertit. Licet autem Berus, in ſcholaſtica Theologia verſatiſſimus, in multis capitibus cum Eraſmo reformationem deſideraverit, & communem cum illo circa Lutheri molimina foverit ſententiam: *optimam cauſam ab ipſo non optime agi*, tamen, utut Reformationis bonam cauſam agnovit, tumultus vel alia metuens, ipſe, cum Baſileæ Reformatio Eccleſiæ ſucceſſit a. 1529. cum aliis Canonicis, ut & Henrico Glareano & Eraſmo Roter., nemine urgente, Friburgum Briſgoiæ ſeceſſit, ubi ſenex extremam fati clauſit horam d. 14. Apr. 1554.

Scripſit librum *de præparatione ad mortem.* Baſ. 1551. 8. *Commentarium in aliquot Pſalmos*, ib. itemque in Quæſtionem: *an tempore peſtis fugere liceat?* ib.

XVI. MATTHIAS SAMBUCELLUS, (Hœlderlin) A. L. M. patria Sulgenſis, Baſileæ literis elegantioribus operam navavit ita diligentem, ut a. 1491. ſummum in Philoſophia gradum mereretur. Studio dehinc Theologico ſe addixit, & in eo tantum profecit, ut d. 6. Sept. 1513. Doctor Theologiæ crearetur; circa quæ tempora ei & Profeſſio Theol. fuit demandata. Eodem anno 1513. Rectoratum Acad. itemque a. 1516. Decanatum Theol. cum laude ſuſtinuit, quo poſteriori anno fato conceſſit.

XVII. Wolfgangus Fabricius Capito, germ. *Wolf Kœpflein*, vir ſummi ingenii atque judicii, qui in Reformationis opere quoad ætatem vel ipſi Luthero eſt præferendus, ut patet ex ejus epiſtola ad Bullingerum, in qua ita ſcribit: *Antequam Lutherus in lucem emerſerat, Zuinglius & ego inter nos communicavimus de Pontifice dejiciendo, etiam dum ille vitam degeret in Eremitorio*, natus eſt Hagenoæ, Alſatiæ oppido, a. 1478. patre ſenatore, matre *Agnete*, fœmina nobili. Primis literarum elementis imbutus Baſileam ſe contulit, ubi artium liberalium & linguarum ſtudia egregie & ſolide fuit proſecutus. Sublimiora ſpirans ad ſtudium theologicum eſt progreſſus, a quo tamen eum pater, hypocriſin clericorum ſui temporis indigne ferens, ad Medicinam transtulit, in qua eos fecit progreſſus, ut a. 1498. Friburgi ſummis in ea arte honoribus doctoralibus fuerit ornatus. Defuncto patre ad priſtina ſtudia, incitante genio & pietatis affectu, reverſus in iis quoque ſupremum gradum obtinuit. Quin etiam ſtudium Juris adgreſſus, per quadriennium felix *Zaſii* auditor exſtitit, & Juris denique Doctor fuit renunciatus. Licet autem rariſſimo exemplo trium facultatum ſuperiorum fuerit Doctor, tamen Theologiæ maxime ſe conſecravit, ſeque in ea tam de ſuggeſtu eccleſiaſtico quam de cathedra academica frequenter docendo ſedulus exercuit. Bruchſellam mox, ut concionatoris munus obiret, vocatus per triennium illi muneri vacavit, cumque ſæpius ob Epiſcopi ſui negotia Heidelberga ipſi eſſet petenda, a. 1513. in Joh. Oecolampadium ibi tum degentem incidit, & cum eo amicitiam contraxit, quam ad dies vitæ conſtanter coluit. Hinc, Bruchſalio nempe, Baſileam accerſitus, tertio etiam nuncio morem geſſit, & in eccleſia, quæ in Summo Templo congregatur, aliquot annis divinum verbum prædicavit, itemque in Academia Profeſſoris Theologiæ munus obivit, quod inter alia confirmant carmina Auditorio Theologico inſcripta, quæ hæc ſunt:

Hos habuit, pulſo felix *Baſilea* Papatu,
Præcones Verbi, Lector amice! ſacri.
Lucem Evangelii primis accenderat annis
Wolfgangus Capito, quem capit aula poli.
Oecolampadius ſucceſſit ut ignea lampas,
Fulſit & in Chriſti ſplendidiore domo.

Hunc

Hunc excepiſti venerande *Oſwalde Myconi*,
Sulcerusque tuum mox quoque trivit iter.
Poſthac *Jacobus Grynæus* gramine verbi
Salvifico Chriſti paſcit & auget oves.

Nec non Capitonem ordinarium Theologiæ Profeſſorem Baſileæ fuiſſe ipſa Theologorum matricula docet, quæ ipſum Caſparum Hedionem atque Johannem Oecolampadium, ſuos poſtea in opere Domini peragendo fidos adminiſtros, pro Licentia in Theologia examinaſſe, huncque a. 1516. publice Theologiæ Doctorem renunciaſſe perhibet. A. 1520. a Cardinali atque Archiepiſcopo Moguntino, Alberto, ad conſiliarii, concionatoris atque Cancellarii munus obeundum fuit vocatus, quod eo libentius in ſe ſuſcepit, quod hac ratione etiam Moguntiæ Chriſtum profiteri liceret. Ibi & Juris Canonici Doctor fuit creatus, & poſtquam varias legationes cum laude obiiſſet, a. 1523. a Carolo V. Norimbergæ Nobilitatis inſignibus fuit honoratus. Jam a. 1521. Tezelio, illi Indulgentiarum nundinatori, fortiter ſe oppoſuit, non intermittens tamen Lutherum ſubmonere, ut in reformanda eccleſia moderatione utatur, vitiaque Prælatorum notare ſuperſedeat. Cum autem Capito ſe parum vel nihil ad eccleſiæ purgationem proficere poſſe videret, relicta a. 1523. Moguntia Argentoratum contendit, ibique templo D. Thomæ Præpoſitus fuit datus, quam ſpartam pro voto nactam totus exornare contendit, ipſoque facto exornavit, Deo ejus conatibus largiter benedicente, atque Martino Bucero, integerrimo ejus amico, in opere Domini promovendo adjutore ſtrenuiſſimo. Huc ad ipſum atque Bucerum Jac. Faber Stapulenſis & Gerardus Rufus, clam e Gallia profecti, cum ipſis de fidei articulis diſſeruerunt, miſſi a Margareta, Franciſci Regis ſorore, Navarræ Regina. Ita ut Evangelii initium Gallia ex parte Capitoni & Bucero debeat. Argentorato a. 1525. in patriam Hagenoam pro civium ſuorum deſiderio profectus ipſos in puriori Evangelii doctrina diligenter erudivit, & Palmarum feſto Cœnam S. ſecundum Chriſti inſtitutionem diſtribuit, Dominica quoque Paſchatis, magno hominum, tanquam ad rem inſolitam, concurſu infantem maſculum ſine ſale oleoque baptizavit. Ad Argentoratenſes reverſus concionibus atque conſiliis prodeſſe perrexit. A. 1528. Diſputationi Bernenſi, religionis

nis cauſa habitæ, interfuit, & cum Helvetiorum Theologis cauſam communem fecit; vir nempe erat minime contentioſus, qui e. g. de articulo de S. C. ita pronunciavit: *mittendas eſſe contentiones, & potius cogitandum de vero ejus uſu; fidem noſtram Pane & Vino Domini per memoriam carnis & ſanguinis illius paſcendam.* Denique a. 1541. ad Comitia in negotio religionis Ratisbonæ indicta & ipſe a Proteſtantibus ablegatus ſpecimina ingenii & judicii egregii edidit; ſed ut vidit, nihil certi ſtatui, domum reverſus eſt, ubi menſe Decembri a. 1541. æt. 63. peſte correptus pie obiit. Matrimonium repetitis vicibus contraxit; primum cum Agneta, fœmina litterata; ſecundum, illa defuncta, cum *Wibranda Roſenblatt*, Oecolampadii vidua, quæ ante Oecolampadium M. Ludov. Cellario & Capitone demortuo, D. Martino Bucero, viris quatuor celeberrimis, nupſerat, quæque Baſileæ d. 1. Nov. 1564. ad plures abiit.

Scripſit Capito varia Latine atque Germanice; *Inſtitutiones hebraicas*, 1518. *de formando a pueris Theologo*, 1517. *Exercitationes in Habacucum & Hoſeam*; explicationem in hexaëmeron, Arg. 1539. 8. *vitam Joh. Oecolampadii*, quæ præmiſſa eſt Commentario Oecolampadii in Ezechielem, quem Commentarium ipſe edidit Capito Argentinæ a. 1534. Epiſtola ejus ad Farellum exſtat in epiſtolis Calvini. Gen. 1576. p. 7. Exſtat in Mſ. Wolfg. Capito *von drey Straſsburger Pfaffen und den geäuſſerten Kirchengütern, daſs das lateiniſche Singen, Leſen, Meſs-Halten, Ehrung der Bilder, Anruffung der Heiligen, Fürbitte, S. Aurelien Grab und andere billig in der Kirche zu Strasburg abgethan ſeyn* 1525. 4. Commentarium in Hoſeam, Arg. 1528. 8. epiſtolam ad Zuinglium cum duabus epiſtolis, quibus illum concionatores Argentinenſes ad collationem Scripturarum provocarunt. Tig. 1526. 8. epiſtolam ad Zuinglium contra Fabrum Conſtantienſem, ſine anno & loco. 8.

XVIII. JOHANNES OECOLAMPADIUS (Hauſsſchein) Theologus incomparabilis, omni encomio major, de Baſilienſi Academia atque Eccleſia, quin univerſo Proteſtantium cœtu meritiſſimus, hanc lucem adſpexit Vinimontii, Cheruſcorum oppido a. 1482., parentibus haud infima fortuna utentibus, matre inprimis pia atque honeſta. Parentes optimi filium ex liberis unicum literarum ac religionis rudimentis pene lactentem imbuerunt, pauloque adultiorem pater mercaturæ, mater literis deſtinavit.

Digitized by Google

vit. Prævalentibus matris precibus puer prius Heilbrunnam, dein Heidelbergam missus, anno ætatis 14. summum in Philosophia honorem obtinuit. Bononiam dein concessit, juri operam daturus; sed mox varia expertus adversa, cœlo mutato, etiam studia mutavit, & jure humano relicto divinarum legum, sive Theologiæ, studio totum se consecravit. Heidelbergam se conferens præter literas humaniores & linguas eruditas cumprimis universam Theologiam indefessus tractavit. Mox pietatis ac eruditionis laude florere incipiens a Philippo Electore Palatino liberorum ephorus vocatus morem quidem gessit, sed brevi strepitus aulici pertæsus patriam repetiit, ubi pii parentes, ipso auctore, facultates suas omnes novo sacerdotio constituendo impenderunt, cui ille primus fuit præfectus. Sed sesquimense tantum elapso majoris acquirendæ eruditionis causa Tubingam, dein Stutgardiam atque Heidelbergam petiit, ubi a Capnione, s. Reuchlino, græcas, ab Hispano vero aliquo hebraicas literas exactius didicit, & cum Capitone arctissimam, ad vitæ usque finem protractam, amicitiam junxit. Linguarum sacrarum divinarumque rerum jam peritissimus ad suos reversus Christum ejusque Evangelium aliquatenus purgatum non sine fructu nec sine invidia prædicavit. Capito interim Basileæ sacris concionibus ut præesset vocatus omnem movit lapidem, ut amicum illuc pertraheret, effecitque, ut per Christophorum ab Vtenheim, Episcopum, illuc accerseretur, primique templi parœciæ præficeretur. Hæc vocatio Oecolampadio eo fuerat gratior, quia avorum altero Raurico sanguine fuerat ortus. Advenit itaque lætus, munusque novum bono cum Deo fuit adgressus a. 1515., quo eodem anno & Rectoris & Decani Theol. matriculæ nomen suum inferendum, seque in Facultatem Theol. recipi curavit. Exhibitis etiam tum consuetis speciminibus, amicorum frequentibus hortationibus compulsus, primum Licentiati, dein Doctoris Theologi titulum a. 1516. promotore D. Wolfg. Fabricio Capitone, in hac ipsa Academia admisit. Sub idem tempus, quum primum Erasmus, magnus ille linguæ latinæ restaurator & veterum Patrum repurgator, N. T. adnotationes editurus Basileam veniisset, ab eo Oecolampadius in partes sanctissimi laboris accitus fuit. Opera enim subsidiaria illius, non solum pietate, verum etiam trium linguarum peritia eminentis, adeoque veri Theologi se adjutum

jutum esse, ingenue ipsemet Erasmus fatetur. Paulo post Augustam Vindelicorum Noster, a Canonicis primi templi evocatus, ut concionibus ibi populum erudiret, Basilea discessit. Huic autem muneri non diu vacavit, & ejus gravitatem suamque imbecillitatem modeste adferens causam sese eo abdicavit, magis expedire ratus, in loco solitario studiis & precibus incumbere, quam tanti momenti officio non satisfacere. Puriorem itaque cum nondum ferrent doctrinam Vindelici, in monasterium vicinum, Altonis nominatum, laudeque pietatis commendatum ea lege secessit, ut libere inde exeundi haberet facultatem. Mores autem Monachorum cum famæ non responderent, & Oecolampadius sermonibus atque editis libris frustra laborasset eos corrigere, invidiam vitæque periculum sibi jam imminens, amicorum consilio admonitus quin adactus effugit, biennio fere ibi transacto, seseque primum contulit ad heroëm illum incomparabilem, Franciscum de Sickingen, apud quem missam repurgare cœpit, & ex Chrysostomo libros quosdam convertit. Cum autem nobilissimus heros ille, justitiæ, religioni, literisque provehendis addictissimus, infelici bello implicitus esset, Oecolampadius iterum Basileam concessit, idque a. 1522. ubi ab Andrea Cratandro, typographo, benigno hospitio fuit exceptus. A. 1524. exauctoratis, qui tum erant, Professoribus a Senatu Theologiæ Professor constituitur, quam provinciam sub stipendio 60. librarum prælectionibus in Esajam capessivit atque administravit. Anno huic præcedente, 1523., Antonio Zanckero, plebano Martiniano, podagra adfecto, Oecolampadius ab ipsis hujus templi curatoribus vicarius datus, & quinquennio absoluto, 70. libris salarii loco destinatis, in ejus locum fuit suffectus. Ita publica auctoritate, adprobante supremo Senatu, Minister ordinatus fideliter præstitit, quæ ejus erant officii, & licet dignitates atque Canonicatus ipsi offerrentur pinguissimi, maluit tamen, rogantibus auditoribus, exiguo licet stipendio usus, hic permanere, ea tamen sub conditione, ut liberum sibi esset docere, quicquid Canonicæ Scripturæ traderent, & repudiare, quicquid illæ damnarent; tum ut non cogeretur papisticas cerimonias, quas inutiles esse evinceret, retinere; hoc ipsi concesso, vernacula lingua baptizare, S. Cœnam sub utraque specie administrare, preces, lectiones atque exhortationes itidem sermone auditoribus noto habere cœpit, canti-

Digitized by Google

canticaque ſacra idiomate germano inſtituit, miſſam non eſſe ſacrificium pro vivis & mortuis, purgatorium eſſe figmentum, paſſionem & mortem Chriſti unicum & perfectum pro peccatis eſſe pretium docuit atque probavit; alias item pontificias ſuperſtitiones atque erroneas doctrinas adgreſſus eſt, atque paulatim abrogavit. Circa eadem tempora, a. 1526. Oecolampadii matre ex hydrope mortua, uxorem duxit viduam M. Lud. Cellarii, Wibrandam Roſenblatt, ex qua, quantum comperire licuit, tres liberos ſuſcepit: Euſebium, Irenen atque Alethæam. Hoc tempore diſputationi Badenſi & Bernenſi, colloquio Vlmenſi atque Marpurgenſi non ſine fructu ſed & non ſine periculo interfuit. Anno poſtmodum 1529. divina providentia ſic benigne volente, frendentibus quidem atque contraria omnia molientibus adverſariis, Oecolampadii præcipue ejuſque ſociorum, M. Wolfg. Weiſſenburgii in Xenodochio tum concionatoris, Marci Berſii concionatoris ad Leonhardi, Joh. Lüthardi prædicatoris apud Franciſcanos & Thomæ Geierfalkii Auguſtiniani, ſido miniſterio ſacris noſtris feliciter reformatis a ſummo Magiſtratu Oecolampadius Paſtor ſummi templi atque eccleſiarum Baſilienſium Antiſtes atque Archidecanus fuit conſtitutus. His ita feliciter confectis, mox Oecolampadius a Deo Brabeuta fidelis ſui laboris præclaram adeptus eſt mercedem. Anthrace nempe in oſſe ſacro exorto præmatura morte, ſi quod maturo Dei conſilio contingit ita licet vocare, calendis Decembris 1531. ætatis ſuæ 49. in Domino occubuit, præſentibus decem fratribus, quos toto morbi ſpatio fere continuo ſibi habuit præſentes, & in iis Simone Grynæo, viro ſummo, qui non ſolum extremum illius halitum legit atque amici oculos clauſit, ſed & ſingulas morbi circumſtantias Defunctique orationes diligenter notatas luci publicæ dedit, & quidem a fronte commentarii, quem Oecolampadius ſcripſit in Ezechielem.

Scripta ejus ſunt: De ritu paſchali, Baſ. 1518. 4. Thalaſſii hecatontades 4. ex græco in latinum, Aug. 1520. Parad. quod non ſit oneroſa Chriſtianis confeſſio. lat. & germ. ib. 1521. 4. concio de ſacramento euchariſtiæ, germ. ib. eod. ſermones de gaudio reſurrectionis & myſterio tridui, Baſileæ 1521. 4. epiſt. ad Hedionem de lectione in miſſa vernac. ſerm. promulganda, Ebernb. 1522. 8. textus libri Geneſeos ſecundum 70. interpretes, ib. 1523. ſermo de non habendo pauperum

perum delectu, ib. eod. 4. de paſſione Domini, de venerando & laudando Deo in Maria, de invocatione Divorum contra Fabrum, ib. eod. 4. enchiridion græcæ literaturæ, ib. eod 8. de erogatione eleemoſynarum, eod. idem germ. per D. Conr. Peutinger, Baſ. 1524. 8. epiſtola ad Wolfg. Capitonem 1523. in Füslini Ep. Reform. Cent. I. n. 4. Demegoriæ, i. e. conciones 21. in ep. Johannis I. Neoc. 1524. Baſ. 1524. it. germ. per Caſp. Hedionem translatæ, Baſ. 1525. Theophylacti in 4. Evangelia enarrationes ex græco in latinum verſæ, Baſ. 1525. genuina verborum Domini: *hoc eſt corpus meum*, juxta vetuſtiſſimos auctores expoſitio, Baſ. 1525. 8. & germ. per Lud. Hætzer, 1526. 8. Commentariorum in Eſajam l. 5. Baſ. 1525. 4. Col. 1525. 4. Baſ. 1548. 4. Eleborum pro Jac. Latomo, Baſ. 1525. Annotationes in epiſtolam ad Romanos, ib. eod. 8. Theophylacti commentarii in 4. Evangelia, Oecol. interprete, ib. eod. fol. epiſtola ad fratres per Sueviam Chriſtum annunciantes, ib. eod. Apologetica de dignitate Euchariſtiæ, ſermones 2. ad Theod. Billicanum, quinam in verbis cœnæ alienum ſenſum inferant &c. Antiſyngramma ad eccleſiaſtas Suevos, hæc tria juncta, Tig. 1526. 8. ad B. Pirckhaimer epiſtolæ & reſponſio de re euchariſtica, Tig. eod. & Baſ. 1527. 8. Sermones in verba Thomæ: *Dominus meus & Deus meus.* Tig. 1526. 8. reſponſio ad falſum ſenſum a Luthero tributum verbis: *hoc eſt corpus meum*, germ. ib. 1527. 4. explicatio capitis I. Ezechielis de officio magiſtratus & ſubditorum, germ. ib. eod. Threni Jer. germ. Baſ. 1527. & 1545. 8. annotationes in poſtremos 3. prophetas, Hagg. Zach. & Mal. ib eod. & Gen. 1578. it. germ. repulſio apologiæ ſacrificii euchariſtiæ, quam Abr. Pelargus Dominis ſenatus obtulit, ib. 1528. epiſtola ad fratres agri Baſ. 1528. 8. forma baptiſmum & S. cœnam adminiſtrandi, ægrotos conſolandi, germ. 8. Oecolampadii & Zuinglii 2. reſponſiones ad D. Mart. Lutheri librum, *Bekanntnus*, dictum, germ. Tig. eod 8. Epitaphia Joh. Oecol. & Zuinglii autoribus variis facta, Baſ. 8. concio de amore Dei erga eccleſiam, germ. ib. eod. 8. Cyrilli opera latina Joh. Oecolamp. & Georg. Trapezunt. interpretibus, 3. T. Baſ. 1528. fol. græcæ literaturæ dragmata ſ. enchiridion, Baſ. 1521. commentariorum in Danielem l. 2. Baſ. 1530. 4. cum exegem. in Jobum, Gen. 1567. fol. confeſſio fidei eccleſiæ Baſil. in Mſt. a. 1530. in comitiis auguſtanis exhibita, & a. 1534. a Myconio auctoritate Magiſtratus edita, germ. fol. cum gloſſis marg. Dialogus quid de euchariſtia veteres græci & latini ſenſerint, Baſ. 1530. Heidelb. 1572. 8. Exegemata in Jobum, Baſ. 1532. 4. Chryſoſtomi homiliæ 66. in Geneſin; annotationes in acta Apoſt. Pſegmata in ep. I. ad Cor. ſermo de eleemoſyna &c. latine verſus, in operibus Chryſoſtomi 1533. Baſ. fol. & annotationes in varia Chryſoſtomi opuſcula ab ipſo

in

Digitized by Google

in latinum versa. Annotationes in Evang. Johannis, Bas. 1533. 8. Comment. in Jerem. l. 3. & enarrationes in threnos Jerem. Arg. 1533. 4. Comment. in Ezechiel. ib. 1534. 4. Explanatio in epist. ad Hebræos, ib. 1534. Annotationes in Hoseam, Joëlem, Amos. Abdiam, Jonam & 2. capita Michæ, Bas. 1535. 8. Gen. 1578. Annotationes in Genesin, 1536. enarrationes in Ev. Matthæi cum concionibus popularibus in aliquot loca N. T. Bas. eod. 8. epistolarum Oecolampadii & Zuinglii l. 4. quibus junctus sermo de non habendo pauperum selectu; oratio ad clerum Augustanum de expostulatione Christi cum Petro, ablutionem pedum recusante &c. ib. eod. fol. conciones in aliquot Psalmos, 73. 77. & 137. Bas. 1544. Johannis patriarchæ Hieros. vita Joh. Damasceni; lat. Col. 1546. Bas. 1548. fol. Comm. in Jobum, Danielem, Hoseam, Joëlem - - - Gen. 1553. & 1555. fol. Comm. in Esaj. Jerem. Threnos & Ezech. Gen. 1558. fol. exhortatio ad S. literarum lectionem; de discrimine verbi interni & externi; conciones ad puellos cum expositione symboli apost. Bernæ in disputatione habita, de cantico Simeonis. Oratio habita a. 1526. coram senatu Basil. de reducenda excommunicatione apostolica; oratio synodica; consilium, quomodo in ordinem redigendi sacrificuli; catechismus s. institutio puerorum in religione, germ. Opuscula Prosperi, Augustini & Ambrosii contra liberum arbitrium ab Oecol. congesta cum ejusdem præfatione. De sacrificio Missæ contentio contra Aug. Marium, germ. Bas. 1528. 8. Institutio de Anabaptismo, Magistratu & jurejurando contra Caroli N. articulos, it. germ. Bas. 1527. 4. responsum ad Balth. Hubmeyerum, anabaptistam, germ. ib. eod. themata 114. Basileæ disputata in auditorio theologorum. Acta disputationis Badensis. Dialog. de cœna Domini, Bas. 1590. 8. In latinum transtulit porro, Gennadii ep. de simonia; Greg. Nazianzeni sermonem de moderandis disputationibus; de laudibus Cypriani; de amandis pauperibus; de laudibus Maccabæorum. Gregorii Neocæs. metaphrasin in Eccles. Salom. & canones. Gregorii Nisseni or. de vita Mosis. Joh. Damasceni serm. quantum defunctis prosint viventium bona opera. Nicephori Chartophylacis epistolam de ligandi & solvendi potestate. Petri archiepisc. alex. canones pœnitentiales; in germanicum vertit Basilii libellum contra usurarios & de regula Monachorum.

XIX. CONRADUS PELLICANUS germ. *Kürsner*, natus est Rubeaci in Alsatia d. 9. Jan. 1478. patre Conr. Kürsner, matre Elisab. Galla. Literis imbuendus anno 1491. commissus fuit Jodoco Gallo, ejus avunculo, Heidelbergæ tum docenti. Inscii parentibus a. 1496.

Digitized by Google

Monachorum S. Franciſci, ſ. Minoritarum, ordini ſe addixit, & eodem anno Tubingam contendit, ubi ſtudia diligenter continuavit, præcipue vero linguæ hebraicæ notitiam comparavit ampliorem. Baſileam profectus a conventu Franciſcanorum a. 1501. Sacerdos, & a. 1502. Profeſſor atque Lector Theologiæ fuit conſtitutus. A. 1504. a Cardinale Raymundo Gallo diploma accepit Theologiæ Doctoris, nunquam autem eo titulo uſus legitur; ab eodem etiam Prælato itineris in Italiam ſocius adſumtus fuit Pellicanus, ſed in via morbo impeditus ſubſtitit, & ſanitati reſtitutus Baſileam repetiit. A. 1508. in patriam ſuam vocatus philoſophica & præſertim hebraica publice docuit. Phorcæ dein ſui ordinis atque conventus Guardianus exſtitit, itemque Secretarius, quo nomine varias gravioris momenti legationes, etiam Romæ, cum laude obiit. Illinc reverſus Baſileam, ſumma diligentia ſtudio Theologico incubuit, & a. 1524. a ſummo magiſtratu Oecolampadio in Profeſſione Theologica Collega fuit datus, ſimul Hebræam Linguam publice profeſſus. Sed a. 1526., poſtquam Reformationis opus Baſileæ adprobaſſet atque promoviſſet, provinciam linguæ Græcæ atque Hebraicæ docendæ poſt obitum Jac. Ceporini a Tigurinis ipſi oblatam accepit, & ibidem in Profeſſione Theol. conſenuit, atque Bibliothecarius publicus exitum vitæ habuit d. 6. Apr. a. 1556.

Plura conſcripſit atque edidit, quæ juncta 7. volumina conſtituunt, in quibus Grammatica & Lexicon Hebr. commentarii in omnes V. T. libros itemque in Pauli aliorumque Apoſtolorum epiſtolas, inprimis ſunt notandi. Etiam in utraque bibliotheca publica Tigurina, tam civica quam Canonicorum, proſtant complura operum ipſius volumina MS. maximam partem autographa.

PROFESSORES VETERIS TESTAMENTI.

I. Paulus Constantinus Phrygio, patriam habuit Seleſtadium, Alſatiæ oppidum, & in eo prima ſtudiorum jecit fundamenta. Iis plura ſuperſtructurus doctores atque duces elegit Baſilienſium Eruditos, apud quos per annos complures theologico atque hiſtorico ſtudio vacavit. Hoc poſtquam ſtrenue feciſſet, a. 1513. una

una cum Matthia Sambucello, Sulgenſi, Doctoris Theologi axiomate fuit inſignitus, triennio ante in Facultatem theol. receptus. Luce Evangelica Baſileæ ex tenebris producta, ipſe a. 1529. primus evangelicus Paſtor ad D. Petri conſtituitur, quo munere ſingulari non modo fide ſed & dexteritate defunctus eſt. Anno quoque 1532. in ipſa Academiæ παλιγγενεσια Profeſſio V. T. ei fuit demandata, ſimulque anno ſequente Academiæ Rector deſignatur, quæ dignitas ipſi ad alterum quoque annum procerum voluntate eſt prorogata. Huldricus vero Dux Wurtembergicus, tum Baſileæ aliquantiſper exul, perſpecta Phrygionis inſigni eruditione atque pio zelo, Ducatui ſuo ope Philippi Haſſiæ Landgravii reſtitutus, eum ad munus Paſtoris atque Profeſſoris Tubingæ obeundum a Baſilienſium Magiſtratu depoſcit atque impetrat. Quo a. 1535. profectus, Eccleſias illas repurgavit & Academiam a ſe reſtauratam illuſtravit. Abſolutotandem ibi laborum curſu, cœleſtem patriam adit Cal. Aug. 1543.

Ingenii monumenta reliquit: *Chronicon regum regnorumque omnium. Commentarios in Exodum, Leviticum & Michæam prophetam; itemque de cauſa Bohemica.*

II. ANDREAS à BODENSTEIN, CAROLOSTADIUS, incerto nativitatis anno, ortum ducit ex perantiquo, a Carolo Calvo condito, Franciæ orientalis oppido, Caroloſtadio, a quo cognomen accepit. In patriæ qualicunque ludo prima poſuit literarum fundamenta, quibus eruditionis ſublimioris molem ſuperſtructurus, varias & regiones & ſcholas publicas adiit, cumprimis autem Romæ Theologiam, qualis tum tradebatur, excoluit. Ex Italia in Germaniam redux ſedem fixit Wittenbergæ, ubi ſub ejuſdem Academiæ auſpicia, a. 1502. gradum in Theologia ſupremum cum ipſa Profeſſione theol. fuit adeptus, poſtquam antea in templo arcis Canonicum atque Archidiaconum egiſſet. Etiam ſtudio Juris vacaſſe & Doctoratum in eo obtinuiſſe vel inde colligitur, quod in theſibus Wittenbergenſibus a. 1520. impreſſis ſe J. V. D. vocaverit. Lutherum a. 1512. Theologiæ Doctorem ſolenni more renunciavit ipſo S. Lucæ die, unde etiam Lutherus Caroloſtadium Præceptorem & Majorem ſuum, dum bene inter eos conveniebat, vocare non dubitavit. Etiam Caroloſtadius inter primos Witten-

bergæ Doctores Lutheri doctrinam voce & scriptis defendit. Luthero indulgentiarum nundinationes, & Tezelii ampullas impugnanti fidus adstitit συμμαχος. Joh. Eccii obeliscos aliquot, quibus Lutheri sententias notavit, Carolostadius in suis, quæ exstant, Conclusionibus refutavit; dein, Joh. Georgio, Saxoniæ Duce adsentiente, disputatio indicta fuit Lipsiæ a. 1519. in qua Eccius 13., Lutherus contra totidem, & Carolostadius 17. positiones conscripserunt. Vetuit Eccius, ne disputationis Acta a Notariis scripto exciperentur, neve excepta typis ederentur; sed neutrum obtinuit, etenim statim acta disputationis publici juris sunt facta, de quorum tamen fide varie, ut fieri solet, fuit disceptatum. Ceterum exitus hujus disputationis, notante Luthero, non veritatis inquisitio sed temporis fuit perditio. Rediit Lipsia Carolostadius Wittenbergam cum Luthero & Melanchtone, quos eo comitabatur, & eodem anno 370. conclusiones contra Eccium, sequenti vero anno 20. theses adversus Papatum proposuit. A. 1521. Luthero in Pathmo (Wartenburgi prope Ilsenacum) delitescente, opera Carolostadii privata Missa Wittenbergæ abrogata aliique ritus ecclesiastici fuerunt mutati; ex templis imagines ejectæ, confessio auricularis sublata, discrimina ciborum, sanctorum invocatio remota, symbola S. Cœnæ laicis in manus data, in foro non ex jure humano sed ex lege Mosis pronunciandum præscriptum, & hujusmodi; quin etiam scholas titulosque academicos sublatos voluit Carolostadius, literarum cultum abjecit & ad labores manuum singulos hortatus est. Eodem anno ad aliorum Ministrorum exemplum uxorem duxit Carolostadius. Sed Lutherus ex Eremo suo anno sequenti reversus plura quidem à Carolostadio peracta adprobavit, haud pauca vero improbavit; quin & adprobata etiam improbavit, quod non ordine ipsoque non consulto fuerint tentata. Quod cum publicis aculeatis concionibus Lutherus argueret, Carolostadius se offensum putans publico etiam scripto se defendit. Atque hoc fuit initium funesti inter utrumque dissidii, quod postea in bellum Sacramentarium exarsit. Carolostadii igitur imaginum aliarumque ceremoniarum impugnatio, itemque ejus de S. C. sententia cum Luthero dissiliuisset, & vicissim multa Lutheri Carolostadio non adrisissent, iste malut solum vertere, quam in perpetua arena

cum

cum antagoniſta, cauſæ communis detrimento, verſari. Oblatum itaque ſibi ab Orlamundæ, Thuringiæ oppidi, proceribus paſtoris munus accepit, mox tamen a Wittenbergenſibus revocatus. Interim Caroloſtadius reditum negans, inſtigante Luthero, loco ſuo movetur, & Thuringiæ finibus excedere compellitur. Argentoratum dein, hinc Baſileam profectus nonnullos de Euchariſtia libellos edi curavit, quorum ſumma hæc erat: *Corpus Chriſti non eſſe in Cœna, aut comedi corporaliter, ſed celebrari ibi corporis pro nobis traditi, & ſanguinis pro nobis fuſi memoriam. Tropum igitur ineſſe verbis inſtitutionis, & τοῦτο non panem ſed corpus Chriſti denotare*, ut ſenſus ſit: *accipite, edite panem hunc in mei memoriam. Hic enim ſedet corpus meum, quod pro vobis traditur. Ad tropum confugiendum eſſe, ne panem pro nobis crucifixum eſſe adfirmare neceſſe habeamus.* Sed iſti libelli diverſe fuerant accepti; a Tigurinorum aliis prohibiti, ab aliis ad legendum, cum judicio tamen, commendati; Oecolampadii de iis ſententia hæc erat: *Licet auctor veritatis apicem non attigerit, ſummam tamen rei non penitus eſſe improbandam.* Caroloſtadius poſtea 1525. Rothenburgum veniens vitæ periculum incurrit ob ſeditionis motæ ſuſpicionem, ſed in ſporta de muro demiſſus evaſit. Libello poſtea apologetico emiſſo mitius de Luthero pronunciavit, quod viam ei munivit, ut, Luthero intercedente, ſub fide publica in Saxoniam redire potuerit a. 1526. quo ipſi filiolus natus erat, cujus ex ſacro Fonte ſuſceptores erant: Juſtus Jonas, Melanchton & uxor Lutheri. Vixit deinde cum uxore tribusque liberis in extrema paupertate privatus ruri Kembergæ; anno vero 1529. cum ſuis orientalem Friſiam & ſequenti anno Argentoratum, Baſileam atque Turicum denuo petiit, quem cum Zuinglius videret, a violenta illa verborum Cœnæ interpretatione receſſiſſe, & commodiorem amplexum, Diaconum Eccleſiæ conſtituit, mox vero Paſtor Altſtettenſis fuit electus; poſt Zuinglii autem obitum ſecuritatis cauſa abdicato paſtoratu iterum Tigurum rediit & concionibus populum erudivit; hinc a. 1534. Baſileam accerſitus ineunte a. 1535. diſputationem publicam habuit & in Theologorum collegium publico ſuffragio cooptatus eſt, eodemque etiam anno Phrygioni alio translato in Paſtoris Petrini & Profeſſoris V. T. munere itemque a. 1536. in Decani Theol. officio, cui per 4.

annos præfuit, ſucceſſit. Denique d. 24. Dec. 1543. pie placideque peſte defunctus mortalis eſſe deſiit. Filius ejus Adamus, medicus, Theophraſti Paracelſi imitator atque interpres primus, ob. a. 1577. æt. 49.

Edidit: Propoſitiones contra Eccium, Witteb. 1519. 4. de aqua luſtrali contra Guardianum Franc. Seyler, ib. 1520. de Papa Romano, ib. eod. de virtute indulgentiarum, ib. eod. explicationem loci Matth. XI. 12. ib. 1521. de libris Scripturæ S. canonicis, 1521. 4. de cœlibatu, monachatu, & viduitate, eod. 4. concionem de uſu Sacramentorum, ib. 1522. admonitionem ad D. Ochſenfurt, ib. eod. ſermonem de ſinu Abrahæ & purgatorio, eod. de ambobus S. Cœnæ ſymbolis, quid ſignificent, ib. eod. de votis monaſt. explicationem Num. c. xxx. ib eod. ſermonem de confeſſione auriculari, ib. 1524. de excommunicatione in Rom. IX. 3. ib. eod. in quæſtionem, num quis ſine interceſſione B. Mariæ ſalvus poſſit fieri? ib. eod. de fide & incredulitate, luce & tenebris, libero arbitrio, peccato in Spiritum S. &c. ib. eod. in quæſt. an in cauſis voluntatem Dei tangentibus lentius ſit procedendum? ib. eod. de abuſu panis vinique eucharistici, eod. ſermonem de angelis & diabolis, Argent. 1524. 4. concluſiones X. apolog. pro Scriptura; de nuptiis & ſacerdotibus matrimonium contrahentibus; de ſanctitate chriſtiana; de varietate ſimplicis voluntatis Dei; de patientia; Concluſiones d. 12. Nov. 1520. Baſileæ ventilatas; axiomata diſputationis pro receptione ad facultatem Theol. Baſ. Jan. 1535. Locos communes Script. S. 12. Febr. 1540. Baſil.

III. Sebastianus Munsterus, Eſras Straboque Germanus, in lucem editus eſt a. 1489. Ingelheimii Palatinatus oppido, in quo primis literarum rudimentis fuerat imbutus. Anno dein ætatis ſuæ 14. Heidelbergam miſſus ſtudiis diligenter incubuit & biennio poſt ordinem Minorum adſumſit. Mox adiit Tubingam, quaque erat ingenii facilitate atque felicitate tribus linguis principibus pariter & artibus, inprimis vero hebrææ linguæ, hiſtoriæ item & diſciplinis mathematicis operam dedit, tantoſque in his omnibus progreſſus fecit, ut illo ſeculo in hiſce nulli ſecundus haberetur. In Hebraicis audiit a. 1509. Conr. Pellicanum Rubeaci itemque Tubingæ Joh. Reuchlinum ſ. Capnionem, græcarum & inprimis hebraicarum literarum reſtauratorem in Germania primum atque maximum, qui tanto in has literas agebatur fervore, ut Romæ agens Rabbino Abdiæ

diæ pro ſingulis horis ſingulos aureos ſolverit διδακτρον. In Mathematicis autem itidem Tubingæ circa a. 1515. præceptorem habuit Joh. Stoſlerum Juſtingenſem, virum in ſua arte peritiſſimum. Heidelbergam reverſus in parochia caſtri Electoris Ludovici aulicum concionatorem egit. Fama autem eruditionis ejus longe lateque ſparſa accidit, ut a. 1529. ab Academiæ Baſilienſis præſidibus rogaretur, ut Profeſſoris Linguæ Sanctæ munus in ſe ſuſcipiat, cui petito etiam adnuit viceſque Pellicani, ſui olim præceptoris, ad Tigurinos jam vocati, obeundas ſumſit. Poſtea, verba ſunt matriculæ Theol. ad a. 1545., inſignis vir Sebaſtianus Munſter per aliquot annos Theologicam profeſſionem & antiquum Teſtamentum ex Hebraica veritate diligenter & docte explicavit. Doctoris tamen Theologi titulum ejus eruditioni maxime debitum non admiſit, ex modeſtia potius quam contemtu & ſuperſtitione, & ad exemplum forte Oſwaldi Myconii & Simonis Grynæi eundem titulum reſpuentium; certe in aliis teſtimonia illa eruditionis publica probavit, multiſque honores academicos ut decenter ambirent auctor fuit. Hanc tamen ejus modeſtiam Academia remuneravit, adſignato ei loco, inter Doctores & Magiſtros medio, qui Licentiatorum eſt. A. 1547. Academiæ Rector dictus eſt, qui & operam ſuam in rebus arduis Academiæ probavit. Ceterum Munſterus vir fuit ſtatura parvus ſed robuſtus laboriſque patientiſſimus. Tamen progrediente ætate vires animi corporiſque ſenſim imminui ſentiens vacationem theologicæ profeſſionis petiit & obtinuit; in hebraica vero profeſſione adhuc permanſit, pluſque temporis ſuis lucubrationibus impendit. Ad extremam ætatis metam vegetus & viribus integer, ſummo bonarum literarum damno literatorumque luctu ipſo Aſcenſionis Chriſti die 23. Maji a. 1552. ex anthrace exſtinctus ad ſuperos aſcendit.

Lucubrationum ejus variæ exſtant editæ: Dictionarium hebraico latinum, 1523. 1525. & 1535. Verſio latina & notæ in proverbia Salomonis, Heid. 1524. Eliæ ben Levi compoſita verborum & nominum hebr. cum notis, 1525. Eliæ ben Levi hebraicæ inſtitutiones, inſcriptæ: capitula Cantici, 1527. calendarium hebraicum, 1527. grammatica chaldaica, eod. Aruch, ſ. dictionarium chaldaicum. R. Aben Eſræ commentariolus hebraicus in decalogum, cum verſione, eod. hiſtoria-

hiſtoriarum judaicarum l. 5. ex Joſepho hebræo in latinam linguam translati, 13 articuli fidei Judæorum R. Moſis: Joſippi compendium hiſtoriarum Joſephi, complectens acta 70. interpretum; geſta Maccabæorum, & Herodum, & excidium Hieroſolymitanum; item 10. captivitates Judæorum incerti auctoris; omnia hebraice cum latina interpretatione, Wormatiæ 1529. dictionarium trilingue, hebraicum, græcum & latinum, 1530. fol. Germaniæ deſcriptio, Baſ. 1530. 4. R. Moſe Kimchi grammatica juxta hebraiſmum verſa, 1531. introductio in tabulam coſmographiæ inſularum incognitarum, 1532. fol. horologiographia, 1533. 4. præcepta moſaica 613. cum expoſitione Rabbinorum, hebr. & lat. 1533. 8. Biblia S. hebraica cum translatione latina & annotationibus 1534. 1535. fol. 2. Vol. it. 1539. 1546. canones ſuper novum inſtrumentum luminarium, 1534. iſagoge elementalis in hebr. linguam, 1535. lectio hebraica in evangelium Matthæi, 1535. tabula coniugationum hebraic. eod. Organum uranicum, 1536. fol. hebraicæ grammaticæ pars de verborum conjugationibus & eorum affixis, eod. Vocabula hebr. irregularia in ordinem alphabeticum digeſta, eod. grammatica hebr. Eliæ ben Levi ſcholiis illuſtrata, & inſtitutio elementalis in eandem linguam, 1537. 8. Fides chriſtianorum & judæorum, hebr. & lat. 1537. fol. annotationes in Matthæi Evangelium hebraicum, 1537. fol. Lond. 1660. Meſſias chriſtianorum & hebræorum, hebr. & lat. 1539. 8. dictionarium hebr. eod. 8. accentuum hebr. liber, & liber traditionum Eliæ ben Levi, eod. colloquium cum judæo pertinaciter ſuis de Meſſia opinionibus addicto, hebr. & lat. eod. Tabulæ Ptolomaicæ, & appendix geographica, 1540. fol. verſio latina & notæ in l. Tobiæ, 1541. 4. 1549. 8 Joſephi ben Gorion hiſtoria judaica, hebr. & lat. cum notis, 1541. fol. opus grammaticum hebr. 1542. 1549. 8. Coſmographia univerſalis, lat. 1543. 1545. 1550. Germ. 1544. 1546. 1550. 1559. 1564. 1578. 1621. fol. Annotationes in R. Abrahami ſphæram mundi, & in Eliæ Mizrachi, ſ. orientalis, compendium arithmeticæ, 1546. 4. tabulæ novæ ad geographiam Ptolomæi, 1546. Rudimenta Mathematicæ, 1551. fol. Iſaias hebr. & græce cum verſione latina. R. Simeonis logica latina facta. Scholia in l. Pomponii Melæ & C. Jul. Solini. Explicatio tabulæ Nic. de Cuſa. Tabula, exhibens Baſileam cum ejus territorio geographice. Evangelium Matthæi & epiſtola ad Hebræos, hebr. & lat. c. N. Baſ. 1557. 8.

IV. MARTINUS BORRHAUS, dictus Cellarius, vitae lumen adiit Stutgardiæ a. 1499. Completis tyrocinii domeſtici diebus academiam viſitavit Tubingenſem, ubi Reuchlino duce primis literarum hebraicarum rudimentis fuit

Digitized by Google

fuit imbutus, & primum Melanchtoni venit in notitiam. Heidelbergam profectus ſtudia philoſophica felici cum ſucceſſu proſecutus eſt, & magiſtri artium titulo condecoratus. Theologiæ jam præcipuam operam navaturus Wittenbergam conceſſit, & veterem uſum, qui inter ipſum & Melanchtonem interceſſerat, renovavit. Sed & aliam hic, eamque infelicem amicitiam contraxit cum Marco Stübnero, Anabaptiſtarum ſectæ coryphaeo. Cum autem nec Lutherum nec Melanchtonem adplaudentes haberet, relicta Wittenberga a. 1525. Boruſſiam petiit, ubi fanaticiſmi ſuſpectus juſſu Principis in cuſtodiam datus fuit laxiorem, in qua nihil correctus ſententiam ſuam anabaptiſticam publicis ſcriptis defendit. Ea ſolutus captivitate, res Anabaptiſtarum labaſcere, ſpemque de meliore mundo conceptam in irritum cecidiſſe videns, fidis tandem Oecolampadii monitis aurem præbuit & ad ſaniorem mentem rediit. Triſtem interea ejus ſtudia paſſa fuerant inſtitionem, quo enim victum ſibi pararet, iis neglectis, opificio feneſtrario ſeſe addixit. Sed ſaniorem cum recepiſſet mentem ad priſtina ſtudia reverſus in iis adeo profecit, ut doctiſſimis illius ſeculi Philoſophis atque Theologis fuerit æquiparandus. Baſileam a. 1536. delatus, deſerto Cellarii & adſumto Borrhai nomine, primum Rhetoricae atque Oratoriæ, dein a. 1544. V. T. Profeſſionem obtinuit, & utramque magno cum adplauſu atque audientium fructu adminiſtravit. Theologiæ Doctor demum a. 1549. fuit creatus. Rectoratum Acad. bis, a. 1546. & 1552., diligenter geſſit, licet ἀπολιτικώτερος fuerit ſeſeque totum literis devoverit. Vir erat Borrhaus ſtaturæ puſillae, corpore autem robuſto atque obeſo. In linguis hebræa, Syra atque Chaldaica verſatiſſimus; in rebus Theologicis diſcutiendis acutiſſimus. Bibliothecam ſuam Academiæ donavit, quæ poſt ejus fata publicæ Bibliothecæ inſerta, ejuſque rei memoria publica inſcriptione fuit conſervata. Anno denique funeſto atque fatali 1564., qui in urbe noſtra 7. hominum millia, inque iis Profeſſores 6., Paſtores eccleſ. 5. Senatores 13. abſtulit, venerandus etiam iſte Theologus d. 11. Oct., quarto a decubitu die peſte fuit ſublatus.

Philoſophica atque Theologica ſcripta varia orbi tradidit, ut: Elementale Geographicum. Baſ. 1539. Comment. in Ariſtotelis l. de arte Rhetorica. Annotat. in Ariſtotelis

Politica, Elementa Mathematica; de cenſura veri & falſi l. 3. quibus logicam Ariſtotelis illuſtravit, 1541. 4. de pronunciato; de ſyllogiſmo l. 3. de veteris & novi hominis ortu & natura, Baſ. 1549. 12. de operibus Dei electionis & reprobationis; de uſu, quem deſperabundi Franc. Spiræ tum exemplum tum doctrina afferat, 1550. 8. Elementa Math. ab Orontio Fineo elegantiſſimis figuris illuſtrata. Pariſ. 1550. In Coſmographiæ Elementa commentatio Aſtronomica, geographica Baſ. 1555. 8. comm. in Salomonis Eccleſiaſten; comm. in Pentateuchum, 1555. fol. comm. in l. Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis & Regum. Comm. in Eſajam, Jobum & apocalypſin. de ortu, natura, uſu ac diſcrimine Jubilæorum, quos Deus inſtituit; quæſtiones 40. de juſtificatione, fol. Baſ. 1561. Epiſtolæ duæ ad Bullingerum in epiſt. Füſslini Cent. I. n. 59 & 63.

V. Simon Sulcer Bernenſis ditionis vico *Hasli* originem debet, quam accepit d. 22. Sept. a. 1508. a parentibus Beato Sulcero, Monachorum Hinterlappenſium Præpoſito & Margaretha Bærthlin. Primis literarum apicibus in patria initiatus Bernam primum, dein Lucernam, illic Rubello hic Oſwaldo Myconio præceptoribus uſus, denique Baſileam ſtudiorum cauſa migravit, ubi in mathematicis præſertim Henr. Glareanum audivit. Theologiæ poſtea ſe conſecravit, & Baſileæ quidem Oecolampadium & Phrygionem, Argentorati vero, quo poſtmodum contendit, Bucerum, Capitonem atque Hedionem magiſtros habuit. Baſileam reverſus, a. 1538. Artium Magiſter ſolenniter fuit renunciatus, poſtquam jam a. 1532. Profeſſio Logica cum Collegii Oeconomia ei fuiſſet delata. Interea uxorem duxit Eliſabetham Merian, Huldrici Meriani, Senatoris, ſororem, viduam Werlini, opificis alicujus ſtannarii, quæ ad Sulcerum adduxit duos ex Werlino conceptos liberos, filium & filiam, filia Werlina vivo Sulcero nupſit Melchiori Hertenſtein, poſtea Senatori, filius, Georgius Werlinus, vivo itidem vitrico, paſtor creatus eſt Hauingae in Marchionatu, Lutheranus ſcilicet ex Sulceri inſtitutione; ſuos iſtos privignos Sulcerus prole carens bonorum ſuorum hæredes inſtituit, & filio ceſſit Bibliotheca cum Miſtis, in quibus etiam Acta noſtra Eccleſiaſtica, an per errorem an vero de induſtria quis decernet? ſecum abſtulit, quæ deinde ipſo a. 1616. defuncto inter miniſtros marchicos varie fuerunt

Digitized by Google

fuerunt diſtracta. Reſpublica Bernenſis civem ſuum jam inclareſcentem ad ſe vocavit, eumque bonas literas publice profiteri juſſit. Quod quidem fecit, ſed genio ejus ad majora adſpirante, Baſileam rediit & Oeconomiam illam iterum ſuſcepit, in Hebraicis Munſterum, in Theologicis Simonem Grynæum diligenter audiens. Contentione interim Sacramentaria inter præcipuos Eccleſiæ Reformatores oborta, & longe lateque ſerpente, Sulcerus ſub annum 1538. ad Saxonicas eccleſias profectus, cum ipſo Luthero de eo negotio conferre ſtuduit, qui ipſum quoque in partes ſuas pertraxiſſe videtur. E Saxonia Baſileam reverſus, iterum Bernam ad munus eccleſiaſticum, cui per decennium ſingulari facundia præfuit, obeundum eſt vocatus, bonis cunctis gratiſſimus. Verum contentione illa euchariſtica Bernæ quoque invaleſcente a. 1548. Baſileam, priſtinam ſtudiorum matrem, repetit, privatam primum vitam tolerans, paulo tamen poſt collegii Auguſtiniani Oeconomia denuo ei fuit demandata, donec anno ſequenti in locum Wolfg. Wiſſenburgeri, ob perpetuas diſtillationes vociſque raucedinem paſtoratum deponentis, nempe in parochiam Petrinam, itemque a. 1552. Sebaſt. Munſtero defuncto, in cathedram hebraicam fuerit ſuffectus. Mox vero, ſc. 1553. primarii Paſtoris atque Sacrorum Antiſtitis loco beati Myconii munus ſuſcepit, retenta tamen per aliquot adhuc annos profeſſione hebraica, qua ſe demum a. 1556. abdicavit, licet Wiſſenburgero rude donato a. 1554. in N. T. Profeſſione ſucceſſerit. Circa hæc tempora Carolus, Marchio Badenſis, cum ditionis ſuæ eccleſias reformare ſtatuiſſet, Sulcerum cum D. Jac. Andreæ & D. Jac. Heerbrando, Theologis Würtembergicis, ei negotio præfecit, & ad auguſtanæ confeſſionis formulam omnia diſponere juſſit; id quod etiam a. 1556. ſumma cum gravitate perfecerunt; inſequentibus quoque temporibus Sulcerus eccleſiarum Marchicarum ſollicitam geſſit curam, earumque miniſtros officii ſui adſidue commonere, utque omnia in Synodis decenti peragantur ordine, hortari perrexit. Theologicam autem Profeſſionem nondum Theologiæ Doctor adminiſtravit, hunc gradum demum a. 1563., quo Rectoratum geſſit, ſibi conferri paſſus. Tum autem accidit, ut, pro more cum ex eo quæreretur, an legitimo thoro fuerit natus, ille

ille quidem confiteretur, patrem ipſius clandeſtinum, pro temporum illorum iniuria, cum matre ſua habuiſſe conjugium, & aliquot ex ea ſuſcepiſſe liberos, quorum unus ipſe fuerit, ſimul vero adſeveraret, patrem luce evangelica colluſtratum monaſticam vitam deſeruiſſe & animo ſibi propoſuiſſe, publice coram cœtu chriſtiano conjugium declarare atque confirmare, quominus autem iſtud exſequeretur conſilium, ipſum morte ei ſuperveniente impeditum fuiſſe. Quod adfertum cum duobus juratis adprobaret teſtibus Sulcerus, Ludovico & Bartholomæo Archeris, civibus Bernenſibus, Senatore altero, literis ſigillo munitis jurato id adſerentibus, minime gravati ſunt Theologi, eum gradum ſolenniter ei conferre, quod factum eſt d. 28. Febr. 1563. Anno hunc ſequenti Borrhao defuncto in Profeſſione V. T. ſucceſſit, a qua tamen a. 1575. ſponte receſſit. Cathedram vero Hebraicam morte Lepuſculi a. 1576. vacuefactam iterum ambivit, & licet Canonicatu Petrino præter antiſtitium frueretur, tandem ob merita & ſenium ei gratificandum duxere Patres d. 18. Febr. 1578. Diebus denique atque laboribus confectus d. 22. Jun. 1585. ex militante eccleſia in triumphantem fuit tranſlatus, poſtquam ſingulari doctrina atque pietate vineam Domini utraque manu, Eccleſiam quidem per annos 47. Scholam vero annos 55. coluiſſet. Academicum Rectoratum quartum geſſit, a. 1552. 1562. 1568. & 1575. Mediocri fuerat Sulcerus ſtatura, corporeque ob perpetua ſtudia tenuior. Oratione pollebat flexanima, qua præter alios & ipſum J. Jac. Grynæum in ſuam de S. Cœna, quæ cum Lutheri conveniebat interpretatione, pertraxit ſententiam, qui vero mature in viam rediit ipſe, alioſque ſecum reduxit, itemque Baſilienſem Confeſſionem, cujus gloſſas ſibi adverſas Sulcerus immutaverat, & genuinæ editionis exempla ſuppreſſa fecerat rariora, in lucem iterum, quoad marginalia correctiorem, produxit. Quanta etiam Sulcerus apud magiſtratum valuerit auctoritate, vel inde licet colligere, quod eo Antiſtite atque auctore frequentior campanarum uſus introductus, & Organorum, quæ a Reformationis tempore in templis obmutuerant, luſus fuerit revocatus. Nec reticenda eſt magni hujus Viri in Studioſos Theologiæ pietas, qua ipſis & poſt fata prodeſſe ſtuduit. Tria nempe pro iis legavit

vit ſtipendia, quæ nomine ab ipſo accepto Sulcerianum maximum, minus atque minimum vocantur. Minimum 25. librarum deſtinatum eſt, ut ex ejus cenſibus duo lecti Alumnorum peregrinorum conſerventur. Minus 125. librarum peregrino Theologiæ ſtudioſo, maximum vero 1300. librarum Baſilienſi Theol. ſtudioſo deſignatum eſt, eorumque reditus hodie adhuc pro Teſtamenti litera diſtribuntur. His acceſſit & quartum ex liberalitate ipſius uxoris profectum, Merianum inde vocatum, ſortis 200. librarum, iiſdem uſibus conſecratum.

Sulcerus, quod ad ejus Scripta adtinet, in Latinum e Germanico tranſtulit Acta Synodi Bernenſis. Baſ. 1532. 8. Theſaurum locorum communium ex ſacris & profanis utriuſque linguæ auctoribus collegit & præfationes pluribus auctoribus præmiſit; edidit Axiomata 54. de invocatione Dei, Baſ. 1563. Diſſ. de vera eccleſia, 1575. Epiſtolæ ejus ad Calvinum in epiſtolis Calvini Gen. 1576. p. 41. 52. 136. 148. occurrunt.

VI. Joh. Jacobus Grynæus, inſigne Academiæ atque Eccleſiæ Baſilienſis ornamentum, ortum ducit a piis parentibus, Thoma Grynæo, Veringenſi, & Adelheida Stuber, Tigurina; nativitas ei obtigit Bernæ 1. Oct. 1540. Prima literarum elementa a patre, tum Bernenſi ſacris deſtinatæ juventuti a conſiliis, mature accepit, illo autem a. 1546. Baſileam ad literas Græcas atque Latinas docendas vocato, ludo literario Baſil. puer ſex annorum immiſſus, & a. 1551. ex eo emiſſus, Philoſophorum publicas lectiones frequentare incepit annum agens nondum duodecimum. Studiis philoſophicis feliciter abſolutis, felici forte Theologiam addiſcendam elegit, magiſtris uſus Martino Borrhao & Simone Sulcero. Hujus cum inprimis ageret admiratorem, accidit, ut incautus in ipſius de S. Cœna ſententiam, Luthero propriam, pertraheretur; quam demum integro exacto decennio depoſuit. Circa annum 1559. in parœcia Rœtelana primum vicariam, mox, fratre Theophilo Hauingenſi eccleſiæ ut præeſſet vocato, ordinariam ad eccleſiam illam ædificandam locavit operam, cum patre a tribus jam annis eccleſiæ Rœtelanæ paſtore ipſe ejuſdem eccleſiæ Diaconus junctis viribus laborans, poſtquam a Sulcero ſuperiorum eccleſiarum Marchi-

Marchicarum Superintendente manuum impoſitione in illud munus inauguratus fuiſſet. Huic muneri cum per quadriennium præfuiſſet, majoris rerum divinarum cognitionis comparandæ cauſa in animum induxit Academiam Tubingenſem adire, conſentientibus quidem piis parentibus, ſed renuente aliquantum ipſo Marchione, qui, ut ipſum retineret, majus ſalarium promiſit; verum deſiderium pecuniarum, ſi quod habuit, deſiderio ſcientiarum præponderabatur, & ut apud animum ſuum ſtatutum habuit, Tubingam contendit, & Doctores in Philoſophia atque Theologia præclaros ibi frequenter audivit. Plurimum autem in humana atque divina ſcientia, præeuntibus præſertim Theologis, Jac. Andreæ, Heerbrando atque Schnepfio, progreſſus, in illa etiam de ubiquitate corporis Chriſti opinione, quam jam a Sulcero imbiberat, haud parum confirmabatur; dolorem tamen haud exiguum capiens ex eo, quod Theologos ſummos, maximi a ſe habitos, ab illa autem ſententia averſos, aſperioribus interdum verbis perſtringi obſervaret. Amicorum denique ſuaſu in hacce Academia Theologiæ Doctoris, cujus adtributa jam habuit, etiam nomen accepit, & præmiſſa diſſertatione publica nonnulliſque prælectionibus a. 1564. inſignia doctoralia in publica panegyri fuit adſecutus, de qua promotione vir modeſtiſſimus per jocum dicere ſolebat: *ſe Metelli fato doctorem creatum.* Ex Tubinga dein paravit diſceſſum, quem eo magis acceleravit, quod ipſi triſtis de patre ejus peſte defuncto adlatus fuerit nuncius. Ad iter autem cum ſeſe accingeret, obtinuit vocationem paternum munus in ſe ſuſcipiendi; cui vocationi etiam morem geſſit, & Rœtelanæ eccleſiæ, cujus antea fuerat Diaconus, jam per integrum decennium paſtor præfuit profuitque, ab a. 1565. uſque ad a. 1575. Quo decennio a. 1569. nuptias cupiens mentem aperuit Simoni fratri, Medico, qui ipſi Laviniam a Canonicis, Bononienſis civis Catalani & Lucretiæ Florentinæ filiam, de ipſius pietate & induſtria commendavit, cum ea etiam & quidem Heidelbergæ nuptias celebravit, cumque ea per quadraginta annos pie vixit, ſuſceptis ex ea ſeptem liberis & in his unico filio, quibus vero omnibus, unica excepta filia, fuerat orbatus. Quod vero præcipue hic eſt notandum, id eſt, quod beatus Grynæus circa hæcce tempora in Scripturæ S. Patrumque

que veterum itemque recentiorum ſcriptorum lectione atque meditatione adtentior, ſententiam illam, quam hactenus de S. Cœna foverat, meliora edoctus, depoſuerit, publice profeſſus: *Manducationem corporis Chriſti in S. Cœna non eſſe aliam quam myſticam, quæ tota ſit fidei & fide peragatur unice.* Sed talia cum protuliſſet, mox apud fratres in offenſa eſſe, imo, quum a. 1570. celebri illi Concordiæ formulæ ſubſcribere renueret, undique vir pius calumniis atque iniuriis cœpit laceſſi. Hæc autem, veritatem nihil negligens, patienter tulit, donec, divina ſic volente providentia, a. 1575. Sulcero Profeſſionem V. T. renunciante, eadem Profeſſio a Magiſtratu Baſilienſi ei fuiſſet oblata. Hanc nempe avidus accepit cumque ſuis Baſileam illico contendit, idque Marchione conſentiente, qui gratioſus non ſolum Grynæi noſtri fratrem, Theophilum, in fratris locum ſubſtituit, ſed & Eccleſiarum Marchicarum inſpectionem cum annuo honorario Grynæo jam Profeſſori continuavit. Novum iſtud munus adminiſtrans id unum egit, ut pie docendo ſcribendoque, cumprimis autem doctrinam de S. Cœna pure tradendo gloriæ Dei inſerviret. Quos vero labores, quæ pericula, quas contentiones, quas calamitates hoc tempore ſuſtinuerit, quod de Cœna Domini vere myſtica ſecus doceret, quam volebant, qui in Lutheri verba jurarant, dici vix poteſt, nec credere liceret, niſi nimium eſſet confirmatum. His tempeſtatibus per novem integros annos agitabatur Grynæus; anno vero 1584. cum Academiæ Rector eſſet electus, advenerunt literæ Joh. Caſimiri Ducis Palatinatus adminiſtratoris, quibus ad inſtaurandam Eccleſiam atque Academiam Heidelbergenſem a magiſtratu Baſilienſi petitur & ab eodem, ita ſuadentibus Academiæ proceribus, ad trimeſtre indulgetur. Graviora autem, quæ ibi inveniebat, negotia ejus moram ad biennium uſque protrahebant, quo tempore ipſi Principi boniſque omnibus ſuo ſtudio, conſilio atque pietate ſeſe reddidit probatiſſimum. Biennio iſto nondum elapſo, Grynæus noſter jam ſecunda vice Sulcero fuit ſuffectus, idque in graviſſimum Antiſtitis officium; accepto hoc nuncio Baſileam feſtinavit, munuſque ſuum a. 1586. pridie Cal. Febr. fuit auſpicatus ſummo piorum plauſu atque delicio. Mox vero iterum Heidelbergam uxorem liberoſque inde petiturus profectus eſt, & Principi, Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ atque Academiæ cum valedixiſſet, magna cum honorum teſtificatione fuit dimiſſus. Ab eo tempore Grynæus triplex Baſileæ munus obivit. In Eccleſia paſtoris S. Templi atque Antiſtitis, quod ſolum virum poſtulat fortem atque prudentem; huicque muneri concionando, ægrotos conſolando, conſulendo, moderando, eccleſias in agro viſitando aliiſque modis ex aſſe ſatisfecit. In Academia adminiſtranda ei fuit N. T. Profeſſio, in quam publice privatimque diligenter legendo atque diſputando totus vacavit. Tertium denique, quod ei incumbebat munus, erat viſitatio Gymnaſii, cujus prudentem ac ſtrenuum egit reformatorem; ſingulis etiam annis binis vicibus pro officio publice in choro S. Templi gymnaſii diſcipulorum actum celebravit promotorium, in quo præmia diligentibus diſtribuebantur & oratio admonitoria mox ad docentes mox ad diſcentes vernacula lingua habebatur. Extra ordinem etiam lectiones dedit hiſtoricas, quibus præter alios non raro Principes, Comites, Barones, Nobiles interfuerant; alia negotia, in quibus variæ fuerunt legationes eccleſiaſticæ, Mombelgardenſis, Mullhuſina, Bernenſis atque Lauſannenſis, nobis brevitati ſtudentibus ſunt prætereunda, in quibus omnibus ſingularem fidem, dexteritatem, prudentiam atque pietatem demonſtravit. A. 1596. Grynæo noſtro Rectoratum Acad. III. gerente, Templum cathedrale reſtaurari curavit Ampliſſ. Magiſtratus. Tunc Academia ad Pentecoſten 1597. ad ſumtus, qui impendebantur, maximos aliquantum ſublevandos ex peculio ſuo, ſubmonente Magiſtratu, contribuit libras 250. quo nomine inſignia Academiæ manu Hier. Fiſcheri ſumtu Acad. 15. librarum depicta, anno ſequenti majori, quæ in choro eſt, feneſtræ illata fuerunt, ubi adhuc conſpiciuntur. Ad extrema magni hujus viri properamus. Præter adverſitates, quas plurimas tulit acerbas, præter jacturam amicorum fere omnium, præter labores continuos atque arduos, præter ingraveſcentem ſenectutem, quæ ipſa jam morbus eſt, oculorum uſum ſ. ante obitum annis amiſit, & in concionibus, quas cœcus habuit, textum per Studioſum prælegi curavit; nec non haud raro dolores paſſus eſt colicos atque nephriticos, eoſque intenſiſſimos, quibus paulatim fuerat abſumtus atque conſumtus, donec lenta febris glorioſæ

ejus

ejus vitæ finem impoſuit glorioſum atque beatum, quod accidit d. 30. Aug. a. 1617.

Monumenta pietatis atque eruditionis ejus exſtant varia. Monumenta S. Patrum græcorum & latinorum orthodoxographa, 2. T. Baſ. 1569. fol. theſes de ſacramentis, de hominis reſtitutione & in epiſtolam ad Romanos, ib. 1574. 8. Commentarius in Haggæum, Gen. 1581. 8. theſes analyticæ in ep. ad Galatas, Baſ. 1582. 4. Troſtbüchlein in Peſtzeiten cum explicatione Pſ. 91. ib. eod. 8. diſp. de cenſura veræ & falſæ religionis, ib. 1583. 4. defenſio ſententiæ, quæ ſtatuit, pie facere principes & magiſtratus evangelici nominis, quando idola e templis & aliis locis publicis ex præſcripto legis divinæ ſubmovent, ib. 1583. Comment. in Malachiam, eod. 4. theoremata de agno Dei jam inde a jactis mundi fundamentis mactato, ib. 1584. 4. theſes de epiſcopo chriſtiano, ib. 1586. 4. theſes de ſacro ſenario teſtium de noſtra per Jeſum Chriſtum reſtitutione, ib. 1586. 4. demonſtrationes evangelicæ ex evangeliis & actis apoſtolorum, ib. 1587. 4. διδασκαλια de apoſtaſia, ib. 1588. 4. Diſputationes theol. in unum corpus collectæ, 2. T. Gen. 1584. 1586. 4. theorematum & problematum theol. P. 2. Baſ. 1589. 4. commonefactio de euchariſtia, Herborn. 1589. 8. theſes de ſerpentum progenie, Baſ. 1589. 4. Urim & Thummim ſ. de oraculo Dei in rebus obſcuris, 1589. 4. exegeſis ep. ad Romanos, Baſ. 1591. 4. theſes de ultimo adventu Jeſu Chriſti ad judicium, Baſ. 1595. 4. theſes de peccato originis, ib. eod. 4. Epiſtolarum ſelectarum l. 2. a Sculteto editi Offenb. 1612. 8. Epitome Bibliorum. Sciagraphia theologiæ ſecundum tres methodi formas. Character Chriſtianorum ſ. theſes de fidei, ſpei & charitatis doctrina, Baſ. 1578. 8. enarratio aliquot Pſalmorum, item Jonæ, Habacuci; explanatio Matthæi; commonefactio de officio piorum; axioma: Juſtus autem ſua fide vivet, Baſ. 1610. 4. concio germ. in quæſtionem: An tempore peſtis fuga ſit licita? ib. 1614. 4. chronologia brevis hiſtoriæ eccleſ. theorema de perfecta totius obedientiæ Jeſu Chriſti imputatione. De myſticis factis, quorum in Scriptura S. mentio fit &c. theſes de ſcala a terra ad cœlum pertingente; edidit etiam opera Irenæi &c. inſtitutionem de S. Cœna, germ. aliaſque conciones atque diſputationes. Epiſtolarum ejus 66. ab Apino editæ ſunt Norimb. 1720. 8.

Cum Grynæus iſte Heidelbergæ verſaretur, & Coccius ægrotaret, Sulcerus autem diu rude donatus fuiſſet, ſicque Theologicæ lectiones penitus intercidiſſent, a. 1584. conſtituti fuere ſuccenturiati, M. Chriſtian. Vrſtiſius, D. Joh. Brandmuller & M. Joh. Beatus Helius, qui partitis inter ſe tum horis & operis, tum ſtipendio Grynæi, Theol. Profeſſionem adminiſtrabant,

ſtrabant, donec de Ordinario deliberaretur. Ordinarius autem non fuit electus, niſi poſtquam & Sulcerus & Coccius N. T. Prof. fatis ceſſiſſent. Tum redintegratione horum muniorum adhuc dilata, ex tribus illis Vicariis

VII. CHRISTIANUS VRSTISIUS, Vet. Teſt. Profeſſor electus eſt d. 5. Aug. 1585. Vir fuit Vrſtiſius claris natalibus ortus, patrem habuit Pantaleonem Vrſtiſium, ſenatorem Baſilienſem, & lucem hanc primum adſpexit ineunte a. 1544. Græco nomine, ut tum moris erat, interdum ſeſe vocavit *Allaſiderum*, quod idem ſonat cum Germanico ejus nomine *Wurſteiſen*. Inde a puericia animum ad bonas artes adpulit, eaque uſus opportunitate, quam ipſi patria ſuppeditabat, Gymnaſium noſtrum frequentavit, ex quo ad audiendas publicas Philoſophorum lectiones a. 1558. emiſſus, a. 1560. primam Lauream & a. 1562. doctoris philoſophici titulum cum laude fuit conſecutus. Ad altiora jam adſpirans acrius ſtudiis, inprimis hiſtorico, mathematico atque theologico operam dedit, & in ſingulis ita fuit progreſſus, ut poſtea triplici muneri, triplici huic ſtudio reſpondenti, cum inſigni nominis ſui fama atque Reipublicæ atque Academiæ emolumento fuerit perfunctus. Primum, quod obtinuit, munus erat Diaconatus ad S. Theodori, a. 1564. electus, ei vero, quia difficulter petcipiebatur, ſeſquianno poſt dimiſſo, oblata fuit profeſſio Mathematica, quam adhuc juvenis a. 1564. obire cœpit. Ad altiora dein adſcendere fuit juſſus, eique Theologica cathedra fuit commiſſa, in qua primum vicarius a. 1584. & ſequenti anno Ordinarius V. T. expoſuit, retenta etiam matheſi, hinc & collegii philoſophici membrum permanſit; hoc novo & ab illo priori munere aliquantum diverſo ut ſecundum leges academicas rite fungeretur, de adſumendo Doctoris Theologi titulo meditabatur, Grynæi exſpectans Heidelberga adventum, quem promotorem deſideraverat. Illo autem a. 1586. reverſo, Vrſtiſius noſter eodem anno præter ſui opinionem ſed ſummo ſuo merito ad quartum a prioribus maxime diverſum, graviſſimum nempe Archigrammatei munus ab ampliſſimo Magiſtratu fuit vocatus, noſtrarum ſcilicet rerum peritia nullus tum erat civium, qui Vrſtiſium æquaret nedum antecelleret, & talem virum illa præſertim tempora requirebant. Spes itaque adfulgebat maxima,

viri

viri hujus peritiſſimi opera Rempublicam noſtram ad plures annos maximo ſuo commodo eſſe uſuram. Sed aliter erat in fatis. Accidit nempe, ut vir iſte pietate, prudentia, eruditione atque diligentia prorſus ſingularis in ipſo vitæ, laborum atque honorum decurſu acerba fatorum lege a. 1588. d. 30. Martii fuerit abreptus, relicta vidua Valeria Murer ſeptemque liberis, ex quibus filius Emanuel Medicinæ operam dedit, quam & Biennæ feliciter exercuit.

Vrſtiſii ſcripta varia exſtant edita atque inedita. Chronicon nempe majus itemque Epitome hiſtoriæ Baſilienſis, illud in Fol. Germ. a. 1580. hæc in 8, Lat. a. 1577. edita & a. 1752. cum aliis ſtudio J. Henr. Bruckeri, Hiſtor. Prof. recuſa. Poſterior etiam in Germ. ſermonem translata & inſignibus ſupplementis aucta prodiit Baſ. a. 1757. cura Venerandi Theologi & hiſtoriæ præſertim patriæ peritiſſimi, Jac. Chriſtoph. Beckii; illud vero, Chronicon majus cum auctario viginti annorum, ad a. 1600. continuatum, denuo edidit antiquarius noſter præſtantiſſimus, Dan. Bruckner, J. V. L. atque Reipublicæ Archivarius a. 1765. qui & alteram L. annorum continuationem hoc a. 1778. prelo ſubiecit. Collegit & Vrſtiſius Germaniæ hiſtoricos illuſtres ab Henrico IV. uſque ad a. 1400. Francof. 1585. fol. & 1670. editos; Deſcripſit & S. Templum Baſilienſe cum circumiacente regione, quæ deſcriptio nondum lucem publicam adſpexit, ſed ſcripta tantum intra privatos parietes deliteſcit. Edidit porro doctrinam arithmeticam; quæſtiones in Purbachii theorias planetarum, Baſ. 1568. 8. Collegit & duos codices diplomaticos, qui nuper emtionis jure ad ſummum Reipublicæ Magiſtratum Bibliothecæ Academicæ inſerendi tranſierunt. Alia ejus opera MS. hodie adhuc ab hæredibus ſervantur.

VIII. JOHANNES BRANDMULLERUS, quo, ut Ramus loquitur, Oecolampadianæ ſinceritatis germanior non erat ſucceſſor, natus eſt Biberaci in Suevia, patre Gregorio, matre Vrſula Bienera, civibus honeſtiſſimis, ſed ad operam reſtiariam detruſis, d. 4. Apr. a. 1533. Infantiam atque pueritiam egit cum ſumma modeſtia & obedientia. Adoleſcentem parentes, utut in tenui fortuna conſtituti, ad ſtudia inclinantem perſpicientes pio adfectu Tubingæ primum muſis tradiderunt; is vero paulo poſt a. 1551. Argentoratum & mox Baſileam petiit; hic cum diligentiſſime ſtudiis incubuiſſet, a. 1553. cum Sebaſt. Caſtalione ab Henr. Pantaleone ſummos in Philoſophia honores magna cum laude adeptus

tus est. Ad graviora jam sese convertit, & delibata Medicina & Jurisprudentia, paternæ voluntatis memor, totum se studio Scripturæ S. dedit, & Ministerii Candidatus ordinatus in agro nostro publicas conciones habuit. Perspecta ejus eruditione atque pietate, jam a. 1554. Pastor Tervillensis & Almesvillensis, anno sequenti Collegii Inspector & Professoris Rhetorices Vicarius & paulo post communi ecclesiæ consensu ad S. Theodorum Diaconus fuit constitutus. Porro d. 21. Maj. A. 1565. in eadem Parœcia Pastoratum obtinuit. In gerendo sacro hoc munere sese verum præstitit Pastorem. In docendo fuit perspicuus, in concionibus ardens & devotus, in Scriptura S. potens, in consolando amicus & gratus, in reprehendendo gravis & severus. Nullus apud ipsum personarum respectus, pauperis æque ac divitis patronus. Integer, rotundus & apertus, nullius offensæ aut odii tenax. Pacis & concordiæ studiosus, benignus & hospitalis, in pauperes officiosus & liberalis; elegantiorum ingeniorum fautor; in restituendis bonis moribus sedulus, hinc bonis omnibus acceptissimus. Non tantum autem Ecclesia sed & Academia tanto hoc Viro delectata ejus etiam dotibus eximiis perfrui optavit. Quo consilio ei d. 24. Febr. 1581. Professionem Hebraicam obtulit, quam una cum Pastoratu per quadriennium administravit. A. 1584. Theologiam vicario nomine docuit, & ejusdem anni d. 24. Jun. ab Huldricho Coccio, Theologo, tiaram doctoralem accepit; denique die 22. Sept. 1586. Vrstisio alio translato in Professione V. T. datus fuit successor. Frequens habuit literarum commercium cum Bullingero, Gualtero, aliisque Theologis Helvetiæ. Conciones fertur habuisse 11337. Ceterum in conjugio vixit duplici, in quorum primo 12. liberos, secundo vero unicum filium genuit, quorum quinque tantum funera patris viderunt; in quibus filius Jacobus patri ab a. 1589. ad vitæ usque extrema in Ecclesia fidum se præstitit administrum. Tandem dies ecclesiæ, academiæ ejusque familiæ tristissimus, ipsi vero lætissimus illuxit, quo, depositio quod mortale erat, beatam immortalitatem fuit adgressus; dies hic fuit 7. Mart. a. 1596.

Typis

Typis ab eo edita hæc sunt: *Dialogi XII. de fructibus fidei.* Germ. 4. *Conciones funebres atque nuptiales*, Lat. 8. Baſ. 1608. *Duo Dialogi de reſurrectione & vita æterna.*

IX. AMANDUS POLANUS a POLANSDORFF parentes habuit nobiles, Henricum ſyndicum & Martham Cominiam, a quibus genitus eſt Troppaviæ in Sileſia, natuſque d. 16. Dec. 1561. Primis doctrinæ elementis in patria inſtitutus, & a. 1577. ſcholæ Vratislavienſi commiſſus, integrum ſexennium ita tranſegit, ut feliciſſimi ingenii, indefeſſæ induſtriæ, proſperi ſtudiorum ſucceſſus, inculpatæ vitæ encomia meruerit. Ex iſta ſchola profectus adiit Tubingam, & doctores illius Academiæ audivit, præſertim Theologos, ſtudio enim ſacro jam totus erat devotus. Cum vero doctrinam orthodoxam præcipue quoad articulum de Electione ex Rom. IX. 11. publice privatimque adverſus Jac. Andream conſtantiſſime adſereret, ſicque gravia Theologorum complurium odia incurreret, ex conſilio amicorum a. 1583. Baſileam abiit, J. Jac. Grynæo de meliori commendatus. Occaſionem hic nactus Theologos probatiſſimos audiendi atque conſulendi utilitati ſuæ inſerviit, ſuamque in rebus divinis cognitionem haud parum promovit. Dein nobilioribus adoleſcentibus inſtruendis cum Baſileæ tum Genevæ, Heidelbergæ atque alibi per aliquot annos condixit operam, donec Baſilienſibus redditus, d. 29. Oct. 1590. ſummis in Theologia honoribus condecoratus, & ſexennio poſt d. 13. Apr. 1596. promotoris ſui Brandmulleri in exponendo V. T. ſucceſſor eſſet factus. Uxorem tunc duxit Mariam Grynæam, J. Jacobi, Antiſtitis, filiam, eaque defuncta Salomeam Waſſerhun. Uti Polanus linguarum hebraicæ, Græcæ Latinæque cognitione rerumque theologicarum tum quoad doctrinam tum quoad eccleſiaſticam hiſtoriam excelluit peritia, ita hiſce omnibus & aliis prodeſſe ſtuduit, in officio publico adminiſtrando diligentiſſimus, cumque etiam morum integritate fuerit ornatiſſimus, & hac via plurium Doctor evaſit. Etiam poſt mortem bonis literis prodeſſe quæſivit, cum in teſtamento Academiæ noſtræ 900. florenos legaverit, ex quorum reditibus ſtudioſus Theologiæ neceſſaria vitæ & ſtudiorum præſidia ſibi compararet. Poſtquam hoc modo commodis publicis paruiſſet, etiam a ſupre-

Digitized by Google

mo præmiorum distributore accepit præmium in cœlis perenne, quod corpore febri ardente consumto ei obtigit d. 17. Jul. 1610.

Libri ab eo consignati atque editi sunt: *Symphonia Catholica*, Bas. 1607. 8. Gen. 1612. 8. *Commentarius in Danielem; Analysis in Hoseam atque Malachiam*, Bas. 1597. 8. cui posteriori additæ sunt 4. Orationes acad., quarum una agit de vita & obitu *Oecolampadii*. *Didascalia de Prædestinatione*, ib. 1598. 8. *Plures Dissertationes theol.*, quæ collectæ editæ sunt Bas. 1597. 8. N. T. germ. 1603. 8. Mellificium in Symb. apost. Amberg. eod. Syntagma Theologiæ christ. Francof. 1655. fol. Comment. in Ezech. Bas. 1608. 4. Exegesis aliquot vaticiniorum V. T. ib. eod. 4. atque alia.

X. SEBASTIANUS BECK, Theologus suo seculo consummatissimus, diem natalitium habuit 1. Oct. a. 1583. parentes vero cives Basilienses honestissimos, Valentinum Beck & Martham Iseliam. Ab iis mature publico literarum ludo immissus, optimorum præceptorum diligenti institutione, puer sedulus atque obediens ita profecit, ut mox in castra academica fuerit translatus. Philosophiæ autem Studiosus creatus talis non nomine saltem sed & ipso facto esse voluit. Non enim Beckius noster ex vulgo fuit studiosorum, qui nullis artium humaniorum præsidiis instructi, illota veluti facie, ad sacra properant, studiaque præmatura in sanctuarium protrudunt; sed cum sacra Dei oracula studiorum metam elegisset, hoc solum sibi negotii in ista ætate dari credidit, ut clarissimorum Professorum ductu & auspiciis artium humaniorum stadium, quo decet studio, decurreret, nec animum ad divinioris Sapientiæ indaginem transmitteret prius, quam eum Philosophiæ solidioris ac purioris cognitione subegisset. Ita propædeuticis disciplinis rite instructus & Magisterii titulo condecoratus, animum ad realia adplicuit, & quidem studium S. Literarum excolendum elegit. Duces hic secutus est fidos atque optimos, J. Jac. Grynæum & Amandum Polanum, ordinarios Theologiæ Professores præstantissimos; horum institutionem atque consilium ita tenuit, ita horum vestigiis institit, ut absoluto sexennio ab ipso Grynæo dignus haberetur, cui, anno nempe 1610., Polano peste pie defuncto, vices Professoris Theologi demanda-

mandarentur; quam vicariam provinciam cum ſibi adjunctis itidem extraordinariis collegis, Wolfg. Meyero & J. Georg. Groſſio, ſumma fide atque diligentia adminiſtravit; utque publica hæcce inſtitutio & legibus Academicis convenientior eſſet majorique cum auctoritate fieret, ſequenti ſtatim anno 1611. d. 21. Maji trigæ huic virorum Grynæus Doct. & Ant. S. Doctoratus mitram impoſuit. Mox vero, nempe 5. Jun. 1612. Beckius ordinarius V. T. & 24. Febr. 1618. N. T. Profeſſor fuit electus, quo poſteriore munere ad dies vitæ ſumma cum laude erat perfunctus. Eodem hoc anno 1618. accidit, ut Belgica terra Arminianorum turbis inquietata tandem Synodum nationalem ex pleriſque Europæ Reformatæ Provinciis diſſenſionum ſedandarum cauſa convocaverit & etiam Magiſtratum noſtrum rogaverit, ut ſibi unum vel alterum Theologum eum in finem concederet. Adnuens Magiſtratus iſtud officii Beckio noſtro atque D. Wolfg. Meyero commiſit, qui una cum Reinh. Ryffio, Theol. Stud. iter eo ſuſceperunt & tandem ſalvi Dordraci advenerunt. In ipſa vero Synodo Beckius ut lites, ſalva tamen veritate, maturis ſanctiſque conſiliis ſopirentur, periculum fecit; nihil autem cum effeciſſet, veritatem ſtrenue adverſus adverſarios defendit, quod factum præcipue Seſſ. 78. ſic enim Acta perhibent: Febr. 11. a. 1619. *die lunæ poſt meridiem. Clariſſimus Vir Doctor Sebaſtianus Beckius ad omnia Remonſtrantium argumenta, quæ in Collatione Hagenſi adverſus efficacitatem gratiæ Dei in hominis converſione, & pro gratia reſiſtibili adducuntur, publice reſpondit.* Soluta Synodo Beckius cum honorum teſtificatione dimiſſus primum Angliam dein Galliam viſitavit, & luſtratis viſu digniſſimis atque ſalutatis Eruditis præcipuis incolumis ſuorum gaudio in patria advenit, & ſponſalia, quæ jam ante belgicum iter cum Anna Maria Burcard contraxerat, lætus complevit, ex qua deinceps undenam prolem, quaternam maſculam & fœmineam ſeptenam ſuſcepit, ex quibus tres filii atque unica filia ejus vitæ ſuperſtites fuerunt. In aliis negotiis Academicis Rectoratum quintum, & Decanatum Theol. raro vel unico exemplo vicies & quater omni fide atque dexteritate geſſit. Inter hos labores firma Dei gratia uſus valetudine ſenex ſine ſenio evaſit, & tandem vitam cum

morte, vel potius mortem cum vita commutavit d. 9. Mart. a. 1654. apoplexia percuſſus.

Edidit varias diſſertationes, de Scr. S. auctoritate, perfectione & neceſſitate, 1612. 1613. de Scr. S. lectione concedenda in lingua nota, eod. de Patris, Filii & Spiritus S. diſtinctione, eod. de æterna Spiritus S. deitate, eod. de invocatione ſanctorum, 1614. de juſtitia Dei punitiva, 1616. de libris apocryphis, 1620. de jejunio, 1621. de perſona Jeſu Chriſti, 1622. Theſes anal. in ep. ad Titum, 1622. 1623. de incarnatione Jeſu Chriſti, 1624. de adoratione ſanctorum, 1625. de ſacramentis papiſtarum erroribus oppoſita themata, 1626. de certitudine ſalutis fidelium, eod. de libero hominis arbitrio, 1627. de veritate divinæ & humanæ naturæ in Jeſu Chriſto incarnato, 1630. de fine paſſionis & mortis dominicæ, 1633. aliaſque; nec non ejus teſtimonium de doctura theol. J. Phil. Pareo Baſileæ collata editum eſt Hanov. 1647. 4.

XI. JOHANNES WOLLEB, Baſilienſis, natus eſt d. 30. Nov. 1586. parentibus probis atque honeſtis; patre Oſwaldo, ſenatore, cujus abavus ex Vria, Helvetiæ pago, oriundus, a. 1444. Baſileæ civitate fuerat donatus. Puer in ludum literarium patrium ablegatus pro ingenio omnium doctrinarum capace in literis adeo profecit, ut mature admodum Philoſophorum publicis lectionibus traditus & primam & ſecundam in Philoſophia lauream obtinuerit. Philoſophico jam redimitus diademate, feſtino curſu ſapientiæ cœleſtis adyta intrat & incredibili ſedulitate in ſtudium ſacrum incumbit. In divini verbi miniſtrorum ordinem cum fuiſſet receptus, non ita multo poſt a. 1607. Communis in urbe noſtra Diaconatus & a. 1611. Paſtoratus ad S. Eliſabethæ ei fuit commiſſus. Poſtea cum in artibus & linguis, maxime vero in S. Theologia inſignem doctrinam variis ſpeciminibus comprobaſſet, & inprimis in ſacro Verbi miniſterio magna fide, diligentia, morum integritate, auditorumque cum fructu & adplauſu annos fere octo verſatus fuiſſet, poſt beatum D. Grynæi obitum a. 1618. d. 21. Jul primum ad ſummi templi Paſtoratum, cum ſancto piorum gaudio, dein in locum D. Seb. Beckii ad N. T. Profeſſionem promoti, d. 23. Oct. 1618. ad cathedram V. T. fuit vocatus. In utroque hoc officio cum aliquandiu ſingulari cum dexteritate & laude verſatus fuiſſet, ab ampliſſ. Senatu academico aliiſque bonis & pruden-

Digitized by Google

prudentibus viris, ut ſecundum conſuetudinem Academicam, gradum Doctoræ peteret & ſuſciperet, admonitus eſt. Facultatis ergo legibus ſe ſubjiciens, iiſdem publice privatimque egregie ſatisfecit, & inter alia diſputationem inauguralem de divina prædeſtinatione dextre ſuſtinuit; ſicque tandem d. 30. Nov. 1619. in brabeuterium publicum honorifice productus, cum prius de veri ſenſus Scripturæ S. & controverſiarum religionis judice præclare diſſeruiſſet, honoribus officio & virtutibus ejus debitis, Doctoratus Theologici gradu & inſignibus in maxima ſpectatorum frequentia νομιμως condecoratus fuit a Sebaſt. Beckio Decano & Promotore, qui paucis poſt diebus eundem D. Wollebium in Facultatis Theologicæ collegium cooptavit. Tandem Wollebius pietate defunctus optatam curſu contigit metam d. 24. Nov. a. 1629., quo peſtis contagione infectus naturæ debitum perſolvit, relictis duobus filiis, Joh. Jacobo & Theodoro, illo ad D. Eliſabetham, hoc ad S. Martinum paſtore, prius Linguæ Græcæ Profeſſore, qui vero ambo eodem anno 1667., ille 54., hic 42. ætatis anno itidem ex peſte mœſta morte fuerunt defuncti.

Ex ſcriptis D. Wollebii præter plures conciones funebres, quæ majori ex parte junctæ prodierunt a. 1657. 4. præterque complures diſſertationes academicas typis expreſſas præcipue notandum eſt *Compendium chriſtianæ Theologiæ*, Baſ. 1626. & 1634. editum, quod ob concinnum ſuum ordinem atque ſoliditatem a pluribus doctoribus publicis commendatum & in prælectionibus fundamenti loco poſitum, etiam, quod tum temporis præſtantiſſimis tantum contingebat ſcriptis, in anglicum ſermonem translatum & typis excuſum fuit ſub nomine *Wollebius chriſtian Divinity.*

XII. THEODORUS ZUINGER, Theologus doctrina, pietate veroque zelo nobilitatus, diem natalem, qui erat 21. Nov., vidit Baſileæ a. 1597. parentem veneratus eſt Jacobum Zuinger, Phil. & Med. Doct. Linguæ Græcæ Profeſſorem P., magni illius Philoſophi, Polyhiſtoris atque Medici, Theodori. Zuingeri, filium, matrem vero Juditham Brand. Inter paternas publicorumque præceptorum inſtitutiones crevit puer ætate & ſapientia indies profecit. Sed vix dum inter Philoſophiæ cultores fuit receptus, caſu concuſſus fuit acerbiſſimo, parentem nempe utrumque eodem die, ſex fortaſſe horis

ris interſitis, peſte correptos amiſit d. 11. Sept. 1610. Jugum ergo tulit jam in pueritia, idque ſuo bono; cœleſti nempe Patri ſe pietate atque obedientia magis magiſque conjungens, etiam Ejus opem expertus eſt eximiam; non enim perpetuo deſerit Dominus, ſed idem & adfligit, & pro ſua ſingulari clementia miſeretur; ita ut illud Davidis ſuum facere atque gloriari potuerit: *Me pater materque deſerunt, ſed tu, Domine, Deus ſalutis meæ, me receptas.* Philoſophicis jam diſciplinis atque ſapientiæ ſtudio diligenter cum incubuiſſet, præmia ſolennia, & quidem priora ex manibus Frid. Caſtalionis a. 1611., magiſtralia autem a. 1613. ex manibus Frid. Wertenbergii accepit. Sublimius jam ſtudium electurus diu hæſit in ancipiti, num Theologiam an vero Medicinam ſuam faceret. Ab una parte eum ſuſpenſum detinebant ipſi non ignota vota paterna, quibus eccleſiæ miniſterio erat dicatus, ab altera vero imagines atque exempla avi patriſque, bibliotheca medica inſtructiſſima, liberalitate quoque Guilielmi Aragoſii parentis ipſius luſtrici ſplendide aucta, itemque adparatus inſtrumentorum chymicorum aliarumque rerum huc pertinentium a beato parente magnis ſumtibus acquiſitus, tandem Medicinæ detulit primas, & paternum ſtudium ingreditur. Eo autem vix inchoato in morbum hungaricum incidit, quocum ut conflictatur, & fere ſuccumbit, pia ſupremo Archiatro nuncupat vota, ſi reviviſcere dederit, eidem in eccleſia perpetim ſeſe inſerviturum. Sanitati reſtitutus promiſſis, ut par erat, ſatisfecit & ſtudio ſacro nomen dedit. Scholam igitur theologicam ingreſſus in ea ſibi non otiandum ſed laborandum eſſe duxit, ut tantus ex ea exiret, quanti e medica proceſſerant ejus Majores. Inſtrumentalibus itaque primum diſciplinis, linguæ latinæ, græcæ atque hebraicæ, logicæ, hiſtoriæ, antiquitatibus atque aliis, dein & realibus, lectioni atque meditationi Scripturæ S., theologiæ dogmaticæ atque polemicæ pernox atque perdius vacavit, omneque tempus literis dedit ſanctiſſimis; præcipue vero aureum illud volumen, Calvini inſtitutiones chriſtianæ religionis omni cogitatione pertractavit & quaſi in ſuccum & ſanguinem mutavit; etiam ſub Doctorum ſuorum præſidio ſæpe in arenam deſcendit, ſæpeque in ſuggeſtum aſcendit; donec annos quatuor in hiſce ſtudiis verſatus ad S. Miniſterium fuit admiſſus.

Quo

Digitized by Google

Quo facto a. 1617. iter literarium in Germaniam, Belgium atque Angliam cum fructu ſuſcepit, per Galliam redux patriæ redditur, in qua mox diligentiæ præmia accepit. Anno nempe 1619. Communis Diaconatus, a. 1620. Archidiaconatus, anno ætatis 23. nondum exacto, & ſeptennio elapſo, a. 1627. Paſtoratus ad D. Theodori ei fuit delatus; quibus omnibus muneribus tam induſtrie præfuit atque dextre, ut conſummati Theologi ſpem cominus adfulgentem excitaret. Biennio poſt dira lue urbem univerſam depopulante, etiam præter Paſtores Petrinum & Leonhardinum, vir de eccleſia, academia, civitate meritiſſimus Joh. Wolleb, S. Th. Doct., V. T. Prof. atque Antiſtes ſummo civitatis luctu atque damno abreptus, ſoluſque ex Paſtoribus quatuor urbis Zuingerus noſter, ſpes altera Baſileæ, fuit relictus, qui tamen & ipſe febre, extrema quævis minitante, laborabat, ſed Dei gratia ex morbo convaluit & Cal. Jun. a. 1630. publico ſub adplauſu Eccleſiarum noſtrarum Antiſtes ſummique templi Paſtor fuit electus, ſicque Noſter, quemadmodum beatus ejus parens puerulum die Oecolampadii emortuali natum ipſius ſucceſſorem fore optaverat, Oecolampadii ſuggeſtum & ſimul cum Profeſſione V. T. ejuſdem cathedram obtinuit; pro more etiam d. 30. Nov. ejuſdem anni publice Theologiæ Doctor fuit proclamatus, poſtquam antea quæſtionem inſignem: *quid de Majorum noſtrorum, qui ſub Papatus tenebris vixerunt, ſalute ſentiendum ſit*, luculenta oratione diſcuſſiſſet. A. 1629. ſæviente peſte, etiam viliſſimas caſas imperterritus intrabat, cumque Medicis deſtituerentur, domo mittebat pharmaca pauperibus, & conſilia ſuggerebat a Majoribus accepta. Ex cathedra vero V. T. pro Patrum academicorum decreto a. 1654. ad N. T. transire debuiſſet, niſi aliter a Deo fuiſſet decretum. Sub finem ejus anni enim in morbum incidit graviorem, cui & ſuccubuit die 27. Dec., ſicque in eo amiſit eccleſia Paſtorem fidelem, vigilantem, prudentem, qui toti gregi proſpexit, omnium ordinum ſanos atque ægrotos diligenter viſitando, inſtruendo, conſolando, commonendo, diſciplinam eccleſiaſticam urgebat graviter, miniſterii dignitatem tuebatur fortiter, ſcholas obſervabat diligenter, Miniſtris dabat conſilia prudenter, eos amabat intime, pacem colebat ſancte; ſed & Academia damnum paſſa eſt graviſſimum, Theologo orbata pio

ac

ac erudito, diligenti ac indefeſſo operario, ſenatore prudente, ſtudiorum promotore illuſtri. Verum & ejus domus columnam deperdidit unicam; uxor maritum ſuaviſſimum, liberique patrem deplorarunt ipſos adamantem. Duplex autem beato Zuingero fuerat conjugium, unum cum Anna Maria Wertenmann d. 20. Aug. 1621. celebratum, ex qua filiolum ſuſcepit, quem autem duodecennem ex morte amiſit; alterum cum Magdalena Buxtorff, Johannis Prof. filia, iniit connubium, quæ quinque ei liberos, duos filios filiaſque tres peperit, ex quibus duo in juventute mortui, filius autem Johannes paternam cathedram occupavit, filia Margaretha nobili viro Phil. Adamo Fabro, & altera Maria Magdalena Lucæ Gernlero, Antiſtiti Baſilienſi meritiſſimo nupſit.

Scripta Zuingeri publica hæc ſunt: Theſes de quæſtione: *an electionis noſtræ decretum nitatur fide præviſa?* quas ſub præſidio Altingii Heidelbergæ d. 5. Jul. 1617. alacriter defendit. *Theatrum ſapientiæ cæleſtis* ſ. *analyſis inſtitutionum Calvini*, 1652. 4. *Analyſis epiſtolæ ad Romanos*, 1655. 4. plures *diſputationes theol.* atque *conciones* XI. *funebres vero conciones* CXLV.; præſertim vero ſermone germanico: *Explicatio doctrinæ de S. Cœna*, 1655. 4. in quo egregio libro in aliis etiam cauſas reddit atque ſeſe contra ſecus ſentientes defendit, quod ipſo ſuadente atque urgente duo, qui ex Papatu hactenus reſervati fuerant, defectus fuerint ſarciti; nempe loco panis orbicularis tenuiſſimi, qui hoſtiarum nomine notus eſt, panem ordinarium atque fermentatum introduci, & cum antea iſtæ hoſtiæ integræ diſtribuerentur, hunc panem ſingulis fractum porrigi curavit, ut ita fractio corporis Chriſti in memoriam rituſque ab ipſo Chriſto adhibitus in uſum revocetur; idque peregit omnibus fratribus in generali Synodo conſentientibus, ſummoque Magiſtratu probante atque confirmante; hocque modo S. Cœna magno cum adplauſu & gratiarum actione, tantoque cum fidelium confluxu, ut nunquam antea frequentiores viſæ ſint ſynaxes, primum in S. Templo fuit celebrata poſtridie Cal. Oct. an. 1637.

XIII. JOHANNES BUXTORFF, vir ſuis majorumque meritis longe celeberrimus, in lucem editus eſt Baſileæ d. 13. Aug. 1599. magno filio pater obtigit magnus, Joh. Buxtorff, Linguæ Hebrææ in Academia Baſil. per 40. annos Profeſſor meritiſſimus, mater autem Margaretha

retha Curio, gente nobili atque literata oriunda. Filium pater adhuc balbutientem primis latinæ, græcæ & hebraicæ linguæ rudimentis ipſe intinxit etiamque quadriennem ludo literario publico iiſdem literarum elementis inſtruendum tradidit. Accepta inſuavi ad ſuaviora ſtudia præparatione, expleto ætatis a. 12. in lucem academicam fuit emiſſus, & pro ingenii felicitate animique alacritate non tantum ætate pares longe poſt ſe reliquit, ſed & natu majores ſcientiis philoſophicis præcurrit. Poſtquam primam atque ſecundam lauream philoſophicam, & quidem hanc ab ipſo parente, fuit adeptus, anno æt. 16. ſtudium theologicum excolendum elegit, in quo, methodo uſus optima, ita fuit progreſſus, ut primo tractaret philologica, atque præſertim linguas Scripturæ S. originales penitius addiſceret; potiſſimum autem pro innato ſibi deſiderio indefeſſam operam poſuit in accuratiorem linguæ hebrææ cognitionem, quam ut obtineret, etiam chaldaicæ atque ſyriacæ dialecti ſibi notitiam comparavit; ſtudio vero rabbinico inprimis delectabatur, & ſub ſignis paternis ſcripta Rabbinorum philoſophica, hiſtorica, theologica perlegit, Maſoram etiam, allegoricos atque cabbaliſticos commentarios, quin utrumque Talmudem avidis oculis perluſtravit, ſicque rerum Judaicarum, etiam abditiſſimarum, peritiam acquiſivit perfectiorem. Sed hiſce propædeuticis Buxtorffius non ita inhæſit, ut realia negligeret, quin in ipſam Theologiam ſimul multum curæ atque laboris inſumſit, non ſolum publicos Doctores ſanctos atque eruditiſſimos, Grynæum, Beckium atque Wollebium frequenter audiendo, ſed & præter Scripturam S. ſcripta præſertim Vrſini, Zanchii atque Calvini diligenter volvendo atque meditando. Hiſce ita inſtructus ſcientiis primo a. 1617. Heidelbergam, dein a. 1619. Dordracum petiit, illic magnos Theologos, Pareum, Scultetum, Altingium, hic plures Synodi Patres venerabiles ſalutavit, audivit ſibique conjunxit. Synodus Dordracena cum ad finem veniſſet, Noſter cum legatis Baſilienſibus, Beckio atque Meyero, regiones Batavas peragravit & in Angliam trajecit; inde reverſus & Galliam luſtravit, tandemque Baſileæ ſalvus iterum advenit. Hic mox tentaminibus atque examinibus Theologorum ſeſe ſubjecit, iiſque cum laude ſuperatis Evangelii Miniſter fuit ordinatus. Genevam dein anno ſc. 1623.

Digitized by Google

1623. adiit & non tam celeberrimorum Theologorum discipulum quam complurium non tyronum tantum sed & magistrorum in literatura hebraica egit magistrum. Fama eruditionis ejus sparsa, illustrissimæ Reipublicæ Bernensis proceres ei cathedram Logicæ Lausannensem obtulerunt, quam modeste renuit patriamque repetiit. Hic anno jam 1624. communis ecclesiæ Basiliensis Diaconus & post triennium ecclesiæ Petrinæ Diaconus, annoque 1630. in locum Buxtorffii Patris pie defuncti Professor Linguæ Hebrææ fuit designatus, quam ultimam provinciam, gregi cum ipse, ipsique grex iste fuerit charissimus, ægre & non nisi ex consilio medicorum, qui duriores concionatoris labores imbecilliori ejus corpori noxios judicabant, suscepit. Hanc cathedram cum jam per duodecim annos ornasset, sufficientibus ad id permotus causis, d. 30. Jun. a. 1642. Doctoratus Theologici gradum una cum Frid. Spanhemio adscendit. Hic Spanhemius Geneva ad professionem theologicam Lugduni Bat. obeundam vocatus, cum aliis auctor fuit, ut Buxtorffius noster mox a Groningensis, mox a Lugdunensis Academiæ curatoribus ad Hebraicas literas docendas lautis conditionibus accerseretur. Qua re comperta, nostræ academiæ proceres omne studium in viro tam erudito retinendo collocarunt, & suis monitis effecerunt, ut jam diu exoptata tertia Professio Theologica, nempe Locorum communium atque controversiarum; ab amplis. Magistratu crearetur & Buxtorffio nostro offerretur, quod factum d. 30. Jan. 1647. eamque acceptam d. 8. Apr. h. a. feliciter fuit auspicatus. Omni fide autem cum novam hanc professionem una cum hebræa per septennium administrasset, nova provincia ei fuit commissa d. 1. Sept. 1654., nempe Veteris Testamenti explanatio, quam Hebrææ professioni, quam ad dies vitæ retinuit, magis convenientem lubens suscepit, & pro viribus ut & munus bibliothecarii, cui per aliquot annos præfuit, diligentissime gessit atque optime. Sed tot tantisque laboribus vir optimus tandem succubuit. Pluribus jam morbis, crebris distillationibus, febribus, dysenterico atque crudelissimo malo hypochondriaco jam diu vexatus atque debilitatus, tandem d. 17. Aug. a. 1664. morte occumbens triumphavit. In coniugio quater vixerat Buxtorffius, 1. a. 1627. cum Helena Wertenmann, 2. hac defuncta sesquianno post

cum

Digitized by Google

cum Salomea Werenfels; 3. puerperio iſta exſtincta, a. 1634. cum Juditha Epiſcopia & denique & iſta ſibi a. 1637. abrepta, quadriennio elapſo cum Eliſabetha Lützelmann, quæ itidem ſeptennio ante maritum deceſſit. Ex ſingulis ſuſcepit liberos, qui plerique in juventute fuerunt ex mortalitate abrepti, excepto Johanne, conjugii tertii prole, qui deinceps Senator atque Satrapa Varnsburgenſis fuit electus, & Joh. Jacobo, ex quarta uxore nato, qui Parenti in Profeſſione Hebræa ſucceſſit. Quanti Buxtorffius noſter ab Eruditis ſui temporis fuerit habitus, teſtantur eorum elogia & amicitiæ cum ipſo contractæ, itemque commercium epiſtolicum, quod habuit cum muſis Angliæ, Belgii, Galliæ atque Germaniæ, itemque cum Romanæ eccleſiæ, nec non Judaicæ ſynagogæ præſulibus; quæ ſingulæ ad ipſum datæ epiſtolæ, XII. Tomis in fol. comprehenſæ, nec non Buxtorffii ſcripta inedita, ut ſunt: *Critica S. Abarbanelis commentarius in Danielem ab ipſo in latinum translatus &c.* in Bibliotheca publica Baſil. adſervantur.

Edidit: Lexicon chald. & ſyr. Baſ. 1622. 4. conſilium univerſale de ſtudio hebraico methodice, compendioſe & utiliter inſtituendo & promovendo, quod editum eſt cum epitome grammaticæ hebr. Buxtorffii, patris, 1629. 1658. &c. R. Moſis Maimonidis doctorem perplexorum ex hebraico in latinum translatum, Baſ. 1629. 4. Concordantias hebr. Baſ. 1632. fol. Mercurium quadrilinguem, 1633. 8. Lexicon chaldaicum, talmudicum & Rabbinicum, ib. 1639. fol. diſſ. de nominibus Dei hebr. 1640. & 1645. diſſ. in Gen. I. 1. 2. 1641. Quæſtiones de Scriptura S. 1642. Exercitationem de hiſtoria S. Cœnæ, eod. diſſ. de decalogo in genere, 1643. diſſ. de incarnatione Filii Dei, eod. diſſ. de linguæ hebr. origine & antiquitate, 1644. 1645. diſſ. de perſeverantia Sanctorum, 1644. diſſ. de linguæ hebr. confuſione &c. 1645. diſſ. de linguæ hebr. conſervatione &c. eod. diſſ. de literarum hebr. genuina Antiquitate, eod. diſſ. de primæ Cœnæ Dominicæ ritibus & forma, eod. diſſ. de Antichriſto, 1646. Vindicias exercitationis de inſtitutione S. Cœnæ, contra Cappellum, eod. 4. diſſ. de Scriptura S. 1647. diſſ. de Baptiſmo, eod. diſſertationes in decalogum IX. 1647—1664. Tractatum de punctorum vocalium & accentuum V. T. origine, antiquitate &c. 1648. 4. Florilegium hebr. eod. 8. diſſ. de exemtione Clericorum, 1649. diſſ. de Scripturæ S. efficacia, eod. diſſ. de libero hominis arbitrio, 1651. diſſ. de ſufficientia meriti Chriſti, eod. diſſ. de prædeſtinatione divina, eod. diſſ. de communicatione idiomatum &c. 1652. diſſ. de abominatione miſſæ,

missæ, eod. diss. de legis & evangelii convenientia & discrepantia, eod. diss. de fide, eod. diss. de justificatione, eod. diss. de sponsalibus & divortiis, cum Abarbanelis diatriba de pœna excidii, eod. diss. de primatu Petri, 1653. diss. de Scriptura S. eod. diss. in 1. Joh. I. 7. eod. Anticritica contra Cappellum, eod. 4. diss. de Ecclesia, 1654. diss. de fide salvifica, eod. diss. de providentia Dei actuali, eod. diss. de libertate christiana, 1655. diss. de Conciliis, eod. diss. de bonis operibus, eod. diss. de sanctificatione, eod. diss. de peccato originali, eod. diss. de promissis & minis 1656. diss. de forma unionis personalis in Christo &c. 1657. Exercitationes ad historiam arcæ fœderis, ignis sacri & cœlestis, Urim & Thummim, Mannæ, petræ in deserto & serpentis ænei, 1659, 4. diss. de raptu Eliæ in 2. Reg. 2. 1660. Librum Cosri s. colloquium de religione, hebr. & lat. c. n. eod. 4. diss. de longævitate primorum parentum, 1662.

XIV. Lucas Gernler, Theologus eruditione & exquisito judicio præstantissimus, ortus est parentibus optimis, civibus Basiliensibus honestissimis, patre Johanne Gernlero, venerando ecclesiæ Petrinæ pastore, matre Maria Just, Henr. Justi, pastoris Petrini atque Professoris celeberrimi filia; incidit ejus nativitas in d. 19. Aug. a. 1625. A piis parentibus puer pie educatus fuit & gymnasio nostro publico commissus, quod cum a. 1640. reliquisset, humanioribus literis adsiduam dedit operam, & in philosophicis scientiis haud vulgarem sibi comparavit cognitionem; utraque philosophica laurea ornatus ad altiora tetendit, & ad patris avique exemplum Deo atque ecclesiæ se totum devovit. In nova hac schola iterum omnem adhibuit industriam, sacrarum Scripturarum lectioni gnaviter incubuit, libros theologicos sedulus perlegit, linguas sacras exacte addidicit, exercitia disputatoria atque concionatoria frequenter peregit, sanamque atque solidam Theologiam ex puris præceptorum aliorumque auctorum fontibus hausit; non tamen philosophica neglexit, sed ex lectione auctorum optimorum & stilum suum formavit, latini sermonis puritatem atque elegantiam adsecutus, & historiarum, antiquitatum aliarumque utilissimarum rerum thesaurum collegit, ex quo mature nonnulla depromta disputationibus philosophicis, physicis, ethicis atque politicis ab ipso emissis inseruit. Ante tempus consuetum sicut philosophicos honores obtinuit, ita & nondum finito theologici

logiei ſtudii tempore, ſcientia enim annos antevertit, a. 1645. in numerum S. Miniſterii candidatorum fuit receptus, præſtitis cum laude iis, quæ erant præſtanda. Miniſter ordinatus deſiderio flagrabat & exteras eccleſias viſendi, & primo quidem ſe contulit Genevam, purioris doctrinæ ſedem antiquam; hinc anno ſequenti profectus, Lugdunum Gallorum atque Pariſiorum Lutetiam, poſtea Angliam, in reditu Belgium atque Germaniam non tantum a limine ſalutavit, ſed præcipue harum regionum Theologos celeberrimos inquiſivit, a quibus humaniſſime exceptus multum honoris atque ſcientiarum accepit, quorum etiam multos ſibi perpetuos amicos conciliavit, ut plurimæ ad ipſum datæ epiſtolæ hodie in archivo Eccleſiaſtico ſervatæ abunde teſtantur. In patriam reverſus Gernlerus mox publicis negotiis fuit adhibitus. Initium fecit in aula nobiliſſimi ac ſtrenuiſſimi Domini Joh. Lud. ab Erlach, Domini in Caſtell, chriſtianiſſimi Galliarum regis præfecti militum, præſidis Rheni & gubernatoris Briſacenſis, cui a concionibus fuit per octo circiter menſes. Baſileenſis eccleſiæ communis Diaconus a. 1649. electus hocce munus omni adſiduitate curavit. Triennio tranſacto duxit uxorem Mariam Magdalenam Zuinger, Theodori Antiſt. filiam, quæ ei novem liberos peperit, quorum quatuor ſtatim a partu, primogenitus Theodorus decennis & Lucas novennis, deceſſerunt, Joh. Henrico, Theodoro altero & Maria Magdalena, patri ſolatio relictis. A. 1653. Gernlero munus Archidiaconi fuit commiſſum & anno 1656. ipſe S. Templi Paſtor atque Antiſtes ſimulque d. 25. Jan. 1656. Profeſſor Loc. comm. & controv. Theol. magno conſenſu fuit electus, quam ſpartam poſtea d. 3. Mart. 1665. cum V. T. profeſſione permutavit, poſtquam antea d. 22. Apr. a. 1656. Theologiæ Doctor publice fuiſſet renunciatus, habita oratione de illuſtri quæſtione: *An & quatenus electi de ſua electione & ſalute hoc in ſeculo poſſint ac debeant eſſe perſuaſi?* Qua ratione, qua dexteritate atque prudentia, qua pietate atque diligentia, quo cum fructu atque utilitate Gernlerus ſingula hæc graviſſima munia obierit, ſi eſſet commemorandum, integrum volumen eſſet ſcribendum. Sufficiat verbo ſignificaſſe, eum ex aſſe omnibus ſatisfeciſſe officiis, ſidumque ſe Deo præſtitiſſe operarium, quæ ſumma laus jure habetur. Non poſſumus tamen

nobis temperare, quin nonnullas, pium ejus zelum testantes, actiones notemus. Gernlerus primus fuit auctor Magistratui fundandi orphanotrophæi domusque disciplinaris, & licet plures atque duriores ei positi fuerint obices, non tamen destitit, donec utilissimum hocce institutum perficeretur. Formulam illam consensus helveticam novatoribus oppositam omni, quo potuit, ardore ursit atque promovit, prudenti tamen usus moderatione. Preces publicas hebdomadarias non nisi in uno civitatis templo fundi solitas omnibus cœtibus fecit communes. Sclopetariorum & Sagittariorum exercitia, ut & solennia in tribubus celebrata convivia, ex die dominica in profanos reiecit. Gymnasium nova classe adauxit. Bibliothecæ Academicæ tunc cimeliarchio Amerbachiano, pretio 9000. florenorum comparato, & bibliotheca Hagenbachiana, ab ejus possessore testamento legata, insigniter auctæ a Magistratu locum & ampliorem & augustiorem, quem adhuc occupat, impetravit. Tempus denique advenit, ipsi quidem mature sed civitati nostræ præmature, quo laboribus exemtus laboris mercedem acciperet; ei hoc obtigit d. 9. Febr. a. 1675. qua pia ejus anima corpore soluta ad cœlestia gaudia fuit translata.

Præter complures *conciones funebres*, quæ junctim editæ sunt 1678. 1685. 4. aliaque *conciones germanice* editas, in quibus notandæ XXX. quas tempore pestis in 2. Sam. 24. habuit & edidit a. 1674. 4. Latina Gernleri scripta hæc sunt: *Diatribe de origine animæ rationalis* 1651. *Disputationes XI. in confessionem helv.* 1661—1674. variæ aliæ *dissertationes Theol. Oratio* in obitum *Seb. Beckii* 1655. & *Joh. Buxtorfii* 1665. *Oratio secularis de Academiæ Basil. ortu ac progressu* 1660. opusculum, quod hodie adhuc plurimorum admirationem, pauciſſimorum vero habet imitationem. Nondum typis exaratum hinc inde adhuc reperitur *Collegium* Gernleri in *Syllabum controversiarum Theol.*, non quidem absolutum, morte, ut finem imponeret, ipso præpedito.

XV. JOHANNES ZUINGER, durum illud Pontificiorum flagellum, usuram vitæ primam cepit Basileæ d. 26. Aug. a. 1634. de stirpe genitus pia atque præclara, patre nempe Theodoro Zuingero, S. Theol. Doct. atque Prof., ecclesiæque Basil. Antistite, matre vero Magdalena Buxtorff, Joh. Buxtorffii S. Th. Doct. & Prof. filia. Puer trivia-

trivialis ſcientiæ magiſtris traditus ipſorum auditiones adeo coluit adtente, ut jam a. 1647. in Academiam fuerit translatus. Hic otium & tempus in artibus ingenuis contrivit & omnibus diſciplinis philoſophicis eruditus a. 1648. primam lauream, annoque 1650. magiſterii dignitatem obtinuit. Jactis feliciter fundamentis iſtis, animum jam ad altiora, nempe ad exemplum, monitum atque votum venerandi Parentis, proprio etiam genio invitatus, ad ſtudium ſacrarum Literarum adplicuit. Hoc fine Theologorum ſcholas frequenter adibat & ab eorum ore totus pendebat. Quamvis enim ingenio præ aliis polleret, non tamen, ſpretis Magiſtrorum conſiliis, αυτοδιδακτος eſſe ſtudebat; quin divini memor præcepti legem ab ore ſacerdotum petebat, probe perpendens, αυτοδιδακτους facile in novatores degenerare, & plerumque in eorum cenſum venire, quos ſcientia inflat. Non tamen, quod alterum extremum eſt, in verba juravit magiſtrorum, ſed ab iis audita domi exacte examinavit, an ita ſeſe haberent; in lectionibus excepta privatim diligenter repetiit; ad lectiones audiendas rite ſe præparavit; Sacram Scripturam, ſyſtemata theologica, autoreſque alios volvit atque revolvit; cum amicis de rebus divinis contulit; nec non publica exercitia diſputatoria, in quibus mox actorem, mox defenſorem, egit, frequentavit. Ita regni cœleſtis res edoctus, & veteris novique Teſtamenti doctrina imbutus ex promtuario ſuo & recentia depromere potuit & vetera; adiit ergo ſacerdotes, ſeſeque iis oſtendit examinandum, facultatem ab iis petens, & alios docendi, quæ ipſe didicerat. Hæc haud gravatim ipſi conceſſa, iſque a. 1654. S. Miniſterio fuit initiatus. Peregrinandi dein eum invaſit libido, & primo quidem linguæ gallicæ addiſcendæ cauſa Genevam contendit, ubi anno adhuc 1654. de peccato originali publicam diſputationem ſuſtinuit; Parentis lethalis morbi nuncio accepto, præcipitato curſu Baſileam remigravit; poſt paternas exſequias, quibus vix intereſſe potuit, denuo Genevam petiit, ibique germanici cœtus paſtor fuit electus. Cum autem continua ibi febre laboraret, poſt octimeſtre ex conſilio medicorum Genevæ valedixit & Baſileam redux a. 1656. publice a ſe ſcriptam de Satisfactione Chriſti diſputationem defendit. Eodem anno Heidelbergam, Vltraiectum, Amſtelodamum, Lugdunum Bat., Groningam,

ningam, hinc peſte pulſus Bremam, &, peſte & hic graſſante, Marburgum viſitavit, Eruditorum præcipue conſortium quærens atque amicitiam, quam & facile obtinuit. Hic poſtquam de libero hominis in converſione arbitrio publice diſputaſſet, reditum in patriam paravit, in qua ſalvus advenit d. 3. Oct. 1656. eadem hora, qua in Senatu Academico ομοθυμαδον Profeſſor Linguæ Græcæ fuit deſignatus, quam profeſſionem ſtatim ipſis idibus Nov. fuit auſpicatus. Sequenti anno fauſto omine nuptias celebravit Græcus cum virgine non fide græca, πιστον γαρ ελλας οιδεν ουδεν, ſed virtute germana, Eſthera Burcard, quæ eum undena prole patrem fecit, non niſi autem quatuor filii & unica filia ad adultam ætatem pervenerunt, ex filiis *Theodorus* fuit poſtea Med. Doct. & Prof. *J. Rodolphus* S. Th. Doct. & Prof. atque Antiſtes; *Jacobus* Chirurgus & *Johannes* Pharmacopola. Græcam cathedram Zuingerus noſter omni fide ornavit; Philoſophorum ordini adſcriptus præter alia munia ipſi delata geſſit curam Gymnaſii atque Bibliothecæ Academicæ, illius Viſitator hujus curator fuit diligentiſſimus; hoc poſteriori munere inprimis oblectabatur, ut qui librorum aviditſſimus etiamque peritiſſimus erat amator. Electus autem fuerat Bibliothecarius a. 1662. cumque mox poſtea Bibliotheca Acad. inſignibus acceſſibus locupletata in locum, ubi adhuc exſtat, transferretur, Zuingerus is fuit, qui a. 1671. herculeo prorſus atque ingratiſſimo labore univerſam hanc bibliothecam diſpoſuit, ſecundum facultates diſtribuit, numeris notavit, &, quod ſtupendum, integras voluminum ſcriptorum atque impreſſorum myriadas ordine alphabetico ſecundum ſcientias, ſcamna atque numeros propria manu conſignavit, qui catalogus ſex ſpiſſa volumina conſtituit, & pro hac laborum perfunctione honorarium aliud accipere noluit, quam Frobenianam operum Eraſmi, cujus duo aderant exempla, editionem. Inſuper, n. d. 21. Febr. a. 1665. gradus Doctoris Theologiæ ei collatus, dieque 3. Martii ejuſdem anni is Profeſſor Locorum comm. & controv. Theol. rite fuit electus. Hic autem nondum ſubſtitit, ſed d. 21. Maj. a. 1675. ei V. T. & denique d. 10. Jul. A. 1685. N. T. profeſſio fuit demandata. Quibus omnibus muneribus ſumma fide, diligentia atque prudentia perfunctus eſt uſque ad beatam ejus αναλυσιν, quæ ei contigit catarrho apoplec-

Digitized by Google

apoplectico d. 26. Febr. a. 1696. cum lecto detentus ſtudioſis ex N. T. aliquid prælegeret atque explicaret. *Beatus ſane eſt ſervus, quem, quum venerit ejus herus, offenderit officium facientem.*

Quantus fuerit Theologus Zuingerus noſter, quam vaſtæ eruditionis, quantus heros in theologia præſertim polemica, ſpeciatim adverſus Pontificios controverſiis, oſtendunt ejus ſcripta, quæ hæc fere ſunt: *Oratio de barbarie ſuperiorum ſeculorum*, 1661. *Diſputationes* 42. *de peccato*, 1668 — 1693. *de feſto corporis Chriſti* 6. 1682 — 1685. *de rege Salomone peccante* 28. 1687 — 1696. aliæque diſputationes, tam philoſophicæ quam theologicæ, plures.

XVI. PETRUS WERENFELS, vir de Eccleſia atque Academia noſtra præclare meritus, in lucem editus eſt Lucisvalli, oppido ditionis Baſilienſis ſatis amœno, idque d. 20. Maji a. 1627. parentibus J. Jac. Werenfelſio, tum Lucisvallenſi poſtea vero per 40. fere annos Martiniano paſtore, & Jahele Ryff. Rudimenta ſtudiorum puer ſexennis poſuit ſub gymnaſii Baſilienſis magiſtris, & in eo ludo talia ingenii, iudicii, memoriæ atque diligentiæ edidit ſpecimina, ut facile eſſet conjicere, eum ad magna eſſe prognatum. Emenſo gymnaſii curriculo a. 1641. ad lectiones publicas, ſequenti anno ad penſum ſecundæ claſſis philoſophicæ & a. 1644. ad ipſum magiſterium artium fuit promotus. Philoſophicis ſtudiis abſolutis, quæ tamen poſtea haudquaquam neglexit ſed diem noctemque continuavit, præcipuum ſuum opus conſtituit divinorum eloquiorum indagationem, quam ut feliciter inſtitueret, omni opere fuit adniſus. Comparatis iis, quæ Dei miniſtrum conſtituunt atque exornant, ſuperatis etiam, quæ inſtitui ſolent, ſpecieminibus atque examinibus, a. 1648. verbum Dei publice prædicandi facultatem obtinuit, quam diligenter exercuit, tam in agro quam in urbe, præſertim vero parentis podagrici paſtorales vices ſuſtinens. A. 1650. in aula illuſtriſſ. Comitis Friderici Caſimiri antiquioris proſapiæ, comitis de Ortenburg in finibus Bavariæ inferioris & Auſtriæ ſuperioris, non procul a Paſſavio ſacrum egit præconem. Triennio poſt, ut Baſileæ communi Diaconatu fungeretur, revocatus advenit; mox vero petente reformato cœtu Argentoratenſi, cui nuper Frider. Caſimirus comes Hanovienſis in pago ſuo Wolphsheim

una ab Argentina hora distante ædificandi templi facultatem concesserat, a Conventu Basilienſi ecclesiastico pastor illius cœtus fuit destinatus. Anno elapso, qui erat 1655. Archidiaconus nostræ ecclesiæ electus huic muneri tribus lustris summa fide, cum vitæ etiam periculo, præfuit; anno enim 1667. & 1668. pestifera lue urbem nostram vastante, & Ministris S. Templi partim senio confectis, partim lue abreptis, onus fere omne ægrotos visendi atque consolandi cum beato Gernlero portavit. Jam a. 1656. thori sociam Werenfelsius noster sibi adjunxit Margaretham Grynæam, Samuelis Grynæi Pastoris Leonh. filiam, quæ ipsi quinque filios totidemque filias peperit, ex quibus 16. nepotes & 2. pronepotes prognatos vidit; in filiis præcipue nominandus Samuel Werenfelsius, Theologus atque Philosophus omnibus numeris absolutissimus. Ab Archidiaconatu Werenfelsius ad Pastoratum Leonh. a. 1670. hincque a. 1675. d. 11. Maji ad S. Templi Pastoratum fuit vocatus, atque postridie a summo Magistratu Ecclesiarum nostrarum Antistes atque Archidecanus constitutus; simulque d. 21. Maj. ejusdem anni cathedra Loc. comm. & controv. Theol. a Senatu acad. ei fuit delata. Ab hac cathedra d. 10. Jul. 1685. ad V. T. & denique d. 15. Sept. 1696. ad N. Test. fuit translatus. Academicas istas functiones ut rite obiret, d. 5. Oct. 1675. publice sibi Doctoris Theologi titulum imponi passus est, postquam in actu promotorio differuisset *de variis modis & methodis doctorum pontificiorum*, ut ajunt, *convertendi Acatholicos*, seu verius, *variis technis & μεθοδείαις pervertendi & ad Romanam communionem retrahendi vere Catholicos*. Denique cum Werenfelsius & in ecclesia & in academia utilitati communi diu atque fideliter serviisset, eamque pro viribus a Deo concessis quam maxime promovisset, a supremo Ecclesiæ Pastore atque Doctore dimissionem obtinuit d. 23. Maj. 1703. & ex febre pleuritica defunctus præmia in cœlis tulit amplissima.

Testes eruditionis æque ac laboris, utriusque insignis, prostant conciones in *Dominicalia*, Bas. 1702. 4. itemque conciones grassante peste habitæ in *Ps.* 91. Bas. 1669. 4. nec non plures *dissertationes theol.* etiam *conciones funebres* atque aliæ CXCI. 6. spissa volumina conficientes; itemque oratio panegyrica sermone latino in *Lucam Gernlerum* Antistitem pie defunctum dicta d. 15. Mart. 1675.

XVII.

XVII. JOH. RODOLPHUS WETTSTEIN, ſplendidiſſima olim Academiæ Baſilienſis corona, primam lucem intueri cœpit in hac ipſa urbe Baſilea d. 1. Sept. a. 1647. natus parentibus optimis, Joh. Rod. Wettſtein, S. Theol. Doct. & Prof. & Margaretha Zæslin. Noſtrum ſingulare familiæ ſuæ ornamentum futurum egregia & matura in puero indoles promittebat. In patria urbe poſtquam primis literarum elementis imbutus eſſet, ad Latinam Græcamque linguam exactius addiſcendam & humanitatis ſtudia ulterius proſequenda a venerando Patre Tigurum mittitur annos fere natus tredecim ad Caſparum Suicerum, cujus ut & aliorum magiſtrorum fida inſtitutione per biennium magno cum fructu fuerat uſus; ad patrios lares reverſus primam laboris mercedem, utramque nempe lauream philoſophicam & quidem ſupremam a. 1663. dignus accepit. Latii Græciæque non hoſpes ſed civis redditus Wettſtenius jam in atria regis regum, in quibus diem unum præſtat habitare quam alibi mille, penetrare deſideravit. In devium autem cum facile deflectat iter incauta juventus, fidos atque peritos ex conſilio Parentis nactus eſt duces, Gernlerum atque Zuingerum, atque ab iis ut & ipſo Parente ſcientiam accepit theologicam, & paucos intra annos ſummos in rerum divinarum cognitione fecit progreſſus, quorum primum exhibuit experimentum publicum, cum quarto ſtudii theol. anno diſſertationem de Juſtificatione peccatoris coram Deo adverſus inſurgentium objectiones maſcule defenderet. Eodem tempore a. 1668. dignus fuit habitus, qui in numerum Evangelii miniſtrorum reciperetur. Wettſtenium juvenem ſalis attici atticæque litteraturæ haud parum fuiſſe venatum, ex eo apparet manifeſte, quod vacante apud nos a. 1667. cathedra græca non ſolum diſputationem conſcripſerit ſermone partim græco partim latino, ſed & cum unus opponentium illi illuſurus obſoletorum vocabulorum farraginem nullum prorſus ſenſum fundentem propoſuiſſet, ipſe ſtatim fraudem detexerit, ſingula verba repetens, explanans atque unde deſumta eſſent aperiens. Adverſarius vero cum vidiſſet, ſibi non cum tyrone eſſe congrediendum, ad magis ſeria ſeſe convertit; ſed Wettſtenius ab ipſo poſtulavit, ut argumenta græca lingua proponere pergat, ſe Græce reſponſurum promittens; quod vero cum opponens licet græce doctiſſimus non

præſtaret, Wettſtenius objectiones latinas græce repe-tiit atque diſſolvit. Hoc eruditionis luculentiſſimo ſpe-cimine exhibito iter ingreſſus eſt literarium, & Helve-tiam, Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam non magis pedibus quam laudibus peragravit, ubique eru-ditiſſimorum virorum amicitiam comparans & biblio-thecas perluſtrans, ex quibus utiliſſima excerpta orbi fuiſſet communicaturus, niſi oculorum hebetudo con-tinua lectione præmature attracta eum impediviſſet. Suis reſtitutus primo a Senatu acad. a. 1670. Dialecticam vi-cario nomine docendi obtinuit officium; triennio poſt d. 19. Sept. 1673. Oratoriæ & d. 4. Jan. 1684. Linguæ Græcæ ordinarius electus fuit Profeſſor. Anno dein 1685. d. 2. Jun. una cum J. Jac. Hofmanno, Hiſtor. Prof. P., Wettſtenius ἀξίωμα Doctoris Theol., ambo-bus his cathedram Theol. ambientibus, publice a Ven. Petro Werenfelſio accepit, ejuſdemque anni 10. Jul. Loc. comm. & controv. Theol., d. 15. Sept. 1696. V. T. & denique d. 5. Oct. 1703. N. T. Profeſſor fuit electus. Animus non eſt verbis deprædicare, quanta fide atque diligentia Wettſtenius omnibus iſtis muneri-bus præfuerit; quicquid enim diceremus, infra merito-rum ejus dignitatem ſubſiſteret. Hoc autem adhuc com-memorandum, eum matrimonium contraxiſſe cum Vr-ſula Mangold idque feliciſſimum; ſeptemgeminam ex ea ſuſcepit prolem, ſed duo tantum filii treſque filiæ parentis obitum luxerunt; major filiorum, Joh. Rodol-phus, moriente patre, paſtor erat Orphanotr., minor, Joh. Caſpar, poſtea ſereniſſimæ principis de Wallis fuit a Sacris & Bibliotheca. Denique Wettſtenius febre pe-ripneumonica & aſthmate ſpaſmodico obiit d. 21. Apr. a. 1711.

Vivit tamen vivetque in ſcriptis, quæ ſunt: Origenes con-tra Marcionitas &c. Gr. & Lat. cum notis plurimis, Baſ. 1674. 4. Orationes IX. de Linguæ Gr. Pronunciatione; pro fide Helvetica; de accentuum Gr. antiquitate & uſu; de fa-to ſcriptorum Homeri; de fœderibus; de fide helvetica; de exilii miſeria; de exilii ſolatio, Baſ. 1686. 8. in gratiam etiam Joh. Felli contulit Photii Nomocanonem, ſuaſque notas & V. L. cod. MS. Baſ. ipſi novæ editioni inſerendas amice com-municavit. Exſtant etiam variæ Philoſ. & Theol. ejus Diſ-ſertationes; nec non thermæ Favarienſes carmine elegiaco de-ſcriptæ, 1672. 4. hiſtoria vitæ & mortis Joh. Zuingeri, 1696. 4. &c.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Samuel Werenfels, Theologus ad unguem, in omnibus doctrinæ ſalutaris partibus probe ſubactus, filius fuit Petri Werenfelſii, S. Theol. Doct. ac Prof. itemque Sacrorum Antiſtitis Baſ. & Margarethæ Grynææ; natalem diem coluit 1. Mart. a. 1657. Pater filium hunc, de quo, propter maturam in tenella ætate indolem, ſumma quæque ominabatur, habuit in deliciis, omneſque ſuas curas in ejus educationem defixit. Ipſum Deo ac patriæ conſecratum primis literis in ſchola publica imbuendum curavit, in qua ſummo parentum atque præceptorum gaudio ingenii & eruditionis futuræ prima ſtatim ſpecimina dedit, commilitones omnes multis poſt ſe paſſibus relinquens; hinc a. 1670. gradum fecit ad Academiam, in qua non tantum linguam latinam atque græcam diligentius addidicit ſermoniſque latini elegantiæ atque ſuavitati operam dedit, ſed & animum ſuum omnis generis doctrina, præſertim ſaniori philoſophia, excoluit. Quo factum, ut ipſi a ſapientiſſimo Ordine a. 1671. primi & a. 1673. ſecundi atque ſummi in Philoſophia honores decreti atque collati fuerint. Artibus philoſophicis bene inſtructus ipſum jam Theologiæ ſtudium adgreditur, & optima iterum uſus methodo ante omnia una cum philoſophia, quam nondum ſepoſuerat ſed diligentius porro exercuerat, linguæ hebraicæ atque græcæ ſedulus vacavit, indignum ratus, ſe interpretem oraculorum divinorum profiteri, linguæque, qua conſignata ſunt, rudem eſſe atque ignarum; præterea etiam hiſtoriæ tam profanæ quam ſacræ atque eccleſiaſticæ notitiam comparavit ampliorem, utpote quæ ad recte intelligendas Literas S. multum conferret. In ſtudium dein biblicum mente & animo totus inſtitit, de lege divina, qua delectabatur, dies noctesque cogitans. Syſtemata etiam theologica, in quibus, quæ in Scriptura ſparſa occurrunt, collecta & concinno ordine diſpoſita ſunt, diligenter perlegit, perpendit atque probavit. Sacro hoc adparatu inſtructus ſeſe Theologis præbuit examinandum, & ab iis a. 1677. Miniſterii Candidatus cum adplauſu fuit receptus. Hoc examine ſuperato iter inſtituit Tigurum, Bernam, Lauſannam atque Genevam; ei peregre redeunti animus quidem fuit populum de ſuggeſtu concionibus inſtituere, ſed cum adflicta valetudo corpuſque debile duriores hoſce non ferret labores, aliam viam elegit, qua non minus Ec-

Digitized by Google

cleſiæ patriæ prodeſſet, & totum jam ſe Academiæ conſecravit. Proceres etiam academici, perſpecta ejus voluntate atque eruditione, mox ei docendæ Logicæ vicarium commiſerunt officium, polliciti, ſe, proxima data occaſione, ordinarium munus ipſi delaturos; fidem ſervandi anſam Patres conſcripti citius nacti, ei d. 21. Jul. a. 1685. cathedram græcam demandarunt. Anno ſequenti nova cupido exteras regiones viſendi eum inceſſit, & Gilberto Burneto Anglo & Frid. Battierio noſtrate comitibus Heidelbergam, dein in Belgium, inde in Flandriam & Brabantiam, Friſiam, ducatum Bremenſem contendit, & perluſtrata magna Germaniæ parte integra valetudine domum rediit, & Græca publice docuit uſque ad a. 1687. quo d. 18. Febr. ad Oratoriam fuit translatus; cathedra hæc fuit ipſi pergrata, eaque obeunda inprimis delectabatur, occaſionem nactus, latini ſermonis lepores, in quibus jucunda ſemper ipſi fuit oblectatio, recolendi aliiſque commendandi. Sed eum ad majora deſtinatum divina providentia ad ipſam, cui ancillatur philoſophia, vocavit theologiam, factum id eſt d. 15. Sept. 1696. quo, abſque competitore, a Senatu acad. Profeſſor Loc. comm. & controv. Theol. fuit conſtitutus. Eodem anno, & quidem d. 9. Jun., poſtquam in duabus prælectionibus, diſputatione publica atque examine rigido ſolidæ ſuæ eruditionis & profundæ ſacrorum elogiorum cognitionis documenta dedit certiſſima, a J. Rod. Wettſtenio in ſplendidiſſima panegyri, in qua præter civitatis conſules atque tribunos, utriuſque ordinis ſenatores, antiſtites atque hoſpites innumeros, etiam ſereniſſ. princeps, Fridericus Magnus, Marchio Durlacenſis cum ſereniſſ. conjuge & filio comparuerunt, Theologiæ Doctor fuit creatus; orationis, quam tum Candidatus habuit, hoc erat argumentum: *Qua ratione Pontificii doceant, hæreticis fidem non eſſe ſervandam?* In obeundo hoc munere id egit Werenfelſius, ut non controverſias diu jam demortuas ſed recentiores eaſque momentoſiſſimas exactiſſimo judicio tractaret, eaſque clarius expoſitas ſolidiſſime refutaret. Hoc dum ageret animi recreandi cauſa denuo peregrinationem adgreſſus eſt primo Neocomum, ubi cum Frid. Oſterwaldio, dein Genevam, ubi cum Alph. Turretino, & denique Lutetiam Pariſiorum, ubi cum Bernh. Montefalconio, Benedictinorum literatiſſimo, arctiſſimam contraxit amicitiam.

Digitized by Google

citiam. Novis comparatis viribus ad priſtina, in patriam redux, reverſus negotia omni ſtudio Naſiræis noſtris prodeſſe laboravit. Sed aliud ei paulo poſt perficiendum obtigit penſum; die nempe 5. Oct. a. 1703. juſſus eſt a Senatu Acad. Profeſſionem V. T. in ſe ſuſcipere; morem geſſit Noſter etiamque hanc ſpartam egregie ornavit, Hermeneuticæ S. præcepta tradens & Pſalmos Davidis non tam theoretice quam practice auditoribus exponens. Circa hæc tempora illuſtriſſ. Friſiæ ordines Werenfelſio noſtro Profeſſionem Theologicam in Academia Franequerana vacantem honorifice obtulerunt, quam vero ex Academiæ atque Eccleſiæ procerum ipſiuſque Summi Magiſtratus voto atque precibus, qua potuit modeſtia, recuſavit. Poſtea illuſtriſſ. Angliæ de propagando in partibus tranſmarinis evangelio ſocietas, nec non deinceps Academia ſcientiarum regia Berolinenſis Werenfelſium noſtrum in collegium ſuum adſciverunt atque cooptarunt. Ineunte hoc ſeculo Oſterwaldium atque Turretinum, cum quibus vetus ei interceſſit neceſſitudo, repetitis vicibus maximo ſuo ac ipſorum gaudio viſitavit; a. 1711. mortuo Baſileæ altero eccleſiæ gallicæ paſtore precibus Presbyterorum motus functiones paſtorales aliquandiu ſummo cum adplauſu concionando adminiſtravit noſter Werenfelſius. Denique eidem ex decreto Academiæ Procerum d. 26. Maj. 1711. Profeſſio N. T. obtigit, cui ad extremam uſque ſenectutem omni fide vacavit, cumque ſenio impeditus id publice amplius præſtare non poſſet, privatim id fecit haud exiguo auditorum ſuorum fœnore, quibus loco duarum lectionum hebdomadatim tres prælectiones dicavit. His omnibus laudabiliter perfunctus muneribus glorioſam vitam beata morte explevit d. 1. Jun. 1740.

Ejus lucubrationes, quæ, quoad bonis literis ſuum conſtabit pretium, maximi æſtimabuntur, partim philoſophicæ partim theologicæ, poſtquam variis vicibus ſparſæ adparuerunt, tandem in unum corpus collectæ prodierunt Lauſannæ a. 1739. forma quarta voluminibus duobus, quæ editio poſtea aliquoties apud Batavos fuit recuſa. In iſtis autem, ut vocantur, Opuſculis non continentur ejus conciones Gallice habitæ, quæ editæ ſunt a. 1715. 8. & in germ. translatæ a. 1717. Francof. 8. nec actus promotorius Hier. Burcardo Antiſtiti habitus, qui editus eſt Baſ. 1709. 4. Singula autem hæcce opuſcula

Digitized by Google

cula Simonem Grynæum, Miniſtrum Petrinum, in germanicum ſermonem tranſtuliſſe ſcimus atque optamus, ut lectorum commodo typis expreſſa propediem divulgentur, quod utrique auctori haud exiguo honori ceſſurum confidimus.

XIX. HIERONYMUS BURCARD, Suada inprimis clarus, ſatus eſt patre J. Balth. Burcard, Reipublicæ noſtræ Conſule, matre Salomea Gottfrid, & vitæ primordia cepit d. 30. Maj. 1680. In horum parentum ſinu educatus per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam tranſegit; in libris, chartis, noctu, diu, aſſiduus adeo profecit, ut in ipſa herba non obſcure meſſem futuram oſtenderet. Labores ſcholaſticos emenſus in Academiæ gremium fuit ſuſceptus a. 1692. Neocomum dein miſſus, ut gallicam linguam addiſceret, non ſolum huic linguæ ſed & græcæ atque latinæ, etiamque ceteris Philoſophiæ partibus adeo diligenter dedit operam, ut anno vertente redux lauream philoſophicam & ſeſquianno circumacto Magiſtri artium titulum obtinuerit. Singulares in eo cum obſervarentur animi dotes, iſque incredibili Deo in Eccleſia ſerviendi flagraret ſtudio, parentes ampliſſimi voluntate ſua ejus acceſſerunt voluntati, hocque conſenſu Noſter potitus d. 2. Nov. 1695. S. Theologiæ ſtudio nomen optimis dedit ominibus. Jam omne tempus Literis tribuit ſacris, ſacraque ſtudia omni coluit diligentia, eoque cum ſucceſſu, ut omnibus, quibus pro more ſubjiciebatur, cenſuris cum laude ſuperatis a. 1699. Evangelium publice prædicandi facultas ipſi fuerit conceſſa. His peractis cum animo ſuo habuit ſtatutum ac deliberatum, exteras eccleſias, earumque doctores atque ritus propius cognoſcendi, quod ſibi in poſterum uſui fore rectiſſime judicavit; Belgium ergo, Angliam, Galliam atque Helvetiam peragravit & in iſtis regionibus ſolertiſſimum ſuum ingenium diligenter exercuit. Ab itinere redux citius diligentiæ præmia tulit, incipiens a miniſterialibus officiis imis, ad ſumma non per ſaltum ſed gradatim progreſſus munera. A. 1700. electus fuit paſtor Orphanotrophei & a. 1701. ad D. Jacobi; d. 8. Aug. 1702. Diaconatum obtinuit Micropolitanum; ita primus exſtitit gentis Burcardianæ, qui in urbe noſtra ad Officium S. fuit promotus; d. 23. Oct. 1703. ad Eliſabethanum, d. 1. Maj. 1708. ad Petrinum & denique d.

19.

19. Mart. 1709. ad eccleſiæ cathedralis paſtoratum fuit vocatus. Eodem hoc anno pro more tunc recepto, quo ſinguli Antiſtites ſimul Theologiæ fuerant Profeſſores, d. 22. Mart. Burcardo noſtro profeſſio Loc. comm. ac controv. Theol. & denique d. 26. Maj. 1711. cathedra V. T. fuit demandata. Ut autem Theologicam profeſſionem rite & cum dignitate obiret, more conſueto a Facultate Theologica axioma Doctoris Theologi expetiit, quod viro tantis donis ornato & tantam ſpem de ſe, tam præclare huc uſque cunctis muniis perfuncto, concitanti neutiquam denegandum cenſuit, ideoque ad d. 25. Jun. 1709. promotore Sam. Werenfelſio, ingenti omnium ordinum confluxu & adplauſu publice S. Theologiæ Doctor renunciatus eſt, cum prius *de eccleſiæ perennitate providaque Dei circa illam cura* erudite, ſolide & perſpicue diſſeruiſſet. Vitæ torique ſociam ſibi elegit atque adiunxit Burcardus d. 23. Mart. 1703. Catharinam Ryhiner, quæ ipſi octo liberos peperit, quorum autem quatuor funera ipſe curavit. Ex duobus ipſi ſuperſtitibus filiis totidemque filiabus præcipue nominandus eſt Joh. Balthaſar, qui jam ab a. 1740. cathedram theologicam ſummo ſuo merito occupat, utque diu adhuc occupet atque exornet omnes deſidera mus atque optamus. Plurimis denique atque graviſſimis, quos Antiſtes ſuſtinuit, laboribus debilitatus angoreque pectoris laborans d. 7. Maj. a. 1737. animam Creatori reddidit.

Germanica lingua exarata & typis excuſa hæc ejus habemus: Meditationes pœnitentiales 1725. 8. conciones funebres LXI.; concionem inauguralem templi Huningani, 1710. concionem ex occaſione Jubilæi Reformationis habitam, 1719. aliaſque aliis occaſionibus editas. Latine autem præter nonnullas diſſertationes theol. ejus exſtat oratio panegyrica in obitum J. Rod. Zuingeri, S. Theol. Doct. atque Profeſſoris itemque Antiſtitis habita d. 14. Nov. 1709.

XX. Joh. Ludovicus Frey, vir ille Dei omni præconio major, natus eſt d. 16. Nov. 1682. patre Joh. Ludovico Frey, Senatore, matre Maria Magdalena Gernler. In ipſo diſciplinæ publicorum atque privatorum Magiſtrorum tradito ſtatim cœleſtes illi mentis igniculi, qui poſtea tantum ſplendoris emiſerunt, coruſcare cœperunt; non tantum ea, quæ in ſcholis tradi ſolent trivialibus,

Digitized by Google

vialibus, ſtatim mente comprehendit atque memoria tenuit, ſed & literas coluit ad penſum ejus nondum pertinentes; puer enim decennis, ipſe locuples eſt auctor, proprio marte brevi tempore linguæ hebrææ, cujus poſtea fuit callentiſſimus, rudimenta ex Grammatica cepit. A. 1696. ex auditione iſtorum magiſtrorum egreſſus ſtudio ſapientiæ ſeſe dicavit. Græcos Latinoſque auctores melioris notæ ad unum omnes, hiſtoricos, philoſophos, poëtas, oratores, perlegit; rationalem philoſophiam, metaphyſicam, Matheſin, Phyſicam, Opticam, philoſophiam moralem non a limine tantum ſalutavit, ſed in earum adyta penetravit. Jure igitur merito liberalium artium Magiſter ab ordine ſapientiſſimo fuit creatus a. 1699. ejuſdemque anni d. 16. Maj. Theologiæ ſtudioſum ſeſe profiteri cœpit, qualemque ore ſcriptoque profeſſus eſt, talem & ipſo facto præſtitit. Ampliorem hebraicæ linguæ cognitionem comparavit ex inſtitutione Jac. Buxtorffii. Theologiam ſaniorem hauſit ex ore Wettſtenii & utriuſque Werenfelſii, Patris & Filii, quos non ſolum publice privatimque docentes audivit ſedulo, ſed & ſectari omnibus viribus contendit. Pro ingenii felicitate & indefeſſa ſedulitate non tantum intra Sacris deſtinatum quadriennium Theologiam quoad omnes ejus partes diligentiſſime proſecutus ſed & philoſophicis ſtudiis, quæ ei adeo in deliciis erant, adhuc fuit immoratus, quin linguæ etiam chaldaicæ, Syriacæ atque Arabicæ adeo diligentem navavit operam, ut haud vulgarem earum linguarum notitiam, nullo uſus duce, acquiſiverit. Ipſo petente a. 1703. poſt conſueta examina, in quibus conceptæ de ſe eximiæ ſpei ex aſſe ſatisfecerat, catalogo Evangelii miniſtrorum fuit inſertus. Eruditionem locupletaturus eodem anno & alias adiit Academias, Tigurum Bernamque tranſiens Genevam contendit, ibique tranſacta hyeme Lugdunum indeque Lutetiam Pariſiorum eo potiſſimum ſcopo ſeſe contulit, ut ab Abbate de Longuerüe pleniorem in lingua Arabica notitiam acciperet; ad propoſitum etiam ibi pervenit finem; humaniſſimus nempe Abbas perſpecta juvenis cupiditate ejuſque in hac lingua ſatis magna peritia, operam ſuam ultro ipſi obtulit, quam avide arripiens Noſter quotidie a ſummo mane uſque ad meridiem eum viſitavit & hiſtoriam Timuri explanantem audivit. Menſe Auguſti 1704. reliquit Lutetiam, & in Belgium ſeſe contulit,

Digitized by Google

contulit, quo luſtrato ſequenti anno per Germaniam reverſus patriam petiit. Suis jam prodeſſe cupiens aliquoties ſacros ſermones publice habuit, &, quo magis inclinabat animus, Theologiæ ſtudioſis collegia aperuit tam theologica quam philologica, præſertim lingua hebraica eos inſtituens, idque ex Senatus Acad. auctoritate, qui eum linguas orientales, hebræam, Arabicam, Syram, Perſicam &c. docere juſſit. Occaſio etiam una atque altera tum ipſi fuit oblata in arenam academicam deſcendendi, ſemel vacante cathedra linguæ græcæ, iterumque ceſſante hiſtoriarum profeſſione, quarum illa Sam. Battierio, hæc Jac. Chriſt. Iſelio, haud invidente Noſtro, obtigerat. Janua quidem Freyio noſtro in Eccleſia Deo ſerviendi fuit aperta, cum a. 1710. ad paſtoratum Huninganum vocaretur; ſed ſubito rerum facies fuit converſa. A. 1711. vacantem cathedram Theol. duo viri raræ eruditionis, Jac. Chriſt. Iſelius, Hiſt. Prof. & Freyjus Huninganus paſtor, ambierunt pariter idque magnis conatibus, adeo ut Patres acad. dubios redderent, cui palmam deferrent; tandem, auctore Sam. Werenfelſio, d. 15. Sept. h. a. hæcce cauſa ita fuit deciſa, ut Iſelius Loc. comm. & Controv. Theol. Profeſſor nominaretur, Freyjo vero Iſelii cathedra hiſtoriarum cum titulo atque officio Profeſſoris Theologiæ extraordinarii ſingulari ſuo merito decerneretur. Nactam duplicem ſpartam Freyjus omnibus viribus exornare contendit, & quidem quo Theologiam ſecundum Academiæ decreta rite profiteretur, uno actu cum Iſelio d. 23. Aug. 1711. ab Hieron. Burcardo Antiſtite Theologiæ Doctor fuit creatus, habita oratione *de admirando Evangelii progreſſu*. Ab hac hiſtoriarum ordinaria & Theologiæ extraordinaria profeſſione vocatus fuit ab ipſo Civitatis Senatu majore d. 20. Maj. 1737. ad ordinariam V. T. Profeſſionem, quam, dum vixit, retinuit, & ſummo auditorum emolumento adminiſtravit. Theologus ceterum fuit Freyjus incomparabilis. Plerumque fieri ſolet, ut Theologi ſuas operas partiantur, & in una tantum vel altera Theologiæ parte excellant: ſunt qui totos ſe dedunt lectioni Scripturæ S. & ſcrutationi ſenſuum ejus profundorum; alii locis communibus; alii controverſiis; alii caſibus conſcientiæ & praxi; alii philoſophiæ; alii philologiæ ac linguis orientalibus; alii hiſtoriæ ſacræ atque Eccleſiæ patribus incumbunt.

Noſter

Digitized by Google

Noſter vero ingenii felicitate, memoriæ capacitate & ſtudii ſedulitate admiranda hæc omnia ita conjunxit, ut in quanam parte magis excelluerit, aut plus potuerit, definiri vix poſſit. Sed aliis inſerviendo denique quoad corpus conſumtus fuit, ſpiritu aſtra petente, d. 28. Febr. 1759.

Scripſit diſſertationem de natura mentis humanæ 1699. de ſententia Mohammedis de Jeſu Chriſto 1703. de conjungendo ſtudio linguarum orient. cum ſtudio linguæ Græcæ 1705. de Cyro 1706. de officio doctoris chriſtiani diſſertationes 4. 1711—1715. porro edidit excerpta ex commentario Mſ. R. Aharonis hebr. & lat. c. N. Amſt. 1705. Suiceri theſaurum eccleſ. auctiorem & correctiorem edidit Amſt. 1728. 2. T. fol. Ἀνάλεκτα Joh. Grynæi Theologi cum ejus biographia 1746. 8. ſymbolam ſuam, quoad orientalia, anglica atque baſilienſia contulit ad majus Lexicon hiſtoricum 4. T. in fol. hic impreſſum; patres Apoſt. cum ſuis aliorumque notis nitidiſſime Gr. & Lat. imprimi curavit Baſileæ a. 1742. 8. denique epiſtolam emiſit apologeticam ad Jac. Krighout, 1754. 4. Poſt fata rei theologicæ prodeſſe ſtuduit non tantum legato florenorum centum augendæ Bibliothecæ alumnorum Collegii ſuperioris deſtinatorum, ſed & præſertim inſtituto nobiliſſimo, quo ordinavit, ut a deſignatis curatoribus vir conſtituatur idoneus, qui Theologiæ cultoribus abſque eorum impenſis per ſingulas hebdomadas aliquot lectiones habeat theologicas atque philologicas, & ſubinde vel diſſertationem vel orationem edat, cujus argumentum ſit vel demonſtratio veritatis atque divinitatis Scripturæ S. vel genuinæ ejus explicationis vindiciæ, vel denique pax atque concordia chriſtianorum. Huic inſtituto adnexuit bibliothecam ſuam exquiſtiſſimam, volumina 8. millium comprehendentem & 20. millium florenorum pretium excedentem, una cum domicilio ſatis ſpatioſo, atque amœno; cetera huc pertinentia in vita Joh. Grynæi Theologi occurrent. Primum lectorem ipſe dixit collegam ſuum atque cognatum, de quo ſtatim tanquam ejus ſucceſſore nonnulla dicenda.

XXI. Jac. Christophorus Beck, vir commodis ſtudiorum atque ſtudioſorum natus, quem Deus rebus noſtris diutiſſime adhuc intereſſe atque præeſſe patiatur, annum natalem habuit hujus ſeculi undecimum diemque natalem Martii 1. Parentes honeſtiſſimi hunc ſuum filium ingenio optimo præditum & incredibili literarum ſtudio flagrantem videntes, divinæ providentiæ filiique indoli adverſari religioni duxerunt, quin, quæ ab ipſis dependebant,

Digitized by Google

pendebant, quæque filii propositum promovere posse credebant, omnia promtissimo contulerunt animo. Suo igitur genio relictus omnibusque subsidiis instructus, a prima juventute elegantioribus literis egregiam navavit operam. In numerum philosophiæ studiosorum a. 1725. receptus id egit sedulo, quod verbis fuit professus, omnesque philosophiæ partes diligenter tractavit. Accepto laborum præmio, prima Laurea d. 3. Jun. 1727., philosophiæ vero doctoris titulo d. 31. Maj. 1729. ad altiora scandere cœpit, Deoque olim in ecclesia vel academia servire cupiens d. 1. Dec. a. 1728. theologicæ matriculæ nomen inscripsit. Quantum & in hac schola profecerit, suis examinatoribus, ecclesiæ, academiæ multis modis, universo etiam orbi suis scriptis probavit abunde, ut verbis haud sit opus, cum res ipsa alta voce loquatur. Tam in philosophicis quam in theologicis adjutorem habuit singularem Jac. Christoph. Iselium, Theologum nostrum celeberrimum, ipsique adeo fortunato esse contigit, ut per aliquot annos hospitio atque familiari adloquio magni hujus viri uteretur. Tentaminibus atque examine pro S. Ministerio a. 1732. summa cum laude superatis, operam suam pastoribus in agro atque civitate obtulit atque commodavit; etiam jam Professor in templo nostro Leonhardino aliquoties concionatorem egit; quam nervose id præstiterit, ex collectione concionum Altmanniana, in qua duæ ejus conciones occurrunt, conjici potest. Ipsum ad utrumque, non saltem ad docendum de suggestu sacro, sed & de cathedra academica, esse paratum, mox docuit specimine publico, quod d. 13. Nov. 1733. pro vacante cathedra rhetorica exhibuit; quadriennio autem post, edito iterum specimine, ipsam historias publice docendi provinciam d. 12. Sept. 1737. favente sorte obtinuit. Hanc dum ornaret cathedram, complures historici potissimum argumenti edidit dissertationes, itemque vindicias musarum helveticarum, quæ in Tempe Helv. leguntur. Magnum etiam molitus est opus historicum cum amico, Aug. Joh. Buxtorffio, pastore, nempe supplementum lexici historici universalis, quod Basileæ prodiit 2. Vol. in Fol. a. 1742. & 1744. hoc eodem anno postetiori Tiguri excudendam curavit introductionem in historiam Helvetiorum, quæ ibidem a Sprengio nostro in linguam germanicam translata ipsius cura recusa fuit

a. 1768. Simplici labore vir laboriosissimus non contentus ecclesiæ atque academiæ simul inservire ut posset quæsivit, ideo cum a. 1740. theologica cathedra vacaret, eam ambivit; hoc scopo primum d. 27. Sept. 1740. pro dignitate Doctoris S. Theologiæ rite consequenda dissertationis de fide hominis christiani partem priorem, & d. 25. Nov. 1740. ejusdem partem alteram pro cathedra theol. obtinenda publice defendit, sortem fatalem expertus. A. 1744. iterum vacuam cathedram theologicam d. 6. Jul. novo specimine de Confessione fidei basileensis ecclesiæ petiit, & cum nullum competitorem haberet, d. 8. Jul. omnium suffragiis obtinuit. Eodem etiam adhuc anno d. 28. Oct. a Collega Joh. Balth. Burcardo Theologiæ Doctor creatus fuit atque renunciatus. Hanc, quæ Locos comm. & controversias Theol. tractandas præcipit, provinciam sedulus administravit usque ad a. 1759. quo ex procerum acad. voluntate professionem V. T. administrandam suscepit. Porro a. 1757. communi commodo Vrstisii historiæ basilienses epitomen in germanicam linguam conversam multisque additamentis locupletatam; eodemque anno fundamenta theologiæ naturalis & revelatæ; nec non a. 1765. Synopsin institutionum universæ Theologiæ; itemque a. 1770. concordantias biblicas verbales atque reales Germ. 2. Tom. in Fol. evulgavit. Jam a. 1738. d. 11. Nov. D. Hier. Burcard, Antistitem, & d. 18. Apr. 1760. D. J. Lud. Frey oratione panegyrica laudavit, quæ utraque typis excusa prostat. Rogatus a Ven. Conventu eccles. a. 1753. libellum lingua germanica composuit, quo dogmatum separatisticorum falsitas detecta refutatur. Alios labores chartæ, laudesque promeritas, modestiæ Beckii parcentes, silentio præterimus. Hoc unum addimus, ipsum, Lectorem Instituti Freyio Grynæani ab ipso Freyio designatum, non tantum prælectiones præscriptas ab a. 1759. huc usque diligenter habuisse, sed & jam XIII. dissertationes philologico theologicas, ut institutum postulat, publici juris fecisse. Basilea erudita, quam magno studio exaravit, preloque paravit, typographum, cum eruditorum cohorte, exspectat. A triginta jam annis Bibliothecarii vices summa cum diligentia sustinet; Rectoratum acad. IV. Decanatum vero Theol. XIII. gessit. Dulci interim a 30. circiter annis fruitur, & pro votis nostris adhuc diu fruetur,

Digitized by Google

fruetur, conjugio cum Maria Magdalena Zuinger, J. Rodolphi Medici filia, ex qua filium filiamque ſuſcepit, quos ante plures jam annos acerbo fato ſibi ademtos deflevit.

PROFESSORES NOVI TESTAMENTI.

I. Oswaldus Myconius, qui & Molitoris nomine venit, (Geishüsler) natus eſt Lucernæ Helvetiorum ſub annum 1488. ibique tyrocinii rudimenta poſuit atque depoſuit. Studia proſequuturus Baſileam petiit a. 1510., ibique a. 1514. Decano Philoſ. M. Petro Wenck, S. Theol. Baccal. Philoſophiæ Baccalaureus fuit creatus. Perſpecta Viri eruditione atque diligentia primo ad D. Theodorum, dein ad S. Petrum ludimagiſter publica auctoritate fuit conſtitutus. Hoc munere aliquot annis perfunctus eundem laborem ſuſcepturus a. 1516. Tigurum vocatur, ibi miniſterio etiam eccleſiaſtico adhibitus per triennium ſubſtitit & Lucernatum ſcholam primariam recturus Tigurinis valedixit. In patria partes duriores ſibi impoſitas egit optime & juventutem ſibi commiſſam omni fide literis melioribus inſtruxit; cum autem purioris doctrinæ evangelicæ præcepta diſcipulis inſtillare inciperet, a. 1523. dimiſſus & a Geroldseckio Monaſterii Eremi Helvetiorum curatore, non ſine permiſſu magiſtratus pagi Suitenſis, expetitus fuit, ut Monachis illic degentibus Theologiam prælegeret; unde anno ſequente Tigurum vocatus, non ſine dolore Geroldseckii, diſceſſit & ad priſtinos labores fuit reverſus. Zuinglio autem in pugna capellana a. 1531. interemto, ſibi metuens, denuo venit Baſileam, idque ſtimulante Thoma Platero, ibique d. 22. Dec. 1531. Paſtor ad S. Albani eligitur. Vix autem cum hujus muneris auſpicia cepiſſet, Oecolampadio pie defuncto ſucceſſor datur & in ſummi templi paſtoratum inducitur a. 1532., quam vero ſtationem vir modeſtiſſimus non niſi ſub hac conditione accepit, ut ſibi cedere liceat, quamprimum ſe dignior fuerit repertus. Una cum iſto paſtoratu eccleſiarum Baſilienſium inſpectionem obtinuit, nec hanc tantum ſed & cathedram N. T., quam a. 1532.

Digitized by Google

occupavit, fidem faciente programmate Oſwaldi Beri hoc anno typis vulgato. Theologiæ Doctoris autem gradum, quem leges academicæ a profeſſore publico poſtulant, accipere noluit; potius profeſſione abire quam iſtud nomen adire paratus. Nec deſunt, qui adfirmant, ipſum ex dicta cauſa profeſſione ſeſe abdicaſſe; ſed firmioribus documentis poteſt probari, ipſum publice in N. T. legiſſe adhuc a. 1541. non in ordinaria quidem ſed peculiari, quæ adhuc hodie viſitur, cathedra. Ceterum Myconius, perhibente Lycoſthene, vir erat eruditione, ſanctitate ac innocentia vitæ inprimis clarus, & eruditionis nomine Eraſmo atque Glareano, quorum diſcipulus fuit, haud parum æſtimatus. Inter ipſum etiam & pictorum principem, Joh. Holbenium, interceſſit notitia, ex qua derivandum, quod Holbenius in exemplo Eraſmi encomii moriæ ad Myconium pertinente animi cauſa varias figuras ad niarginem penna deſignaverit, quæ artificioſiſſimæ figuræ poſtea æri fuere inciſæ, ſed ſucceſſu nequaquam optimo, ut cuilibet has cum holbeniana pictura in bibliotheca publica Baſil. adſervata conferenti primo ſtatim adſpectu patebit. Objicitur quidem a nonnullis Myconio, quod quoad doctrinam de S. Cœna ſteterit a partibus Lutheri; ſed gravia ſunt, quæ in contrarium poſſunt adferri, quæ vero hic diducere nec ſcopus permittit nec ſpatium; ipſa autem ejus ſcripta mox nominanda quemlibet lectorem evincent contrarii. Poſtquam Myconius per XX. circiter annos dextre atque diligenter ſacra obiiſſet publica, d. 15. Mart. a. 1551. in ſummo templo vix dimidiam horam concionatus ex λειποθυμια in ſuggeſtu concidit, a quo tempore ex S. C. Thomas Geyrfalck paſtor Eliſabethanus & ſummi templi diaconus ipſius vices geſſit, donec d. 15. Oct. a. 1552. beata morte obdormivit.

Scriptum atque typis editum reliquit epiſtolium laudem Helvetiorum complectens, Tig. 1518. Commentarium in Glareani de Helvetia carmen, primum ſub nomine Oſw. Myconii, Lucernani, Baſ. 1519. 4. & dein ſub nomine Oſw. Molitoris Lucerini ib. 1554. 8. Suaſoria ad ſacerdotes helvetiæ, ut de Tigurinis male loqui deſinant, Tig. 1524. 4. Narrationem de vita & obitu Zuinglii, in epiſtolis Zuinglii & Oecolamp. Baſ. 1532. 4. & 1536. fol. Tractationem de liberis recte & ingenue educandis; de crapula & ebrietate; de fœnore & uſura. Expoſitionem in Evangelium Marci, 1534.

Enarra-

Digitized by Google

Enarrationes in Pſ. CI. Bern. 1548. Oecolampadii catechiſmum ex germ. vertit in latinum, 1545. Confeſſionem fidei Baſilienſem jam a. 1530. ab Oecolampadio compoſitam & ad comitia Auguſtana miſſam a. 1534. aliquoties edidit cum gloſſis. Ab ipſo etiam atque ſymmiſtis in ſynodo Baſil. 1536. exarata & poſtea Wittenbergæ Luthero oblata fuit confeſſio helvetica, quæ prior ſolet vocari; epiſtolam miſit paræneticam ad fratres ditionis Baſ. complectentem, quomodo ſe docendo gerere debeant præſentibus turbis, prid. cal. Febr. a. 1534. Epiſtolæ ejus ad Bullingerum occurrunt in Füslini Ep. Ref. Cent. I. n. 32. 34. 35. 38. 43. 46. & 47. neç non epiſtolæ ad Calvinum in epiſtolis Calvini Gen. 1586. fol. p. 40. 44. 57. & 79. Præfatus etiam eſt in Oecolampadii enarrationes in Matthæum & Marcum. Inedita reliquit commentaria in Eſaiam, Jeremiam, Jonam, Matthæum, Lucam, Johannem &c. nec non deſcriptionem tumultuum Bernenſium ſubditorum a. 1528. & 1529.

H. Simon Grynæus bono publico natus eſt circa oppidum Sueviæ Veringen, ditionis comitum de Hohenzollern, a. 1493. parentibus nobilitatis antiquiſſimæ, agriculturæ nempe deditis; horum provida cura primum in patria dein Pforzhemii, ubi Melanchtonem habuit condiſcipulum, literis fuit inſtitutus. Hinc Viennam Auſtriæ conceſſit, omneque tempus ſtudiis dedit; ibi liberalium artium magiſter creatus literarum græcarum cathedram conſcendendi mandatum accepit; has literas cum aliquandiu Viennæ docuiſſet publice, & ſtudio medico atque theologico operam dediſſet, Budæ per aliquot annos ſcholæ præfuit. Hic ob puriorem religionem, quam agnitam adſerebat, pericula obiit atque labores, quin Monachorum technis in carcerem conjectus nobilium Hungarorum interceſſione ægre libertatem obtinuit. Relicta Pannonia Wittenbergam pervenit, ubi Luthero & Melanchtoni propius innoteſcens de variis religionis capitibus cum ipſis contulit. Hinc in patriam reverſus a Ludovico Electore Palatino a. 1523. Heidelbergam, ut græcas literas doceret, fuit vocatus, quod magna dexteritate præſtitit, evangelicæque doctrinæ ſubnaſcentis primordia plurimum promovit. Cum a. 1529. religionis cauſa conventus Imperii Spiræ Nemetum indiceretur, a Principe ſuo illuc miſſus Grynæus Fabrum audivit pro concione dogmata quædam ſibi falſa viſa pertinacius defendentem, eumque in platea offenſum ad

blandum colloquium invitavit; quod cum Faber declinaret, dolere ſe, inquit Grynæus, virum eruditione & auctoritate pollentem manifeſtos errores, apertis Scripturæ S. & primæ eccleſiæ teſtimoniis contrarios defendere; additiſque aliis paulo ſalſioribus, tandem Faber, cognito Grynæi nomine, obteſtans amicitiam in craſtinum ad longius colloquium ipſum provocavit, quod Grynæus, ſerio ſecum agi putans, promiſit. Vix vero relicto Fabro ut ad ſuos rediit amicos Grynæus, & menſæ adſedit, ſenex quidam ſingularem gravitatem vultu, oratione & habitu præ ſe ferens, ignotus omnibus comparet, & Melanchtoni evocato oſtendit, jamjam lictores regis juſſu adfore, qui Grynæum prehenſum in carcerem abducant. Quo facto Melanchton illico Grynæum ad Rhenum deduxit ſicque hic periculum evaſit. Jis autem vix digreſſis, lictores Grynæum petituri aderant, quibus infectis rebus erat recedendum. Inquiſitum poſtea fuit diligenter in illum ſenem, ſed nihil de eo potuit compertum haberi, uſque adeo, ut fuerint, qui angelum crediderint. Grynæus Heidelbergenſibus redditus mox a Baſilienſibus invitatur, ut in academia ſua literas græcas profiteretur. Ipſemet Oecolampadius d. 31. Mart. 1529. Grynæo hanc in rem in aliis ita ſcripſit: *Gymnaſium literarium hic negligebatur, nunc illud non modo inſtaurare, ſed nobilitare cogitamus, cupientes cum pietate bonas plantari literas. Atque ob eam cauſam, bonos eruditoſque viros, quotquot alere poterimus, advocamus, invitamuſque; juſtis etiam ſumtibus neutiquam parſuri, ſed dignis ſtipendiis incitaturi. Porro quoniam per amicos cognovimus, quo pacto iſtic res tuæ habeant, & quam non abhorreat a ſinceritate fidei animus tuus, quæ pleriſque conceſſa non eſt: unde ſpei quippiam eſt, te quoque induci poſſe, ut huc migres, profeſſione græcarum literarum functurus. Quod muneris hic obire ſi non detrectabis, dabimus operam, ut non pœnitendo ſalario hic agere queas, & ampliore quam ulli profeſſorum hactenus noſtri numerarunt. Ita enim mihi de benevolentia Senatus perſuadeo. Tribunus plebis, nunc primariæ in hac urbe auctoritatis, ante annum cum legatum civitatis noſtræ apud Principem veſtrum ageret, morum tuorum ſuavitate, ſermonis comitate, ac boni nominis fragrantia, adeo bene erga te adfici cœpit, ut nihil non quod honeſte poterit, tuo nomine, in tui gratiam facturus*

facturus sit. Te enim, ut pios omnes, amat ac observat, etiam desiderat: eoque conscio tibi scribo, beatos nos existimans, si te collegam habituri simus. Bene vale, mi Simon, venique statim. Hanc conditionem accepit Grynæus & literas Græcas publice docuit. Etiam cathedram Theol. extra ordinem conscendere jussus epistolam ad Romanos explicavit. Sequenti anno, 1530., in Angliam profectus aliquot ejus regni bibliothecas, juvante eum Thoma Moro, oculis lustravit; hoc honoris ibi habitum fuit ipsi, ut ejus effigies in bibliotheca anglicana regia inter Theologos Helvetios poneretur. Anno deinceps 1534. ab Huldrico principe Wurtembergico cum aliis Tubingam vocatus est Grynæus, ut scholam atque ecclesiam ibi reformaret. Inde biennio post Basileam reversus, a. 1537. Erasmo ægrotanti & morienti, variis ipsi pietatis præstitis officiis, ad extremum usque halitum adstitit & N. T. ordinarium egit professorem. A. 1540. Melanchtoni, Capitoni, Bucero, Calvino aliisque ad solenne colloquium Wormatiense proficiscentibus adjunctus fuit socius magistratus nomine. Biennio ante his Grynæo fuit mota a Caroloſtadio ob gradum Doctoris, quem accipere renuebat; Caroloſtadius nempe postulavit a Grynæo, ut, si sacras Literas docere vellet publice, Doctorem se renunciari pateretur. Missi componendæ liti ab Argentoratensi magistratu Capito, Bucerus atque Sturmius, qui nihil profecerunt. Casparus etiam Hedio periculum fecit, Grynæum a sententia revocandi, eique formulam proposuit, qua ipse a Joh. Eberbachio, Parocho Moguntino, Theologiæ Doctore, Moguntiæ Theologiæ Doctor fuerit proclamatus, quæ hæc fuit: *Ego, auctoritate non Romani Pontificis, sed Christi Jesu, cœlestis Doctoris, cui Pater testimonium dedit: Ipsum audite; qui suis discipulis dixit: Ite, docete omnes gentes: Te Casp. Hedionem* &c. sed & iste nihil effecit, Grynæusque in sententia perstitit. Rectoris Acad. tamen munus accepit a. 1541. quo eodem anno 1. Aug. ex peste obiit. Deploravit eum Basilea ut virum non solum linguarum, Latinæ, Græcæ atque Hebraicæ, peritissimum, non solum tanquam matheseos quin universæ philosophiæ callentissimum, sed quam maxime ob Theologiæ profundam cognitionem & ante omnia ob pietatis vere christianæ exercitium, cujus exemplo vivo jam carere habuit necesse. Duas

Digitized by Google

duxerat Grynæus uxores; unam Heidelbergæ a. 1523. Magdalenam Spirenſem infœcundam, alteram Catharinam Lombardiam, ex qua unicum ſuſtulit filium, ſed qui plurium loco eſſe poſſit, Samuelem J. C. de quo ſuo loco.

Scripta Sim. Grynæi ſunt: Præfatio in Plutarchi vitas Latine & Græce impreſſas, Baſ. 1533. præf. in Euclidis elementa geometrica græce excuſa, de diſciplinis mathematicis, ib. 1533. Præfatio in Pollucis Onomaſt. ib. 1536. hiſtoria vitæ & obitus Joh. Oecolampadii, quæ præmiſſa eſt commentario Oecolampadii in Ezechielem itemque epiſtolis Oecol. & Zuinglii. Præclare etiam de Aſtronomia meruit, magnamque apud illius cultores iniit gratiam, quod primus cum præfatione edidit textum græcum *magnæ compoſitionis Ptolomæi cum commentariis Theonis Alex.* Baſ. apud Walderum 1538. fol. nitide excuſum. Præfationes in ſcriptores novi orbis, in Abſyrtum & reliquos Græcos Hippiatros, in Lexicon Græco Latinum, in Juſtinum, in Hugonis Latimeri orationem de regni ſtatu per Evangelium in Anglia reformando &c. Opera Platonis a Marſ. Ficino verſa emendavit, Baſ. 1539. Somnium ad Jac. Sturmium carmine heroico, ib. 1541. Medicinæ encomium ib. 1542. 8. de meteoris ignitis & cometis, 1580. Baſilienſium Monumentorum antigrapha, 1602. Lignit. 8. Ex Græco in Latinum vertit ac edidit Ageſilai vitam in Parallelis Plutarchi. Plutarchi libellum; *ſitne rationis aliqua in beſtias vis.* Baſ. 1534. Ariſtotelis elenchorum l. 2. Ejuſd. libellum de virtutibus & de mundo. Homilias Chryſoſtomi in I. ad Corinth. a 21. uſque ad 44. Ejus ad Calvinum & Farellum occurrunt epiſtolæ in epiſtolis Calvini, Genev. 1576. fol. pag. 361. 363. 364. 365. Ab hæredibus inedita ſervantur: commentarius in ep. ad Romanos; liber de cœna Domini; nec non opus epiſtolarum &c.

III. Wolfgangus Wissenburgius Baſileæ natus a. 1496. patrem habuit Jacobum, ſenatorem pium atque integerrimum. Wolfgangi, ſeu potius Guolphangi, nomen Noſter peculiari occaſione obtinuit. Parentes ejus, ut prolem maſculam conſequerentur, ad thermas Badenſes Marchionis abivere, hocque nomine in itinere prope Argentinam in æde S. Guolphangi preces fuderunt. Noctu inſequente ſomniabat mater, preces ſuas interceſſione S. Guolphangi eſſe exauditas, ideo in honorem hujus Divi filio nato ejus nomen indiderunt pii parentes. Promto felicique ingenio puer bonis literis mature atque diligenter operam dedit, a pio quodam ſacerdote

Digitized by Google

ſacerdote Monacho Baſileæ in ſuburbio, quod a Lapidibus nomen habet, prima rudimenta edoctus, ſub quo adeo profecit, ut a. 1510. ad lectiones publicas admiſſus, deinceps a. 1512. Laureatus Artiumque poſtea Magiſter fuerit promotus. Vſus eſt eo tempore in diſciplinis mathematicis præceptore Henrico Glareano, ea felicitate, ut Mathematum profeſſio ei a. 1520. demandaretur, cui diu cum fructu vacavit. Sacro interim ſtudio operam dedit diligenter & a. 1522. ſacerdos fuit inauguratus. A. 1524. parochia in æde Franciſcanorum & Xenodochio ei fuit commiſſa, in quo munere Chriſtum maſcule & ſumma diligentia prædicavit, atque lectis Martini Lutheri ſcriptis, Oecolampadio confeſtim ſe junxit, cujus poſtea in reſtauranda eccleſia fidum & ſtrenuum egit adjutorem. Primus is fuit, qui in eccleſia ſua Miſſam germanica lingua legit. Religionis mutatione a. 1529. feliciter expedita, & civitate tota in quatuor parochias diviſa, ipſe Transrhenanam ſortitur; in qua functione quum multo eccleſiæ emolumento per undecim annos fuiſſet verſatus, a. 1541. S. Grynæo in Profeſſione N. T. ſuccedit, poſtquam anno ſuperiore 5. Cal. Nov. exhibitis eruditionis ſuæ ſecundum novas inſtitutiones ſpeciminibus publicis S. Theologiæ Doctor, iſque poſt Reformationem primus, Decano & promotore Andrea Bodenſteinio Caroloſtadio, ſolenni ritu fuiſſet deſignatus. Profeſſor dictus paſtoratui quidem valedixit, tamen ad aliquot annos Archidiaconi Truckenbrothii vices egiſſe legitur. Denique mortuo Caroloſtadio a. 1544. paſtoratum Petrinum ſuſcepit, quem per decennium induſtria & fide optima adminiſtravit. Cum vero jam per 40. fere annos eccleſiæ & academiæ inſerviiſſet, & inſerviendo conſumi inciperet, atque ſenectutis, ut querebatur ipſe, tardioris jamque non bene memoris, impeditæ quoque vocis difficultate laboraret, paſtoris munus reſignavit, retenta tamen adhuc profeſſione, qua vero & mox a. 1554. ſeſe abdicavit, rude, quam meruit, donatus. Reliquum vitæ tempus piis meditationibus & ſtudiis privatis impendit, donec ſenectutis ſarcina preſſus & laboribus exhauſtus, cum per aliquot annos graviter decubuiſſet, d. 9. Mart. 1575. vita deceſſit.

Ejus ſcripta hæc fere ſunt: Deſcriptio terræ ſanctæ, Scripturæ S. accommodata. Oratio de auctoritate Synodorum &

de vero uſu cœnæ Domini. Ptolomæum adornavit novis tabulis. Varias epiſtolas nonnullis auctoribus editis præfixit. Juſſu Magiſtratus 20. theſes theol. erroribus Leonhardi prædicatoris petrini oppoſitas publice defendit a. 1524. Iterum 20. theſes theol. edidit a. 1540. Excerpta ex Patribus doctrinam de S. Cœna ſpectantia fecit, quæ lingua germ. cum ejus præfatione edita ſunt Baſil. 1561. 4. In epiſtolis Reform. Füſslin. Cent. 1. n. 98. & 99. ejus leguntur epiſtolæ.

IV. SIMON SULCERUS, cum Wiſſenburgerus, ipſo petente, rudem accepiſſet, a. 1554. cathedram N. T. obtinuit & Matthæum publice explicavit. Hanc cathedram per decennium occupavit, d. 29. Nov. 1564. ad profeſſionem V. T. promotus. V. Prof. V. T. n. 5.

V. HULDRICUS COCCIUS genitus eſt a. 1525. patre Ulrico Kœchlin, cive Friburgenſi Helvetio & matre Barbara Weingarten, quæ Kœchlino mature defuncto nupſit Nicolao Eſſig, ludimagiſtro Micropolitano, qui privignum ſuum Huldricum, bonæ indolis puerum, literis adplicuit, eaque lege adoptavit, ut nomine *Eſſig* cognominis loco uteretur. In vitrici familiam adoptatus & literis diligenter inſtitutus a. 1542. philoſophiæ ſtudioſus, biennio poſt Laureatus & a. 1546. Artium Magiſter fuit ſalutatus. In literis humanioribus addiſcendis ſingularem adhibuit diligentiam, magnamque in iis acquiſivit cognitionem, quo factum, ut jam eodem anno, quo ad ſummos in philoſophia honores pervenit, in pædagogeo ad literas græcas publice docendas fuerit vocatus; cum autem Thomas Grynæus ad Græca aptior videretur, Coccius ad Willichii Dialecticam a. 1548. & a. 1560. ad Logicam, cui per quadriennium vacavit, fuit translatus. Ad tempus aliquod pædagogei præfectum itidem egit Coccius, iſto autem munere a. 1555. ſeſe abdicavit. Præter negotia iſta publica Coccius egregie etiam ſtudiis theologicis fuit operatus, ut non modo academiæ ſed & eccleſiæ utiliter & cum nominis ſui fama præeſſet; etenim paſtor fuit primum ſuburbicarius, idque ſatis mature, antequam in pædagogeo docere cœpit; deinde vero a. 1552. eccleſiaſtem egit martinianum, idque tum memoria dignum ipſi accidit, quod a. 1556. 12. Cal. Febr. cum Deputato Lœracum, pagum in marchionatu vicinum, fuerit miſſus, ut ibi primam haberet concionem evangelicam. Denique

que a. 1562. paſtoratus Petrinus ei fuit commiſſus, cui ut ceteris muneribus eccleſiaſticis antea geſtis indefeſſa induſtria, fervente zelo & ſanctæ vitæ exemplo præfuit. Placuerat autem Academiæ, & in ea ordini Theologorum, hunc virum ſibi denuo vindicare, eumque 12. Cal. Dec. 1564. ad profeſſionem N. T. vocavit, quam adſidue adminiſtravit, & quidem integro quinquennio, antequam Doctoratum theologicum acciperet, qui ipſi poſtulantibus Reipublicæ civilis & literariæ principibus tandem 2. Febr. 1569. fuit collatus. In conjugio duplici per 40. annos vixerat Coccius; prima uxor erat Margaretha Merian, uxoris Sulceri ſoror, unde forſan derivandum, quod Coccius cum adfine Sulcero cauſam communem fecerit, Lutheraniſmum in noſtra urbe introducendi; renitentibus autem Theologis paſtoribuſque ceteris fere omnibus, quin & ipſis civibus, nihil effecerunt; hac uxore defuncta Coccius d. 31. Jan. 1571. ad ſecundas nuptias tranſiit & puellam duxit 20. annorum, Vrſulam Fæſch, ipſum jam canum nonnullis ideo cavillantibus. A feſto Joh. B. 1584. morbo impeditus a publico munere quievit, & tres ſimul, ægrotante etiam Sulcero Grynæoque abſente, conſtituti ſunt horum Theologorum vicarii, Vrſtiſius, Brandmullerus atque Helius. Denique Coccius aqua intercute vitam finiit d. 10. Febr. 1585. quo ipſo anno n. d. 22. Jun. etiam Sulcerus deceſſit. Reliquit duos eruditos filios ex priori conjugio, Samuelem & Thomam, ambos Philoſophiæ Profeſſores, de quibus ſuo loco dicetur.

Scripſit indicem & præfationem in opera Divi Gregorii Pontificis, quæ excuſa ſunt Baſ. in offic. Froben. 1551.

VI. JOH. JAC. GRYNÆUS S. Theol. Doct. & V. T. Profeſſor, Heidelberga, quo petente Duce Palat. Caſimiro & indulgente Magiſtratu Baſil., ut eccleſiam atque academiam Heidelbergenſem reſtauraret, a. 1584. ſeceſſerat, d. 17. Jul. 1585. a Senatu Baſil. per literas revocatur, eique profeſſio N. T. adminiſtranda defertur, quam omni fide optime curavit, idque ad beatam uſque ejus ἀναλυσιν, quæ contigit d. 30. Aug. 1617. V. Prof. V. T. n. 6.

VII. SEBASTIANUS BECK, S. Th. Doct. a Profeſſione V. T. ad cathedram N. T. vocatur d. 24. Febr. 1618. hancque

Digitized by Google

hancque administravit summa cum laude atque utilitate, donec in cœlestem academiam fuit translatus d. 9. Mart. 1654. V. Professores V. T. n. 10.

VIII. THEODORUS ZUINGERUS, S. Theol. Doct. & Ecclesiarum Basil. Antistes a cathedra V. T. ad explicandum N. T. fuit vocatus d. 1. Sept. 1654. sed priusquam hanc professionem auspicaretur, infirmitate oppressus magno ecclesiæ & scholæ theologicæ detrimento labori succubuit d. 27. Dec. 1654. V. Professores V. T. n. 12.

IX. JOH. RODOLPHUS WETTSTENIUS prænobili stemmate natus lucem vidit d. 5. Jan. a. 1614. patrem habuit virum amplissimum J. Rod. Wettstenium, Reip. Bas. Consulem prudentissimum, qui inter alias legationes & illa functus est gravissima, qua totius Helvetiæ nomine ad conventum Monasterienſem a. 1646. itemque a. 1650. Viennam ad ipsam Cæsaream Majestatem Ferdinandum III. fuerat missus, ut patriæ securitati & libertati caveret, utraque legatione felicissime perfunctus. Sua enim unice prudentia, suis consiliis & incredibili labore id effecit, ut ab omnibus Paciscentibus & ipso imperio Romano Reipublicæ Helvetiorum libertas, αυτονομια atque supremum imperium agnosceretur, idque instrumento pacis Westphalicæ disertis verbis insereretur; ipse etiam Wettstenius ab Imperatore Nobilium Ordini fuerat adscriptus. Matrem vero Noster nactus est Annam Mariam Falkner, ex antiquissima atque nobilissima familia oriundam. A parentibus genere ac pietate nobilibus puer nobilem atque liberalem obtinuit educationem, optimisque publicis atque privatis præceptoribus fuit commissus; quorum fide propriaque diligentia cum, benedicente Deo, disciplinas ingenuas, linguam græcam atque latinam haud mediocriter comprehendisset, præceptorum suorum judicio dignus fuit habitus, qui scholis exemtus trivialibus a. 1628. ad academiam amandaretur. Novam hic præstitit adsiduitatem Wettstenius, nec eum generis sui tenuit fiducia; non ludo, non otio, non apinis tricisque, & si quid vilius istis, sed totum se bonis tradidit literis, gentis suæ nobilitatem nova aucturus nobilitate; illud acutissimi morum censoris, Juvenalis, secum perpendens: *Stemmata quid faciunt?*

Digitized by Google

ciunt? quid prodeſt, Pontice, longo Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus Majorum &c. illud Maronianum ſuum fecit: *tentanda via eſt, qua me quoque poſſim Tollere humo: victorque virum volitare per ora.* Wettſtenius itaque ad labores impiger omnes philoſophiæ partes ſtrenue pertractavit, curſuque philoſophico abſoluto laboris præmia digna tulit, ſummos nempe, quos Philoſophi dare poſſunt, poſt primos, adeptus honores, quod factum a. 1629. & 1631. A diſciplinis, quæ verbis atque rationibus bonos cives formare laborant, ad eam converſus diſciplinam, quæ divinis oraculis bonos atque beatos efficere ſtudet chriſtianos, nihil fecit reliqui, quod ad rem pertineat. Continuato philoſophiæ ac philologiæ ſtudio literis ſacris diligentiſſimam navavit operam, ut Theologiam dogmaticam atque polemicam animo atque memoria tenuerit univerſam. Ita præparatus examen petiit pro S. Miniſterio publicum, illudque cum d. 28. Oct. 1634. ſubiiſſet, ſpem, quam de ſe excitavit, optimam ex aſſe implevit, Miniſteriique Candidati ordinationem accepit. Eodem iſto anno, perſpecta inſigni in Græcis literis peritia, Academiæ proceres Wettſtenium iſtas literas vicario nomine docere juſſerunt, finitoque ſequenti anno iſto vicariatu, ipſoque ad concionatoria exercitia converſo, denuo Academiæ patres ipſum revocant & Rhetoricam cathedram ipſi vicaria opera ornandam committunt. Mox autem d. 3. Mart. a. 1637. ordinariam Linguæ Græcæ profeſſionem Senatorum academicorum ſuffragiis adeptus id egit unice, ut auditorum promoveret profectus, ipſis ex Homero ſermonis elegantias, ex ſcriptis N. T. pietatem ſedulo inſtillans. Anno inſequente peritiam ſuam apud exteros locupletaturus iter literarium inſtituit in Helvetiam, Galliam, Angliam, Belgium atque Germaniam, eoque magno cum fœnore feliciter confecto ad priſtinos labores fuit reverſus. In Græcis tradendis cum Wettſtenius integrum ſexennium conſumſiſſet, profeſſio ardua, organi nempe Ariſtotelici, ſuperiorum voluntate ipſi obtigit, quam tam analytice quam practice adminiſtravit. Septennio abhinc elapſo novam ſpartam, Bibliothecæ nempe publicæ curam, omni modo exornavit, ipſamque hanc Bibliothecam inſigniter auctam atque illuſtratam conſilio ſuo atque auxilio fecit. Anno nempe 1662., cum inſtructiſſima bibliotheca Amerbachiana

Digitized by Google

chiana una cum pretiosissima, ex Erasmi præcipue reliquiis consistente, cimeliotheca ab hæredibus vendenda esset Batavis, Wettstenius noster omnem movit lapidem, ut thesaurus iste maximus alio non migret, suisque precibus atque monitis apud Consulem Patrem effecit, ut ille Magistratus sumtibus bibliothecæ academicæ inferendus acquireretur; octo millia thalerorum solvit nempe pro eo ampliss. Magistratus, ipsaque Vniversitas ex suo peculio thaleros mille adjecit. Statim etiam postea eodem Wettstenio Consule, instigante filio Professore nostro, Bibliothecæ publicæ amplior atque illustrior locus fuit concessus, quem hodienum occupat, domus nempe spatiosa, a Musca nomen gerens, cujus aula olim a. 1431. conclavi inserviebat, in quo Felix V. Patrum Concilii Basil. suffragiis Pontifex Maximus fuit creatus. Domesticas curas Wettstenius a. 1643. divisit cum Margaretha Zæslin, quæ charissima uxor ei 12. filios peperit & 5. filias, ex quibus filiis Joh. Rodolphus Patris græcam atque theologicam cathedram adscendit. Noster Wettstenius ut sibi ad professionem theol. gradum faceret, amicis hortantibus a Theologorum ordine insignia doctoralia petiit & promotore Theod. Zuingero d. 11. Dec. a. 1649. obtinuit, habita præter alia specimina publica oratione *de origine errorum & dissensionum in religione.* Postea, nempe d. 1. Sept. 1654. professio Loc. comm. & controv. theol. & denique d. 25. Jan. 1656. professio N. T. ei fuit demandata, cui vir in theologia patristica inprimis versatus diligentissime præfuit. Wettstenio jam diu Theologo, formula illa celebris consensus ecclesiarum helveticarum reformi. autore J. Henr. Heideggero in publicum prodiit a. 1675., etiamque Basileæ Ministris subscribenda fuit data. Wettstenius autem, qui easdem circa gratiam universalem tenebat cogitationes, quæ in hac formula in theologis Salmuriensibus improbatæ fuerunt, hanc formulam subscribere renuit, & quominus ab aliis subscriptio fieri debeat omnia impendit; licet autem istud non impetraverit, ipse tamen pro auctoritate atque æstimatione, qua pollebat, ad subscriptionem neutiquam coactus, nullumque ideo redituum vel æstimationis suæ detrimentum fuit passus. Haud diu autem postea nec ab aliis ista subscriptio fuerat requisita, eaque, petente Theologorum ordine, d. 26. Maj. 1722. a summo Magistratu prorsus fuit abrogata.

Digitized by Google

gata. Senex Wettſtenius ſaturque dierum ad patres fuit collectus d. 11. Dec. a. 1684.

Plura typis parata habuit, pauciſſima vero in lucem prodire paſſus eſt, ne intempeſtivo aliquo conatu famæ aucupium quæſiviſſe videretur, a quo ejus ingenium prorſus abhorrebat. Edita exſtant præter nonnullas diſſertationes ſequentia: Certum animæ ſolatium a. 1638. ex Rom. VIII. 14. Marci Diadochi ſermo contra Arianos a. 1642. ex Mſ. codice Bibl. Baſ. primum editus Gr. & Lat., recuſus cum libello Origenis de Oratione a. 1694. Oratio in obitum Theod. Zuingeri a. 1655. Origenis exhortatio ad Martyrium, quam nullibi forſan niſi in Bibl. Baſ. exſtantem primus exſcripſit & Filio excudendam tradidit, quod iſte præſtitit a. 1674. cum eam tractatui Origenis contra Marcionitas a ſe edito adnecteret. Refutatio fabulæ XI. M. V V. Tractatum item Vinc. Bandelii de conceptione B. Virginis Mariæ recudi curavit. Scripſit etiam Eucharisticon Encomio Ironico Dorſchei oppoſitum, quod vero luci publicæ non expoſuit.

X. JOHANNES ZUINGER profeſſionem N. T. auſpicatus d. 28. Aug. 1685. eandem adminiſtravit, donec animam finivit, quod accidit d. 26. Febr. 1696. V. Prof. V. T. n. 15.

XI. PETRUS WERENFELS auſpicia cepit profeſſionis N. T. d. 14. Oct. 1696. eamque quoad vixit retinuit; mortuus d. 23. Maji 1703. V. Prof. V. T. n. 16.

XII. JOH. ROD. WETTSTEIN adiit profeſſionem N. T. d. 14. Apr. 1704. eique præfuit uſque ad a. 1711. quo d. 21. Apr. ad ſuperos ſeceſſit. V. Prof. V. T. n. 17.

Edidit præter ibi memorata *flores eloquentiæ*, Baſ. 1684. 8.

XIII. SAMUEL WERENFELS explanationem publicam N. T. exorſus eſt d. 20. Nov. 1711. eamque continuavit uſque ad 1. Jun. 1740. quo fato fuit defunctus. V. Prof. V. T. n. 18.

XIV. JOHANNES GRYNÆUS, Grynæorum nobilis verum nimis eheu tenera ſuboles, in lucem editus eſt Leuffelfingæ, pago ditionis Baſilienſis extremo, d. 8. Jun. 1705. patre Samuele Grynæo, paſtore Leuffelfingenſi, & matre Anna Catharina Fæſch. Defuncto patente puer cum matre Baſileam petiit & claſſes Gymnaſii frequen-

frequentavit. Eas permenſus a. 1717. facultatem accepit philoſophorum lectiones audiendi, quod adeo fecit diligenter atque attente, ut privata accedente inſtitutione propriaque adjuncta induſtria, a. 1718. primam Lauream & a. 1720. Magiſterii artium honorem fuerit adeptus. Altiora jam ſpirans ſtudio Juris ſe dicavit, & opera uſus publicorum Profeſſorum, Chriſtii atque Wettſtenii, tantos cito in utroque Jure fecit progreſſus, ut a. 1724. J. V. Licentiatus denominaretur; ſequenti vero anno pro ſummis in utroque Jure honoribus rite conſequendis d. 29. Jun. 1725. theſes juridicas miſcellaneas edidit atque defendit. Ex occaſione ſtudii legum profanarum inceſſit Grynæum cupido leges divinas exactius cognoſcendi, cumque id ſine hebraicæ linguæ cognitione fieri non poſſe cognoſceret, adiit J. Ludov. Freyium, magnum illum orientalium linguarum magiſtrum, ipſiuſque operam efflagitavit. Hic pro voto nactus diſcipulum non hebraica tantum lingua ipſum imbuit ſed & Rabbiniſmo, Syriaſmo atque Arabiſmo initiavit, idque haud leviter, in intima potius harum dialectorum penetralia cum eo penetrans, Talmudem, Alcoranum atque ipſum Arabſchiadem haud perfunctorie perluſtrando. Quin cum nobiliſſimus FAHD, Sidonis incola, qui præter vernaculam, arabicam, nulla alia lingua utebatur, per integram hebdomadem apud Ven. Freyium, in cujus ædibus & Grynæus habitabat, commoraretur, non tantum ambo iſti Amici eum loquentem intellexerunt, ſed & ipſi arabica lingua reſponderunt, eique digreſſo nonnullas epiſtolas tranſmiſerunt arabicas. Ad ipſa etiam Perſica atque Æthiopica fuiſſet progreſſus Freyius, niſi Grynæo a linguarum ſtudio ad ſtudia rerum tranſire placuiſſet. Freyius autem pro ſingulari, qua pollebat, prudentia, in Grynæo acre ingenium, ſubactum judicium veræque pietatis ſenſum obſervans nihil intermiſit, quin omnem impendit operam, ut Grynæus relicta Juriſprudentia Theologiæ unice ſe traderet, quod tandem fecit d. 27. Apr. a. 1731. nomen ſuum inter Theologiæ ſtudioſos profeſſus. Inter iſta autem orientis linguarum ſtudia ceteras elegantiores literas non abjecit Grynæus, ſed perpetuo in iis ſeſe exercuit, & ſubinde publica diligentiæ ſuæ edidit ſpecimina, ut d. 9. Dec. 1727. cum pro vacante cathedra philoſophiæ moralis; d. 22. Oct. 1731. pro Logicæ & d. 20. Mart. 1733. pro Linguæ Hebrææ

cathedra

cathedra disputaret, qua ultima vice sortem habuit renuentem; triennio vero postea Senatus acad. ipsum ejusdem Linguæ hebrææ vicarium constituit Professorem, quam provinciam per biennium optime gessit. Freyius autem Grynæum totum jam suum ad theologica studia inclinavit & ut aliquando theologica professione fungeretur omni modo paravit. Obtulit se jam occasio a. 1737. quo d. 17. Dec. Loc. comm. ac controv. Theol. Professor P. fuit denunciatus. Antequam istud munus, cujus obtinendi causa d. 3. Dec. 1737. theses theol. publice defendit, capesseret, pro more d. 30. Jan. a. 1738. postquam solitum examen subiisset & præter alia exercitia etiam disputationem d. 25. Oct. a. 1737. ventilandam propositisset, a Freyio suo tiaram Doctoris Theologi sibi imponi passus est. Ab ista cathedra ad cathedram N. T. vocatus solennia ejus auspicia cepit d. 15. Nov. 1740. eamque summa fide administravit usque ad vitæ finem, qui nimis cito adpropinquavit d. 11. Apr. 1744.

Opuscula hujus viri longiori vita dignissimi collecta edidit cum auctoris Biographia J. L. Frey, Bas. 1746. 8. eaque inscripsit: Λειψανα Joh. Grynæi; etiam in Mus. Helv. P. I. ejus leguntur animadversiones ad Reimannum de Atheismo Mohammedanorum; nec non epistola ad Zimmermannum, in qua disquiritur: an Mahomed impostor fuerit an fanaticus? hæc duo in Λειψανοις non occurrunt. Sed non scriptis tantum verum & alio modo Basilienſis juventutis post fata adhuc Doctorem agere voluit Vir iste optimus. Ad nobile nempe Institutum Venerandi Freyi, quod in ejus vita describimus, promovendum beatus Grynæus summam 4000. florenorum eo fine destinavit, ut futurus Lector eorum annuos census honorarii loco perciperet; itemque Freyio commisit ex Bibliotheca sua eos eligere & in ipsius huic Instituto dicatam Bibliothecam transferre libros, quibus ipse careret, quosque dignos haberet.

XV. Joh. Balthasar Burcard de stirpe amplissima & virorum de Republica, Ecclesia & Academia nostra præclare meritorum feracissima ortus, hanc lucem adspexit primum d. 9. Febr. 1710. Patrem veneratus est Hieronymum Burcard, S. Theol. Doct. & Professorem, itemque Ecclesiarum Antistitem, matrem vero Catharinam Ryhiner. Ab his parentibus a parvulo sacras literas liberalesque disciplinas edoctus, magistrisque privatis optimis usus, pro egregia sua indole,

adeo celeres fecit progreſſus, ut jam a. 1721. ad vitam academicam tranſiret. Eodem anno Viviſcum linguæ gallicæ addiſcendæ ergo miſſus tanta diligentia & philoſophiam & gallicam linguam fuit proſecutus, ut jam a. 1722. relicto Viviſco primam & biennio poſt ſecundam lauream philoſophicam acciperet. Liberalibus diſciplinis innutritus atque haud leviter imbutus, d. 3. Maj. 1724. nomen dedit ſtudio theologico, in quo iterum omnem adhibuit operam tum in academia patria tum in ſchola Tigurina, quam a. 1726. viſitavit. Philologico atque theologico adparatu jam ſatis inſtructus, ipſo petente, ad tentamina atque examina pro S. Miniſterio admittebatur, annoque 1728. in numerum Candidatorum recipiebatur. Eodem hoc anno juvenis licet, dignus tamen habebatur, qui illuſtriſſ. D. Dominico Paſſionei, tunc Romani Pontificis ad Helvetiæ pagos catholicos Legato, poſtea Cardinali, hebraicarum, chaldaicarum atque ſyriacarum literarum magiſtrum petenti, de meliori commendaretur. Egregio hoc munere per ſemeſtre egregie defunctus & haud exigua cum honorum teſtificatione dimiſſus patriam petiit & ad ſtudia theologica reverſus eſt. Haud diu poſt, quo eruditionem apud exteros etiam augeret, duplex iter literarium ſuſcepit, brevius unum, longius alterum; nempe primum a. 1730. cum magnum philoſophum Chriſtianum Wolfium auditurus, Marpurgum Cattorum abiit, quantumque profecerit ibi, anno jam ſequenti oſtendit, cum cathedram logicam ambiret. A. 1732. iterum alias regiones viſitavit, in Belgium profectus per ſex menſes Lugduni Bat. perque Galliam redux ſex alteros menſes Lutetiæ Pariſiorum ſubſtitit. Conquiſitis undique omnigenæ eruditionis opibus in patriam properavit, Academiæ emolumento, quod in theſauris latebat, depromturus. Citius etiam ei oblata fuit occaſio publice demonſtrandi, quantum valeat eruditione; cum enim a. 1733. profeſſio hebræa vacaret, pro ea obtinenda cum adplauſu omnium eruditum ſpecimen, fortuna tamen invita, edidit; mox vero eam magis faventem fuit expertus, cum d. 15. Dec. 1733. profeſſor Rhetorices eligeretur. Cum etiam a. 1738. Profeſſor vicarius linguæ hebrææ eſſet conſtituendus, & iſta provincia ipſi ab ampliſſ. Senatu academico perhonorifice fuit delata. Vtramque hanc ſpartam ſumma cum laude neque minore fide atque dili-

diligentia adminiſtravit, donec, divina ſic volente providentia, ſervus iſte bonus & fidelis, quoniam in paucis fuerat fidus, multis atque amplioribus fuerit præfectus; die nempe 28. Nov. 1740. ſortem dirigente ſupremo Numine, profeſſio theologica locor. comm. & controv. ei obtigit, quam, accepto d. 16. Jan. 1741. Doctoris Theologiæ titulo, biduo poſt optimis ominibus fuit auſpicatus. Ab hac revocatus cathedra N. T. expoſitionem ſuſcepit d. 4. Sept. 1744. eamque adhuc continuat, utque Academiæ atque Eccleſiæ commodis adhuc diu continuet, votis expetimus noſtris. Rectoratum acad. III. Decanatum vero theol. XVII. omni fide atque dexteritate adminiſtravit.

Scripſit hactenuſque edidit ſequentia: d. 10. Dec. 1721. diſſert. de mente humana. d. 18. Nov. 1727. theſes ex Jure nat. d. 23. Oct. 1731. diſſ. de aſſenſu, recuſam in Muſ. Helv. P. 4. d. 17. Mart. 1733. diſſ. de Judæis corruptionis V. T. falſo inſimulatis; d. 20. Oct. 1733. theſes rhetoricas; theſium philoſophicarum collectiones 3. Theſes theologicas d. 20. Sept. 1740. itemque d. 18. Nov. 1740. Orationem de criminibus, Joſepho patriarchæ a Morgano impactis, habitam, cum Rectoratum auſpicaretur, d. 21. Jun. 1746. ea inſerta eſt Muſeo Helv. P. 3.

PROFESSORES LOCORUM COMMUNIUM ET CONTROVERSIARUM THEOL. EXTRAORDINARII.

I. Joh. Georgius Gross Baſileæ natus d. 28. Mart. 1581. ab ipſis incunabulis ad literarum ſtudia diligenter ſeſe retulit & pro pia mente ingeniique felicitate celeres in iis fecit progreſſus. Philoſophica ſtudia cum abſolviſſet, dignaque diligentiæ præmia accepiſſet, die ſc. 14. Nov. 1598. primam, & d. 30. Mart. 1601. ſecundam philoſophiæ lauream, ad literas ſacras animum adplicuit, in iiſque totus vixit. Quin nondum ex ſchola philoſophica dimiſſus, & Laureati demum titulum adeptus, jam, anno nempe 1598. nomen ſuum matriculæ theologicæ inſcripſit & ſtudia theol. cum philoſophicis iuncta tractare incepit. Vix dum ad S. Miniſterium fuit ordinatus, paſtor electus fuit ad D. Margarethan a. 1604. & triennio poſt d. 7. Jun. 1607. paſtoratus Eliſabethanus

ſabethanus ei fuit delatus; denique d. 14. Jul. 1611. graviſſimum munus paſtoris Petrini obtinuit; quibus ſingulis muneribus ſingulari fide atque diligentia præfuit. Horas, quas paucas invenit, ſucciſivas piæ meditationi, lectioni præſtantiſſimorum librorum theologicorum & ſcribendis variis lucubrationibus impendit, illud Scipionis Africani ſuum faciens adſerenſque, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Perſpecta Viri pietate, eruditione atque diligentia, Patres academiæ conſcripti ejus operam & in ſchola theologica utilem fore judicarunt, eique ideo a. 1610. extra ordinem commiſerunt, ut locos communes & controverſias theologicas, nondum enim tum ordinarius erat hujus penſi Profeſſor, publice doceret, quod muneris is lubenter ſuſcepit atque ſtrenue peregit. Die 21. Maj. a. 1611. ipſi ut & Wolfg. Meyero & Sebaſt. Beckio in brabeuterio, gratulantibus piis, collatum eſt ſecundum leges ἀξιώματα & teſtimonium S. Theologiæ Doctoris, promotore & deſignatore J. Jac. Grynæo, qui illis tribus auctor fuerat, ut boni publici & poſteritatis cauſa perſonam Theologorum decenter & ſuſciperent, & ad Dei gloriam eccleſiæque & ſcholæ theol. ædificationem tuerentur. Poſtea d. 3. Jun. 1612. Decano eodem Grynæo & Collega Seb. Beckio Groſſius noſter ut & Wolfg. Meyerus ad facultatem theol. adſciti ſunt, idque hoc fine, ut, tum majore cum auctoritate extraordinarias prælectiones theol. inſtituere integrum iis foret, tum etiam hæc eorum conſociatio ſerviret conjunctioni facultatis theol. & totius S. Miniſterii. Obiit Groſſius d. 8. Febr. 1630.

Reliquit ſcripta ſequentia: Diſſ. pro gradu Doct. d. 4. Maji 1611. in Habac. II. 4. d. 31. Oct. 1611. elenchum controverſiarum de Juſtificatione. Vindicias Scr. S. P. 5. Elenchum controverſiarum de paſchate chriſt. d. 10 Apr. 1613. de virgineo partu d. 31. Dec. 1613. refutationem deſcenſus locacalis Chriſti ad inferos d. 5. Maji 1614. de bellis chriſtianorum & de circumciſione Chriſti a. 1614. & 1615. de terræ motibus a 600. retro annis Baſileæ obortis, 1614. de interitu pagi *Plurs* &c. 1618. Bericht von dem Cometen des Jahrs 1618. eod. 4. concionem de mulieribus gravidis in Gen. III. 16. 1619. concionem fun. in Apoc. III. 21. 22. 1622. concionem fun. 1. Sam. I. 20. &c. 1629 de chriſtiana republica, ſ. de felici gubernatione populi Dei, l. 3.

Baſ.

Digitized by Google

Baſ. 1612. 8. tractatum de formandis orationibus oratoriis l. 4. ib. 1613. 8. faſciculum orationum publice habitarum Baſileæ, ib. theatrum biblicum ex ſcriptis Theologorum veterum, ib. 1615. & 1618. 2. T. 4. theſaurum concionum S. ib. 1616. 1617. 4. conſilium de linguis hebr. gr. & Lat. facile addiſcendis, ib. 1619. compendium philoſophiæ, Medicinæ, Juriſprudentiæ & Theologiæ, ib. 1620. 8. Theologiam popularem, ib. 1622. 8.

II. WOLFGANG MEYER ex familia nobili atque antiqua de Republica atque Eccleſia Baſilienſi optime merita oriundus in mundum intravit d. 27. Mart. 1577. parentibus Jacobo Meyero, paſtore Albano, d. 27. Nov. 1604. in ipſo ſuggeſtu S. Templi defuncto, & Agneta Capitone, Wolgangi Fabricii Capitonis trium facultatum Doctoris & Profeſſoris filia. A teneris unguiculis, obſervata ingenii felicitate morumque ſuavitate, literis deſtinatus ante omnia claſſes Gymnaſii noſtri frequentavit, eaſque mira ſolertia atque utilitate percurrit; a. 1593. ad Academiam translatus philoſophicis diſciplinis tam diligenter incubuit, ut d. 29. Apr. a. 1595. gradum primæ Laureæ & d. 5. Aug. 1596. philoſophicæ docturæ dignitatem obtinuerit. Ad Sacra, quo animus maxime tendebat, jam ſe convertit, adeoque celeres in iis fecit progreſſus, ut jam d. 23. Dec. 1596. præſide Polano diſſertationem de cœnæ Domini partibus cum laude ſuſtinuerit. In juvenili pectore flagrabat ignis atque indelebilis cupido exteras regiones præſertim Angliam perluſtrandi, principeſque Theologorum illic commorantes adloquendi atque audiendi; inprimis geſtiebat, Academiam Cantabrigienſem adire, illiuſque doctores toto orbe celeberrimos ſalutare; huc autem ſpeciatim eum invitabat beneficium regis Eduardi VI. in D. Bucerum ob magna ejus in eccleſiam anglicanam merita collatum, ab Eliſabetha regina & Jacobo rege poſtea confirmatum, quo ſumtibus regiis in collegio Cantabrigienſi vivere omnibus ejus poſteris fuerat conceſſum; avia nempe ejus, Wibranda a Roſenblatt, hujus Buceri, mortuis jam tribus maritis, Lud. Cellario, Joh. Oecolampadio & Capitone, Meyeri noſtri avo materno, fuerat uxor. Literis igitur commendatitiis ad Eliſabetham Angliæ reginam inſtructus d. 12. Mart. 1597. iter ingreditur & felici curſu perrexit uſque ad Weſeliam, inde vero Trajectum verſus tendens a graſſatoribus hiſpani-

ſpaniciis ſclopetis petitus, vulneratus atque ſpoliatus fuit, eorum denique ex manibus elapſus iterumque Weſeliam adſecutus Literatorum munificentiam percepit largiſſimam. Animo corporeque ex timore vulneribuſque recreatus iter continuavit, ſalvuſque in Anglia advenit, ubi omnia ex voto ipſi ceſſere. Cum integrum quadriennium Cantabrigiæ in Theologorum caſtris ſummis ſtudiis & vigiliis excubaſſet, eamque operam inter privatos præſertim Collegii parietes ſtudendo, reſpondendo, opponendo, aliiſque exercitiis navaſſet, ut Theologiæ Licentiatus communibus Academiæ atque Collegii ſuffragiis fuerit renunciatus, reditum in patriam paravit, in qua per Galliam redux d. 27. Sept. 1601. ſoſpes advenit, oſtenſiſque præclaris teſtimoniis ſine mora in numerum Evangelii miniſtrorum fuit receptus; ea tamen fuit modeſtia, ut d. 26. Apr. 1602. inter Theologiæ Studioſos nomen ſuum profiteretur, eaque fuit pietate, ut patri jam ſeni atque debili perpetuo opera ſua adeſſet, ejuſque vices paſtorales obiret, donec vita ceſſit, in cujus dein locum ipſe fuit ſuffectus d. 10. Sept. 1605. Hunc jam ſuum cœtum Albanum omni cura pavit atque ſedulitate. Sequenti anno d. 15. Sept. nuptias celebravit cum Maria Brand, Bernhardi, Tribuni plebis, filia, ex qua filium filiamque ſuſcepit, illaque d. 17. Nov. 1610. defuncta, matremque mox filiolo ſecuto, amicorum ſuaſu ad ſecunda vota tranſiit d. 20. Jan. 1612. cum Valeria Rüdin, quæ ipſi octo liberos peperit, ſed tribus filiis duabuſque filiabus mœſti parentes ipſi juſta fecerunt; ex quibus funeribus acerbiſſimum erat primogeniti Jacobi, qui poſtquam Theologiæ cultor per quadriennium Cantabrigiæ ex ſtipendio regio familiæ Meyerianæ ſtudiis invigilaſſet, in patriam reverſus anno æt. 21. d. 19. Nov. 1634. peſte fuit abreptus. Duo tamen parentum gaudio ſuperſtites manſerunt filii, Emanuel atque Jacobus Maximilianus. Interim, ſc. a. 1610. Meyero noſtro a ſenatu academico, auctoritate ſummi Magiſtratus, collata fuit extra ordinem cathedra theologica, de qua locos communes atque controverſias theologicas ſtudioſis proponeret atque exponeret, quod & gnaviter fecit, idque ut majori perageret auctoritate, d. 21. Maj. 1611. ſolenni ritu tiara doctoralis ei impoſita, ipſeque d. 3. Jun. 1612. in collegium theologorum fuit receptus. Poſtea a. 1618.

Digitized by Google

a. 1618. una cum D. Sebaſt. Beck juſſu Magiſtratus ad Synodum Dordracenam profectus d. 10. Febr. 1619. *de perſeverantia Sanctorum* coram omnibus Deputatis diſſeruit, pauloque poſt juſſu præſidis ad proceres Reipublicæ, ad Patres ſynodi & fratres Remonſtrantes publicam inſtituit commonefactionem, quæ omnium plauſibus fuerat excepta. Hinc in Angliam trajecit, ubi Jacobum regem ſalutavit, ipſique obtulit librum Martini Buceri Latina civitate a ſe donatum, & eidem Regi dedicatum: *de defenſione chriſtianæ reformationis eccleſiarum evangelicarum*; ac deinde amicos Cantabrigienſes reſalutavit. Ipſi domum reverſo mox iterum extraordinaria negotia fuerant demandata; anno nempe 1620. a Mullhuſinis expetitus, quo ipſorum res ſacras reformaret, & a Magiſtratu ad ſemeſtre conceſſus, ibidem cruſtulos illos nummularios azymos e S. Cœna eliminans panem nutritium repoſuit, & ita prudenter cum ſingulorum adprobatione cuncta peregit, ut Mullhuſini tantum virum ſibi vindicare ſtuderent. Sed patriam is prætulit, in quam etiam reverſus eſt, multis gratiarum actionibus & Magiſtratui & ipſi a Mullhuſinis habitis. In munere duplici, eccleſiaſtico atque academico, ſtrenue pergens tandem labori ſuccubuit; cum nempe d. 5. Sept. 1653. concionem nuptialem haberet, fulmine apoplectico percuſſus ſubſequenti nocte animam efflavit.

Lingua germanica compoſuit atque edidit libellum, ſub titulo: *Diabolus alba veſte tectus*, quo nefariæ fraudes hypocritarum ſub pietatis larva latentium, argute depinguntur 1623. 4. Varios tractatus anglicos *Guil. Perkinſi*, *Andr. Willeti* & *Guil. Pryn* in latinum tranſtulit. Præter complures diſſertationes theol. & conciones funebres edidit & germanice libellum de *lavacro regenerationis*, quod ſub typo thermarum Badenſium in terra helvetica ſaluberrimarum, ſpiritu profundo, & magna judicii acrimonia, enucleavit 1649. 8. Etiam d. 14. Jan. 1611. beatam memoriam D. D. Amandi Polani oratione panegyrica immortalitati conſecravit. Munſteri Coſmographiam uſque ad a. 1628. adauctam edidit, nec non *Spiegel der geiſtlichen Arzney aller Kranken* &c. Baſ. 1612. 8. *Arcam Noæ*, germ. 1634. tractatum de *duplici honore S. Miniſterii*, germ. 1652. 8. &c.

Digitized by Google

PROFESSORES LOCORUM COMMUNIUM AC CONTROVERSIARUM THEOL. ORDINARII.

I. JOHANNES BUXTORFF, Filius, S. Theol. Doctor & Linguæ Hebrææ Profeſſor primus fuit, qui Locos communes & controverſias Theologicas, vel ut hodie loqui amant, Theologiam dogmaticam atque Polemicam, publica auctoritate tanquam ordinarius Profeſſor docuit atque tractavit. Diu quidem fuerat deſideratum, ut hujusmodi cathedra erigeretur, idque ut eo citius fieret atque facilius, varia Legata in hunc finem fuere deſtinata. *Sebaſt. Günzerus*, Aromatarius, mille libras a. 1639. pro tertia profeſſione theologica inſtituenda donavit & ordinavit, ut interea temporis, donec Controverſiarum profeſſio per aliorum quoque munificentiam maturuerit, cenſus iſtius ſortis annuus cederet partim ſummi templi Paſtori, partim Miniſtro Verbi ad S. Martinum; *Joh. Gogelius*, Mercator, ducentas libras ad promovendam Profeſſionem Controverſiarum fiſco theol. tradidit a. 1645. & *Lud. Kœnig*, bibliopola, ad eundem uſum a. 1651. quingentas libras theologicæ facultati ſolvit. Tandem piorum optatis reſpondit fortuna. Cum enim Buxtorffius iſte mox a Groningenſis, mox a Lugdunenſis academiæ curatoribus ſub lautiſſimis conditionibus ad hebraicas literas docendas invitaretur, Baſilienſis Academiæ proceres omnem impenderunt operam, quo virum tam eruditum atque utilem ſibi retinerent; efflagitarunt nempe a ſummo Magiſtratu, ut tertiam theologicam profeſſionem inſtitueret atque Buxtorffio deferret. Magiſtratus optimus, Academiæ gloriæ atque commodi ſtudioſiſſimus, ad conſilium Senatorum academicorum ſe flecti paſſus d. 30. Jan. 1647. hanc novam cathedram inſtituit, ſalarium definivit, eamque Buxtorffio honorifice obtulit, una cum profeſſione linguæ hebrææ, obeundam. Buxtorffius non minus patriæ commodis deditus novam hanc cathedram accepit eamque primum conſcendit d. 8. Apr. 1647. & in ea docere perrexit uſque ad a. 1654., quo die 1. Sept. ad cathedram V. T. adſcendere fuerat juſſus. V. Prof. V. T. n. 13.

Ejus, præter ibi adlata, legitur epiſtola *de recte inſtituendo ſtudio Rabbinico*, in Muſ. Helv. P. 9.

II.

Digitized by Google

II. JOH. RODOLPHUS WETTSTEIN electus 1. Sept. 1654. hanc professionem lectione inaugurali auspicatus est d. 17. Jan. 1655. eamque administravit, donec ipsi professio N. T. obtigit, quod accidit d. 25. Jan. 1656. V. Prof. N. T. n. 9.

III. LUCAS GERNLER electus d. 25. Jan. 1656. auspicia cepit d. 1. Maj. 1656. ad Professionem V. T. translatus d. 3. Mart. 1665. V. Prof. V. T. n. 14.

IV. JOHANNES ZUINGER electus d. 3. Mart. 1665. professionem adiit ejusdem anni d. 28. Apr. eique præfuit usque ad d. 21. Maj. 1675. quo ad professionem V. T. fuit vocatus. V. Prof. V. T. n. 15.

V. PETRUS WERENFELS electus d. 21. Maj. 1675. lectionem inauguralem habuit d. 27. Oct. 1675. hancque professionem obiit usque ad 10. Jul. 1685. quo V. T. professor fuit designatus. V. Prof. V. T. n. 16.

VI. JOH. RODOLPHUS WETTSTEIN electus d. 10. Jul. 1685. professionem hanc orditus est d. 4. Sept. 1685. eique vacavit, donec d. 15. Sept. 1696. professor V. T. designaretur. V. Prof. V. T. n. 17.

VII. SAMUEL WERENFELS electus d. 15. Sept. 1696. professionem hanc auspicatus est d. 28. Oct. 1696. & in ea substitit usque ad d. 5. Oct. 1703. quo ad V. T. fuit transvectus. V. Prof. V. T. n. 18.

VIII. JOH. RODOLPHUS ZUINGER, divinæ domus studio mature confectus, prognatus est d. 12. Sept. 1660. parentibus celeberrimis, Johanne Zuingero S. Th. Doct. & Prof. ac Esthera Burcard. Ab ineunte ætate literis probe imbutus & a teneris pietati fuit adsuetus. Fundamenta studiorum posuit in Gymnasio nostro literario, ex quo a. 1673. ad publicas lectiones Philosophorum fuit promotus. Triennium philosophicis studiis destinatum ita transegit, ut a. 1675. prima Laurea & a. 1676. magisterii dignitate suo merito optimoque jure fuerit cohonestatus. His feliciter jactis fundamentis quid esset superstructurus anceps neutiquam hæsit, & protinus theologicum studium fuit amplexus, nomen suum anno

Digitized by Google

adhuc 1676. inter Theologiæ cultores profeſſus. In rerum divinarum inquiſitione atque contemplatione diligenter verſatus & theologiam tam theoreticam quam practicam gnaviter proſecutus, modeſte a præceptoribus diligentiæ ſuæ præmia petiit. Hi nihil morati, poſtquam in conſuetis diſputationibus atque examinibus ipſum talem, quin majorem, deprehenderunt, quam ſpe atque exſpectatione conceperant, eum a. 1680. in numerum Evangelii miniſtrorum gratulantes ſuſcepetunt. HacEvangelium prædicandi nacta poteſtate, Tigurum primum, dein Genevam, profectus, non ſolum ſtudia philoſophica atque theologica diligenter continuavit, atque cum clariſſimis viris ſermonem familiarem inſtituit, ſed & tam in ſuggeſtu ſacro quam in cathedra academica ipſe cum adplauſu ſæpius actorem egit, adeo ut Carolus Fridericus, princeps Anhaltinus, cum Genevæ cum delectatione concionantem audiens, ipſi licet juveni proprium gregem paſcendum obtulerit, quam honorificam vero vocationem quominus ſequeretur, patris voluntas obſtitit. Suis reſtitutus & in civitate & in agro ſæpius conciones ad populum habuit, veramque pietatem promovere ſtuduit. A. 1686. præconis caſtrenſis munus ſuſcepit, & legioni helveticæ ſtipendiis Galliarum regis militanti divinum Verbum mox in Gallia, mox in Belgio, ſtrenuus prædicavit. Itinerum vero continuorum atque moleſtorum pertæſus patriam repetiit & Thurniſii, paſtoris Albani, rude donati, vices ſubiit, donec a. 1691. paſtoratus Luciſvallenſis ipſi fuit commiſſus, cujus graviſſimi muneris partes licet duriores indefeſſus perfecit uſque ad a. 1700., quo cœtus Eliſabethanus ipſum paſtorem vocavit; hinc autem mox avocatus & d. 25. Sept. 1703. ſummi templi paſtor ſimulque eccleſiarum Antiſtes fuit deſignatus. Eodem etiam anno d. 5. Oct. a ſenatu Academico Profeſſor Locorum communium ac Controverſiarum Theol. conſtitutus pro more recepto inſignia doctoralia accepit d. 6. Mart. 1704. poſtquam prius præter alia egregia ſpecimina *de convenientia fatorum V. & N. T.* præclare diſſeruiſſet. In hac excelſa quidem ſed moleſta admodum atque periculoſa ſtatione poſitus Zuingerus nihil omiſit eorum, quæ vel ad eccleſiæ ædificationem, piorum confirmationem, impiorum correctionem, ægrotorum atque pauperum ſolatium, vel adAcademiæ gloriam atque emolumen

tum

Digitized by Google

tum, verbo, quæ ad plantandam pietatem, eradicandam nequitiam & literarum incrementum facere poterant. Quot vero quamque duri obices a superioribus atque inferioribus Viro huic divino, zelo Eliæ adflato, fuerint positi, verbis exprimere haud valemus. Sed is citius malis ereptus in sede beatorum accepit præmia; supremus in his terris vitæ ejus fuit dies 18. Nov. a. 1708. quo ex adfectu iliaco & catarrho apoplectico vitam finivit. Prima conjux, Catharina Mitz, peperit ei 7. liberos, ex quibus nominandus Andreas, qui Pastor Leonhardinus meritissimus obiit d. 22. Apr. 1764. ex secunda, Anna Rosina Battier, suscepit filiam.

Edidit conciones funebres XXVI. atque dissertationem de causa reprobationis impulsiva, 1680 de potestate clavium diss. duas, 1704. & 1706. diss. de morientium adparitione 1704. diss. de satisfactionis Christi veritate, 1706. item libellum germanicum, cui titulum fecit *solatium Israëlis*, in quo sententiam de futura gentis hebrææ solenniori conversione aperuit, 1685. 12. *magnam Angliæ mutationem* ex Anglico fecit germanicam 1690. 8. concionem germ. contra artes magicas, 1692. 4. & orationem in obitum Petri Werenfelsii, 1704. 4.

IX. Hieronymus Burcard electus d. 22. Mart. 1709. auspicia hujus professionis cepit d. 28. Jun. 1709. ad professionem V. T. translatus d. 26. Maj. 1711. V. Prof. V. T. n. 19.

X. Jac. Christophorus Iselin, Theologus, Polyhistor atque Antiquarius eximius, natus est d. 12. Jul. 1681. patre Joh. Luca Iselio, matre Maria Salomea Birr. Puer optimo ingenio præditus & mira discendi cupidine flagrans, fidis cito privatis atque publicis magistris traditus, industria sua ita profecit in literis, ut d. 16. Mart. 1694. in gremium Academiæ reciperetur, mirantibus jam cunctis ejus peritiam, ætatem longe superantem. Philosophicum studium adgressus, id sibi alacrius prosequendum statuit, & ante omnia latini græcique sermonis elegantias arripuit, eamque græcæ linguæ copiam brevissimo acquisivit tempore, ut jam a. 1695., cum in publica disputatione pro vacante cathedra græca respondentis vices ageret, opponentium argumenta latine prolata græce repeteret. Quantum etiam jam tum in latini sermonis caltitate, mythologia, antiquitatibus atque poesi valuerit, argumento est *carmen* illud *heroicum*, quod

quod ex occaſione Gallorum Rhenum trajicientium compoſuit & a. 1696. in vulgus emiſit. Ceteras etiam Philoſophiæ partes præcipue Matheſin, duce Jac. Bernoullio, mathematicorum tum facile principe, diligenter excoluit, & ita titulos atque honores philoſophicos optime meruit, quos, primos quidem d. 3. Dec. 1695., ſecundos vero atque ſummos d. 17. Aug. 1697. utroſque a J. Jac. Battierio accepit, edito prius atque defenſo d. 7. Maj. 1697. egregio ſpecimine de *hiſtoricis latinis melioris ævi*. Eodem anno 1697. d. 10. Maj. inſeruit nomen ſuum matriculæ theologicæ &, quod Deus optime vertit, ſeſe totum ſtudio ſacro dicavit. Inſequenti anno petiit Genevam, linguæ gallicæ, quam a præceptoribus accepit & ex libris hauſtam tenuit, magis excolendæ cauſa, ibique & italicam & hiſpanicam linguam addidicit, multum etiam converſatus cum celeberrimis viris, Philoſophis ac Theologis, amicitiam cum ipſis, diligentiſſime poſtea excultam, contraxit. Hinc, ſeptem elapſis menſibus, in Galliam Narbonenſem contendit, curioſiſque oculis Græcorum atque Romanorum reliquias luſtravit, inſcriptioneſque, quas deprehendit, illuſtriores deſcripſit. Poſt duorum menſium in Gallia moram ineunte anno 1699. patrios lares repetiit, & ſingulari ſtudio in linguas orientales ipſamque Theologiam incubuit. Theologis ut oſtenderet, qualem in ſacris acquiſiverit eruditionem, diſſertationem conſcripſit de *Babylone beſtiiſque & meretrice apoc.* quam d. 24. Jun. 1701. publice, cunctis gratulantibus, defendit; quo facto, ſuperatis conſuetis examinibus, omnium ſuffragiis Miniſtri evangelici titulum obtinuit. Sacris intentus Iſelius non tamen ſtudia philoſophica negligenda, minus abiicienda duxit, quod multi ſuo & rei literariæ damno faciunt, ſed hiſtoriarum præcipue & elegantiorum literarum ſtudio ſe jam majori ex parte permiſit, linguis item orientalibus atque philologiæ ſacræ haud proletariam operam navavit. Vacante cathedra linguæ hebrææ publicum edidit ſpecimen ſuæ in hac lingua peritiæ, dum d. 7. Aug. 1704. *obſervationes atque conjecturas ad orientalem philologiam & criticen pertinentes* publice propugnavit. Eodem tempore obtinuit vocationem Marpurgi Eloquentiam atque hiſtorias profitendi, quam & accepit, quamque duplicem provinciam oratione de *arctiſſimo eloquentiæ & hiſtoriarum in ſtudiis vinculo* d. 11. Dec.

Dec. 1704. auſpicatus, poſtea ita adminiſtravit, ut omnem curam atque laborem in id impenderit, ne vel ipſum ſuſcepti muneris, vel Principem collati beneficii unquam pœniteret. Dum hic ageret, in lucem emiſit Panegyricum Seren. Principi Carolo dictum a. 1705. Laudationem funebrem Seren. principi Ludovicæ Dorotheæ Sophiæ dictam d. 28. Jan. 1706. & diſſertationem de Magorum in Perſia dominatione d. 7. Jan. 1707. Sed patria tanto viro longius carere noluit, eumque in locum Hofmanni hiſtoriarum profeſſoris defuncti d. 20. Sept. 1706. ſuffecit. Revocatus Iſelius atque reverſus novam cathedram, in qua antiquum penſum, quod ipſi adeo in deliciis erat, fuerat tractandum, alacri animo d. 5. Febr. 1707. primum conſcendit, hancque ſpartam mire ornavit. Circa hæc tempora edidit orationem funebrem Paulo Reboleto d. 14. Maj. 1710. dictam; d. 20. Mart. 1711. diſſertationem de inſcriptione lapidis Tergeſtini; d. 11. Jun. 1711. orationem in dedicatione novi Brabeuterii dictam, quo nomine a graviſſimis Scholarchis calicem deauratum accepit, quem is Academiæ legavit; orationem funebrem, quam habuit d. 21. Apr. 1712. J. Rod. Wettſtenio, Theologo. Hujus ambiturus cathedram primo, ut doctorales acciperet dignitates, examen ſolenne ſubiit, & binas pro more lectiones itemque publicam diſputationem d. 23. Jul. 1711. de Canone N. T. S. 1. habuit; Theologiæ dein Doctor creatus fuit d. 23. Aug. 1711. ab Hieron. Burcardo, Antiſtite, in quo actu Iſelius *dogma tranſſubſtantiationis in pura antiquitate non eſſe fundatum* gravi, facunda & erudita oratione expoſuit. Die 31. Aug. 1711. ſecundam partem diſſertationis de Canone N. T. (cujus poſtea d. 19. Jul. 1712. tertia & d. 7. Jul. 1713. quarta pars prodiit,) pro obtinenda cathedra theol. edidit, atque miro adplauſu defendit. Denique Academiæ patres conſcripti Iſelium tum propter excellentiſſimas animi dotes, tum propter inuſitatam prorſus & vaſtiſſimam omnium literarum inprimis antiquarum & Romanarum ſcientiam facundiamque copioſiſſimam, rerum etiam theologicarum accuratam cognitionem, cum rara probitate, pietate & zelo conjunctam, ſupra ſeculi noſtri captum poſitum, d. 15. Sept. 1711. Profeſſorem Locorum comm. & controv. theol. omnium votis dixerunt, quam profeſſionem d. 8. Dec. 1711. ſolenni præ-

lectione

lectione capeſſivit. Bibliothecarii munus a. 1716. ei commiſſum omni diligentia ſummo Bibliothecæ ipſius ac Eruditorum tam exterorum quam noſtratium emolumento adminiſtravit. Non ſolum Bibliothecæ curam geſſit ſollicitam, ſed & variis modis ejus augmentum promovit, moriens etiam centum ducatos aureos ejus uſibus deſtinavit. Ruæum in edendo Origene, Cortium in edendo Salluſtio, Breitingerum in edendis 70. Interpretibus, Bengelium in edendo N. T. ſua opera multum adjuvit, Codices Mſt. Bibliothecæ noſtræ conferendo, variantes lectiones notando, illiſque viris præclaris communicando. Acta etiam Concilii Baſilienſis tribus vicibus, mox in gratiam Infantii Boruſſiæ Regi a concionibus, mox in gratiam Franc. Honorii, comitis a Trautmanſdorff, Imperatoris ad Helvetios Legati, mox in gratiam illuſtriſſ. Dageſſæi, Galliarum regis Cancellarii, ipſo dirigente, quin propria manu excerpente, majori ex parte fuere deſcripta. Ab his continuis atque graviſſimis laboribus ut ſe reficeret, novaſque ſuæ eruditioni faceret acceſſiones, iter literarium inſtituit in Galliam, Lutetiæ Pariſiorum inprimis adfixus, in qua urbe Bibliothecas publicas vere regias omni ſolertia perluſtravit & cum viris eruditiſſimis frequentes contulit ſermones; quanti habitus hic fuerit Iſelius, inter alia indicat, quod is d. 15. Cal. Febr. 1718. a regia Pariſiorum Academia, quæ eſt de inſcriptionibus & elegantioribus Litteris, a Ludovico XIV. inſtituta, una voce & conſenſu, adprobante Rege, honorarium ejus membrum fuerit denominatus; qui honos eo magis æſtimandus, quo difficilior ad eum aditus patet, cum tres tantum peregrini ejus fieri participes poſſint. Integrum annum cum Iſelius Lutetiæ tranſegiſſet, ab itinere, quod in Angliam cogitabat inſtituere, revocatus nuncio, Academiæ Baſil. Rectoratum ſibi impoſitum adferente, reditum in patriam paravit & d. 13. Cal. Quintil. 1717. ſupremum hunc magiſtratum adivit oratione publica, qua celebravit munus librarium lautiſſimum planeque eximium, quo vir ampliſſ. ac munificentiſſ. D. ANTONIUS HOEGGERUS, Dynaſta, Bibliothecam Academiæ Baſil. ipſo Iſelio ſuaſore ac auctore locupletavit. Munus hoc ampliſſimum per Iſelium ab Hœggero oblatum pretium 14. vel 15. millium librarum gallic. excedit, & complectitur ſupra 70. volumina elegantiſſime

gantiſſime compacta tabularum niæs inciſarum, a præſtantiſſimis artificibus elaboratarum, itemque alia volumina propemodum trecenta, quibus exquiſitiſſimi libri continentur. Rectoratum acad. Iſelius iterum geſſit a. 1735. eumque auſpicatus eſt oratione *de utilitatibus & commodis, quæ ab academiis ad urbes atque regiones, in quibus florent, vigentque, dimanare conſueverunt;* hæc edita eſt in Tempe Helv. T. I. §. 3. Sed finis tandem his aliiſque laboribus impoſitus fuit beata morte, quam magnus Iſelius, vir, ut Guilielmus Archiepiſcopus Cantuarienſis in literis ad eum ſcriptis ipſum compellare ſolebat, immortalitate dignus, ſuſtinuit d. 13. Apr. 1737.

Præter jam commemorata in lucem edidit a. 1716. diſſertationem de controverſiis eccleſiæ anglicanæ quoad diſtinctionem Presbyterorum atque Epiſcoporum. Collectionem concionum pœnitentialium a. 1719. ſæpius enim Gallice atque Germanice fuerat concionatus. Buddæi Lexicon hiſtor. univ. 4. T. in fol. inſigniter auctum edidit a. 1726. opera nonnullorum amicorum adjutus. Depulſionem calumniarum &c. 1734. 4. Vitam Lud. Beri & Chriſt. Vrſtiſii, pluraque alia conſcripſit, quæ partim in Actis Pariſ. Bibl. raiſ. Miſc. Duisburg., Mercure Suiſſe, Muſæo atque Tempe Helvet., Bibl. Brem. alibique, & etiam ſeorſim comparent. Mille & ſexcentos florenos Legati nomine ſtudioſorum pauperum commodo Academiæ ſolvit per hæredes.

XI. JOHANNES GRYNÆUS electus d. 17. Dec. 1737. munus auſpicatus eſt d. 4. Febr. 1738. eique præfuit uſque ad a. 1740. cujus anni d. 15. Nov. profeſſionem N. T. fuit adgreſſus. V. Prof. N. T. n. 14.

XII. JOH. BALTHASAR BURCARD electus d. 28. Nov. 1740. profeſſionem hanc adiit d. 18. Jan. 1741. eamque adminiſtravit, donec Profeſſor N. T. conſtitueretur, quod accidit a. 1744. V. Prof. N. T. n. 15.

XIII. JAC. CHRISTOPHORUS BECK electus d. 8. Jul. 1744. capeſſivit munus d. 30. Oct. 1744. idque obiit ad a. 1759. quo d. 27. Apr. profeſſionis. V. T. auſpicia cepit. V. Prof. V. T. n. 21.

XIV. EMANUEL RYHINER, ex doctrina atque pietate nobilis, natus eſt d. 7. Jun. 1695. patre Benedicto Ryhinero,

Digitized by Google

Ryhinero, CCviro, matre Dorothea Socin. Pia mater puerum morte præmatura optimo patre orbatum ſtudioſe curavit, omnemque cogitationem in bonam ejus educationem defixit. Ludo literario publico, ne domeſtica libertas in licentiam ſolveretur, mancipatus, ſtadium ſtrenue cucurrit, eoque emenſo, philoſophicarum diſciplinarum ſtudium omni diligentia proſecutus, &, poſtquam a. 1707. Viviſci linguam gallicam didiciſſet, a. 1709. Laurea philoſophica & a. 1711. inſignibus doctoralibus ſive titulo A. L. Magiſtri fuit condecoratus. Ab iſtis philoſophicarum diſciplinarum præſidiis bene inſtructus, theologicum ſtudium, ad quod animus maxime inclinabat, alacriter ſuſcepit & d. 22. Jan. 1711. nomen ſuum huic ſtudio ſolenniter dedit. Quadriennium ſacrarum literarum ſtudio deſtinatum ita transegit, ut non contentus vulgari doctrina, ad altiora & ipſa eruditionis veræ adyta penetrarit, cujus luculentum ſpecimen edidit diſſertatione de Tyro eruditiſſime conſcripta & ſtrenue defenſa d. 2. Apr. 1715. quo eodem anno & S. Miniſterii candidatus & Orphanotrophii Paſtor fuerat conſtitutus. Graviori huic oneri ſuſtinendo humeros juniores nondum pares judicans vir modeſtiſſimus ſuperiorum conſenſu, vicario ſubſtituto, iter literarium inſtituit, majorem eruditionem & in rebus eccleſiaſticis uberiorem peritiam comparaturus. Belgium itaque, Galliam atque Angliam peragravit, ubique quæ vidit atque audivit in uſum convertens. In reditu per aliquod tempus apud legionem helveticam Demmelianam ſtipendia apud Gallos merentem Sacra adminiſtravit. Poſtquam domum rediit, ab Orphanotrophio a. 1720. ad communem Diaconatum, & inde a. 1722. ad cœtum S. Albani fuit vocatus. Huic dum præfuit, ſtudia academica minime neglexit ſed diligenter continuavit; publice id oſtendit d. 25. Nov. 1727. cum pro vacante cathedra Juris nat. atque Philoſophiæ mor. adumbrationem philoſophiæ practicæ inſtitutionum competitorum examini ſubmiſit. Tum quidem ternario numero honorifice fuit inſertus, ſortem autem ſibi habuit adverſam. Decennio poſt, a. 1737. ad Paſtoratum eccleſiæ Leonhardinæ promotus, nihil ad ejus curam pertinens reliquum fecit, atque cum vita inculpata, tum ſaluberrima doctrina animas ſibi commiſſas ædificavit. Quod cum per annos 18. adſidue peregiſſet, tandem viribus

Digitized by Google

viribus corporis alacritati animi non respondentibus, rude ut donaretur petiit, quam & ab ampl. Magistratu d. 8. Aug. 1755. cum honoris testificatione impetravit. Valetudine paulatim restaurata, cœpit ultro Theologiæ studiosis, haud inscio nec invito, sed potius lætante Theologorum ordine, privata opera ad practicam potissimum Theologiæ partem viam præire. Tandem cum summo Numini placuisset, summum Virum, Joh. Ludov. Freyium, S. Theol. Doct. atque Prof. ex ærumnosa hac vita in vitam lætitiarum plenam transferre, visum est collegio theologico, Ryhinerum nostrum, tanquam virum insigni eruditione, pietate ac rerum ecclesiasticarum usu valentem, Senatui academico proponere ceu talem, quo Ecclesia & Academia posset ornari. Iste una cum Scholarchis unanimi consensu rem ad summum civitatis Ordinem refert, ac sine ulla difficultate d. 4. Apr. 1759. obtinet facultatem, Ryhinerum ad cathedram professoris Locorum comm. ac Controversiarum Theol. vocandi. Id factum, ipseque hanc provinciam alacri promtoque animo suscepit. Postridie Cal. Maji 1759. in Conventu Theologorum & Pastorum de fide & doctrina salutari ut mentem suam aperiret, rogatus erudite ac orthodoxe disseruit, ac porro ad quæstiones propositas solidissime respondit. Geminum deinde specimen lectionum publicarum edidit, ac dissertationem inauguralem d. 29. Maji de Resurrectione Jesu Christi cum omnium adprobatione habuit atque defendit. Quibus omnibus rite peractis d. 7. Jun. 1759. insignia atque privilegia Theologiæ Doctoris accepit, munusque suum bono cum Deo d. 12. Jun. fuit adgressus. Sed hæc bona nobis haud diu durabilia esse voluit summus rerum Arbiter. In ipso enim Theologorum conventu cordis palpitationem, malum, quo a longo jam tempore vexabatur, gravius sentiens domum properavit, eademque adhuc hora apoplexia obiit d. 19. Jul. 1764. Uxorem reliquit viduam Annam Mariam Zæslin & ex sex liberis tres filios atque filiam, hanc nuptam Joh. Henrico Falcknero, J. V. D., Juris Professori atque Reip. Syndico, filios Emanuelem atque Benedictum CCviros & Joh. Henricum Med. Doct., Ethices Professorem atque Bibliothecarium.

Præter jam notata edidit concionem in Ps. CXLVIII. 8. a. 1739. nec non conciones funebres XXXIII.

XV. JOH. WERNERUS HERZOG, natus eſt d. 25. Sept. a. 1726. ex publico ludo literario a. 1741. ad lectiones philoſophorum publicas emiſſus, biennio poſt primæ in Philoſophia laureæ, annoque 1744. Magiſterii Artium gradum fuit adeptus. Poſtquam dein per quinquennium ſtudio theologico vacaſſet, a. 1749. in numerum S. Miniſterii Candidatorum fuit receptus. Ceſſante a. 1759. linguæ hebrææ cathedra d. 18. Sept., dein a. 1760. vacante cathedra Juris naturæ & gentium d. 16. Sept. & a. 1762. vacua cathedra linguæ græcæ d. 14. Sept. publicam defendit diſputationem, biniſque vicibus ſorti ſubjectus, binis etiam vicibus, ut & aliquoties munus eccleſiaſticum ſortitus, ſortem habuit fatalem. Denique cum a. 1764. profeſſionem Locorum comm. ac Controv. Theol. ſolus ambiret, eam d. 25. Jan. 1765. obtinuit, poſtquam præter alia ſpecimina d. 14. Dec. 1764. pro gradu Doctoris Theologi diſſertationis de Æternitate pœnarum infernalium partem priorem, & d. 25. Jan. 1765. ejuſdem partem poſteriorem obtinendæ cathedræ cauſa publice defendiſſet. Die 5. Mart. ejuſdem anni Theologiæ Doctor renunciatus, triduo poſt profeſſionem ſolenni prælectione auſpicatus eſt.

PRO-

PROFESSORES JURIS.

I. PETRUS ZUM LUFT, Basilienſis, doctrina vitæque integritate inſignis, patrem habuit Rodolphum, avum Vlricum, qui in republica Basilienſi circa a. 1377. innotuit, a cujus artificio ephippia tria rubeo diſtincta ſepto inſignium loco ipſius poſteris fuerunt. Nomen hæc familia acceperat a domo vici ſpeculariі ita denominata. Petrus noſter fuit Doctor Decretorum ſ. Juris Canonici, itemque Canonicus atque Decanus capituli Petrini; poſtea etiam eccleſiæ cathedralis exſtitit Canonicus, nec non Epiſcopi Vicarius. Jam a. 1461. Doctorum Senior fuit adpellatus. Fundata Vniverſitate Basilienſi primus a. 1460. Decanatum Juridicum geſſit, quem & a. 1461. 1462. & 1469. ſuſtinuit. Bina etiam vice Academiæ hujus fuerat Rector, a. 1461. & 1467. Quantum literas amaverit atque promoverit, exemplo eſt ejus famulus, Petrus, cujus ſtudia ita adjuvit, ut poſt heri fata a. 1477. Decano Matthæo Müllero, Juris Licentiatus renunciaretur. Obiit d. 20. Nov. 1474.

II. JOHANNES HELNICH de Bercka, Art. Lib. & S. Canonum Doctor, Canonicus ad S. Petrum Baſileæ & S. Severum Erfordiæ, vocatur in archivo acad. Ordinarius primus Facultatis Juridicæ Acad. Baſil. Decanatum geſſit a. 1463. 1464. & 1472. Rectoratum vero a. 1463. A. 1462. ablegatus fuit a Magiſtratu Baſil. ad Pium II. Pontificem M. ut videret, num Bullæ ceſſuratum, quæ contra civitatem noſtram emiſſæ fuerant occaſione diſſidii inter Dietericum de Iſenburg & Adolphum de Naſſau, qui Papæ favore & auxilio ad ſedem Moguntinam erat promotus, ejuſdem Pontificis conſenſu emanarint? Qua in legatione effecit, ut Papa, poſtquam intellexiſſet, Basilienſes contra Adolphum arma non ſumſiſſe, excommunicationis pœnam illico relaxaverit.

In Bibliotheca publica Academiæ noſtræ ſervantur in MS. 2. Vol. in fol. hoc titulo: *Joh. Helmich &c. Lectura ſuper primo & ſecundo libro Decretalium. — ſuper tit. de Teſtam. & ult. vol. de ſucceſſ. ab inteſt. & de ſepult. tert. lib. Decretal.* recitatæ Baſileæ in lectionibus ordinariis, & calamo exceptæ a Jacobo Louber de Lindau Carthuſ. Ord. a. 1473.

III. PETRUS DE ANDLO, nobili genere natus, diſtinguendus eſt a Doctore Georgio de Andlo, qui ex eadem nobiliſſima Andloviorum familia, jam a longo tempore in Alſatia, olim vero Romæ in Italia florente, originem duxit, & Baſilienſis atque Lutenbacenſis eccleſiæ Præpoſitus, ac academiæ Baſilienſis primus Rector, obiit d. 7. Mart. a. 1466. Petrus vero de Andlo, qui itidem fuerat Præpoſitus eccleſiæ Lutenbacenſis S. Michaëlis, fuerat Academiæ Baſil. Vicecancellarius, Canonicus Colmarienſis, Juris Canonici Doctor ejuſdemque Profeſſor, ſive, ut tum vocabatur, in ſexto Decretalium Lector. Academiæ Rector fuit a. 1471. Jureconſultorum Decanus a. 1465. 1470. & 1475., quo anno Facultatis Senior vocatur.

Scripſit a. 1460. duos libros *de Imperio Romano, Regis & Auguſti creatione, inauguratione, adminiſtratione & officio, juribus, ritibus & cerimoniis Electorum aliiſque Imperii partibus*, qui editi ſunt Argent. 1603. recuſi ibid. 1612. 4. & inter tractatus varios de S. R. Imperii regimine, Norib. 1657. 4. — In MS. Bibliothecæ publicæ Baſ. ejus exſtant *Collectanea concluſionum ſuper regulis juris* l. 6. collecta in 4. — *Concluſiones in Clementinas & VI. Decretalium*, recitatæ in ordinariis lectionibus & ſcriptæ manu Jacobi Loubet, a. 1471. fol. — *Recollecta ex lectura, tertia vice inſtituta, D. Dominici de S. Geminiano ſuper VI. libro Decretalium*, a. 1477. 4.

IV. GERHARDUS IN CURIA, de Bercka, J. V. D. Eccleſiæ S. Petri Canonicus, fuit Ordinarius ſexti Decretalium. Rectoratum geſſit a. 1462. Decanatum ſui ordinis a. 1466. 1471. & 1476.

V. JOHANNES GRUTSCH, Decret. Doctor, Canonicus & Cuſtos ad D. Petri fuit Acad. Rector a. 1466. Facultatis Jurid. Decurio a. 1467.

VI. MATTHÆUS MULLER ſ. Molitor, in archivo Jurid.

Digitized by Google

rid. vocatur famosus & egregius vir, Sacr. Canonum Doctor creatus fuit Basileæ a. 1464. fuit & Canonicus Petrinus itemque Officialis curiæ Episc. Decanatum jurid. gessit a. 1468. 1473. & 1477.

VII. GEORGIUS BERNOLDT de Nürenberga, dicitur in epitaphio venerabilis & egregius vir; Basileæ Decret. Doctor fuit creatus a. 1468. & ecclesiæ majoris Basil. fuit Canonicus. Decanatum ordinis J. C. gessit primum a. 1474. quo anno Christophorus de Vtenheim, præpositus ecclesiæ S. Thomæ Argentin. postea Episcopus Basil. Decret. Doctor fuit renunciatus. Eadem Decani dignitate postea adhuc quarta vice est defunctus a. 1479. 1487. 1494. & tandem a. 1503. supremum diem clausit d. 11. Maj. 1510.

VIII. FRIDERICUS DE GUARLETIS Juris Civilis Doctor Decanatum gessit quinquies a. 1478. 1486. 1493. 1502. & 1510. Senioris nomine venit quartum Decanus.

IX. JOHANNES BEZ de Durlach Basileæ creatus est Juris Licentiatus a. 1467. & Decret. Doctor a. 1473. Ordinis jam fuit Senior a. 1480. quo primum Decanatum gessit, postea a. 1488. & 1495. eodem honore fuerat mactatus. Juris Canonici fuerat Ordinarius, cum tertium Decanatum ageret. Adjunctus fuit a. 1482. a Magistratu Basil. *Petro Numagen.*, cum iste jussu Oratorum Pontificis M. inhibitionem faceret contra *Episcopum Suesanum*, qui occasione causæ Archiepiscopi Crainensis Basilienses diversis iniquis sententiis lacessiverat.

X. ADAMUS CRIDENWYSS, civis Basilienſis, Sitometræ filius, promotus est in Philosophia Baccalaureus a. 1461. annoque 1464. Magister artium fuit creatus. A. 1476. cum Decanatum philos. administraret, nimis fervidum privilegiorum Acad. propugnatorem egit; noctu enim cum unus ex officiariis Episcopi a Studioso graviter vulneratus hicque Episcopi jussu in carcerem conjectus fuisset, indignatus, hanc incarcerationem inscio Decano fuisse peractam, adhibita vi studiosum ex carcere liberari curavit. Id vero acerbe ferens Episcopus, Vniversitatis Cancellarius, philosophicam facultatem privilegio Magistros creandi ad tempus privavit, quam vero

pœnam rogatus mox remiſit. Kreidenweiſs ſtudium Juris profecutus Licentiam obtinuit a. 1476. poſtea Decret. Doctor Decanatum Jurid. adminiſtravit a. 1481. Eodem anno cum aliis conſiliarius erat in cauſa inter Joh. Sulger & Academiam Friburgenſem ſuper decimis Villinganis controverſa, a Curia Enſishemiana ad Sigiſmundum archiducem remiſſa.

XI. ARNOLDUS RICH de Richenſtein, nobili genere natus, Juris Doctor fuit proclamatus a. 1478. Canonicus exſtitit etiam eccleſiæ majoris. Decanatu jur. functus a. 1482. Rectoratu vero a. 1478.

XII. JOH. VLRICUS SURGANT de Altkirch philoſophicam Lauream nactus eſt Baſileæ a. 1466. A. L. M. promotus Pariſiis. Baſileam reverſus in Jure Doctor creatur a. 1479. Rectoratum Acad. IV. Decanatum jurid. III. ſuſtinuit. Exſtitit etiam eccleſiæ colleg. S. Petri Canonicus, itemque Curatus Paſtor Eccleſiæ S. Theod. in minori Baſilea, & catalogus Baptizatorum ab eo conſcriptus & a. 1490. inchoatus, adhuc exſtat. Ob. a. 1503.

XIII. JOH. MATTHIAS de GENGENBACH gradum magiſterii artium accepit Pariſiis. Baſileæ vero Decret. Doctor fuerat creatus a. 1480. Fuit etiam Theologiæ Baccalaureus, item ad D. Petri Canonicus, nec non divinæ Poeticæ Ordinarius. Juris Pontif. dicitur Interpres, adeoque ejus publicus fuit Profeſſor. Rectoratu acad. functus a. 1481. Decanatu vero jurid. a. 1484.

XIV. BERNHARDUS OEGLIN f. *Oiglin*, de Altkirch in Alſatia honores philoſophicos adeptus eſt Baſileæ, & quidem primam Lauream a. 1467, ſecundam vero Magiſterii a. 1471. Deinceps ſtudio Juris, inprimis Pontificio, operatus, ejuſdem Licentiatus a. 1478. & a. 1481. Doctor ſolenniter eſt renunciatus. Munera geſſit ampliſſima, Caſparis quippe Epiſcopi exſtitit in ſpiritualibus vicarius generalis, Vniverſitatis Vicecancellarius, & a. 1485. ordinis Ictorum Decanus, utut junior & ultimus in collegio doctorum, quam dignitatem poſtea III. repetiit. Legitur etiam fuiſſe Canonicus eccleſiæ cathedr. & Officialis

Digitized by Google

lis curiæ Basil. nec non tribus vicibus ordinis philos. Decanus, quaterque academiæ Rector.

XV. ANDREAS HELMUTH, ex minore Basilea oriundus, Magisterii gradu cohonestatus fuit a. 1467. Juris Licentiatus creatus a. 1484. postea Juris Pontif. Doctor Decanatum jurid. ter, philosophicum sæpius administravit. A. 1481. cum aliis consiliarius erat in causa inter Joh. Sulger & Academiam Friburgensem super decimis Villinganis controversa, a curia Ensishemiana ad Sigismundum archiducem remissa.

XVI. SEBASTIANUS BRAND de Argentina Basileæ literis operam daturus advenit a. 1475. natus vero est a. 1458. & pro more illius seculi germanicum nomen latino commutans se *Titionem* vocavit. a. 1477. in Jure Baccalaureus, a. 1483. Licentiatus & a. 1489. Doctor fuit creatus. Tam Basileæ quam Argentinæ publice docuit magno auditorum emolumento. De eo hæc habet Trithemius: „ Sebastianus *Titio*, alias *Brand*, argentinensis „ natione teutonicus, utriusque Juris professor insignis, „ & tam in divinis scriptis, quam aliis secularis literaturæ disciplinis egregie doctus; poëticam non me„ diocriter callens: ingenio subtilis: eloquio disertus: „ consilio ac actione præcipuus: qui sua eruditione ac „ lucubrationibus Basileam, inclytam Germaniæ urbem „ mirum in modum exornat. " Decanus jurid. fuit a. 1492. postea a. 1494. patriam repetiit ibique archigrammateus mortuus est a. 1520. relicto filio Onophrio, qui a. 1492. Basileæ Rectoris matriculæ nomen suum inseruit.

Scripsit atque edidit plurima, in quibus præcipue laudatur Satyra, carmine latino & rhythmis germanicis exarata, *stultorum* nempe *navicula*, seu ut ipse vocavit: *Navis Narragoniæ*, in qua causam & radicem stultitiæ sagacissime investigavit, mores hominum argute carpsit, & salutaria remedia prudenter subiunxit. Edita fuit primo germanice, Bas. 1495. 4. dein lat. ib. 1498. postea cum expositione Jodoci Bada Ascensii, ib. 1506. Lond. 1509. Lat. & angl. per Alex. Barclay, 1570. 4. lat. ex versione Jac. Locher, c. f. Bas. 1572. 8. ad scripta ejus porro pertinet *Modus studendi in utroque jure*, Bas. 1514. 4. *Promtuarium totius Juris civilis & criminalis*, l. III. Francof. 1600. fol. *Der richterliche Klage-Spiegel &c.* Argent. 1518. 1521. 1538. 1542. 1550. 1553. fol.

Hagen. 1529. fol. *Tengleri ſpeculum laicorum* denuo edidit germ. cum præfatione, Argent. 1538. 1550. fol. *Brevis actorum Concilii Baſil. deſcriptio;* nec non *tractatus de impoſtoribus illis ex Prædicatorum ordine, qui a.* 1509. *Bernæ vivicomburii ſupplicio fuerunt adfecti*, in 4. Ejus carmina in laudem Sanctorum plurima atque alia recenſet Adami in Vitis J. C. qui conſulendus.

XVII. JOHANNES de ETTENHEIM, vel ut ſæpius vocatur, Johannes Inſtitoris de Ettenheim, ſtudiorum fundamenta jecit Baſileæ, a qua regia urbe diligentiæ præmia tulit; primam lauream philoſ. a. 1461. ſecundam, n. magiſtri artium titulum a. 1464. In Jure creatus fuit Licentiatus a. 1476. & Doctor a. 1485. Decanatum philoſ. geſſit aliquoties; Rectoratum a. 1493. ubi in matricula S. Canonum Doctor atque in novis Juribus Ordinarius vocatur; & Decanatum jurid. a. 1499. & tunc nominatur ſecundus ordinarius.

XVIII. VLRICUS KRAFFT, Vlmenſis, Friburgi Briſgoviæ & in philoſophia & in jure Doctoratum obtinuit, ejuſque academiæ Rector exſtitit a. 1493. Baſileæ quidem jam commorabatur a. 1475. & literis operam navavit, ſed nullo honoris gradu hic accepto Friburgum ſe contulit. Inde a. 1495. reverſus utriuſque Juris Doctor in facultatem jurid. fuit receptus, Ordinarius futurus in Jure Civili. A. 1500. Decanatu jurid. functus adpellatur Profeſſor ordin. Jur. civilis. Anno nempe 1494. conſules civitatis primum decreverunt, ordinarium in Legibus dare Profeſſorem. Rector fuit a. 1495. & 1500. Primum Rector vocatur Legum Doctor & ejuſdem facultatis ordinarius; iterum Rector dicitur Canonicus eccleſiæ S. Petri Baſ.

XIX. HIERONYMUS de WEIBLINGEN ex Nœrdlingen, primum ad philoſophos Baſilienſes animum adjunxit & ab iis, quos dare ſolent, honores, primum a. 1475. ſecundum a. 1477. accepit. Studio dein Juris invigilavit, in eoque a. 1484. Licentiam & a. 1494. Doctoratum obtinuit; in utroque loco vocatur Jeronym. Baiblinger de Norlingen. Decanus Philoſophicus fuit ſæpius; juridicus a. 1501. quo tempore etiam Canonicus fuit eccleſiæ majoris Baſil. Academiæ Rector fuit ter, a. 1480. 1485. & 1499.

XX.

Digitized by Google

XX. WILHELMUS GRIEB, Basilienſis, natus eſt a. 1463. Lauream philoſophicam nactus a. 1483. privilegia vero magiſtralia a. 1485. ſcientiæ juris ſtuduit, &, ut videtur, Doctoris gradum apud exteros accepit; cum enim Baſileæ a. 1492. in facultatem jurid. reciperetur, vocatur J. V. D. G... enenſis. Rectoratum acad. & Decanatum jurid. bina vice geſſit. Obiit a. 1513. relictis ex nobili uxore, Vrſula de Jeſtetten, duobus filiis & filia una. Eundem nominatum invenimus Wilh. Grieb de Bynningen, qui vicus eſt prope Baſileam, ubi forſan ipſe vel parentes villam vel arcem poſſederunt. Ceterum Griebiorum familiam Reipublicæ noſtræ ſenatores, tribunos plebis, belli duces atque legatos ſtrenuos dediſſe, Chronica noſtra confirmant.

XXI. JOHANNES TUNSEL, alias *Silberberger*, ex minore Baſilea ortus, egregia erat indole ingenioque excellenti; bonis literis probe inſtituendus patrio tradebatur lycæo, muſiſque cum litaſſet, ab ipſis viciſſim meritorum tulit præmia, a. 1484. prima & a. 1487. ſecunda laurea condecoratus. Medicinæ dein operam dedit, in eaque ſupremam lauream doctoralem adeptus praxi medicæ haud ſegniter operatus eſt. Poſtea etiam pro ſingulari, quo gaudebat, ingenio omnem adhibuit curam atque diligentiam, ut utriuſque juris, civilis atque canonici, ſolidam acquireret notitiam. Hac adepta a. 1497. Canonum Doctor receptus & a. 1503. Juris civ. Licentiatus fuit promotus. A. 1501. ad facultatem & conſilium & a. 1506. *in Ordinarium Regentum ea conditione fuit receptus, ne in futurum ſe de regimine Facult. medicinæ intromittat, practica demta, nec ejuſdem medicinalis facultatis membrum exiſtat, niſi a facultate jurid. ſuper his ſecum fuerit diſpenſatum.* Rectoratum Acad. obiit bis & Decanatum jurid. quinquies. Ceterum fuit ex illis, qui juxta D. Lud. Berum, D. Auguſtinum Marium & Joh. Sattler, dict. Gebwyler, poſt ſolennem diſputationem Badenſem partibus Oecolampadianis reſtiterunt, pontificiis vero ſubſcripſerunt.

XXII. GERHARDUS de LUPABUS, de S. Theobaldo, Jur. utr. Doctor receptus fuit a. 1496. Decanatum jurid. geſſit a. 1508. & 1513. quo anno poſtremo ejus abſentis vices obiit Joh. Tunſel dict. Silberberger.

XXIII. ADAMUS MULLENBERG de Dieſſenhoven, Canonicus Eccleſiæ Petrinæ Baſil. & comes Palatinus, Canonici Juris Licentiam a. 1503. & Doctoratum a. 1504. obtinuit, annoque ſequenti in Conſilium fuit receptus. Functus eſt Decanatu jurid. a. 1509. Academiæ vero Rectoratu a. 1503. & 1509. Hoc edidit programma:

Nos Adam de Müllberg *ex Dieſſenhoven Rector Vniverſitatis ſtudii Baſilienſis univerſis optimarum litterarum amatoribus cum ſubſcriptorum noticia ſalutem. Licet ſuperioribus annis, tum peſtis ſeuicia, tum bellorum incommodis, Vniverſitas noſtra Baſilienſis ruinam paſſa ſit, hac tamen tempeſtate, qua ex diuina clementia & peſtis graſſari deſiit, & bella ſopita ſunt, prouidus Reipublicæ Baſilienſis ſenatus, ad inſtaurandam gymnaſii gloriam ordinavit amodo futuras in omni facultate lectiones. Profundiſſimus enim divinarum litterarum profeſſor* Laudislaus Vlricher *Veldencenſis in Theologia. Conſultiſſimus & ingenio ſubtiliſſimus utriuſque cenſure interpres* Johannes Cinus, *Hyſpanus, in Legibus & Decretalibus cum circulis veſpertinis. Prudentiſſimus vir Licentiatus* Johannes Mornach *in novis juribus. Expertiſſimus medecinarum doctor* Johannes Wonegker *in medicina, ſtipendio publico lecturi ſunt, & quoniam diſcipline Liberales, ad ſuperiores facultates ſolidum fundamentum preſtant, erunt etiam hic philoſophiæ magiſtri, oratorieque & poëtrie docti, qui in ſeptem artibus in omni philoſophia & humanitatis literis eruditionem diſſeminabunt. Quod ideo cunctis ſapientie cultoribus per preſentes ſignificare voluimus, ut ad ameniſſimam urbem, cui facile omnis neceſſarius victus ſuppetit, ſtudii cauſa venire ſe poſſe ſciant. Vbi litterarum morum virtutumque doctrinandi diligentiam cum ſecuritate largiſſime invenient. Datum Baſilee ſub noſtri Rectoratus ſigilli impreſſione decima octava menſis Marcii, anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto.*

(L. S.).

XXIV. ARNOLDUS zum LUFFT, Baſilienſis, Petri zum Lufft ex fratre nepos, Canonicus fuit eccleſiæ cathedr. Baſil., hunc tamen gradum non ſine difficultate obtinuit atque ſervavit. Vrſtiſius rem ita refert: „Arnoldus zum Lufft ante conſecutum Doctoris titulum, „permutatione quadam cum Johanne de Refe, Coloniam „ſeceſſuro, apud Cathedrale collegium, anno ipſius „patruo fatali, canonicatum obtinuerat, impetrata „Sixti Pontificis ratificatione. Quod ut Canonici irritum facere poſſent, communi conſilio ſanxerunt, ne „quiſquam

„ quiſquam civium Baſilienſium, dignus indignusve, in „ conſortium eorum cooptaretur, admittereturque, nec „ cuiquam ſacellanorum ulla tribuum ſocietate uti lice- „ ret, verentes ne forte ad aliquem authoritatis gra- „ dum evecti, patriæ amplius quam par videretur, per- „ mitterent. Quæ res inter clerum atque ſenatum non „ parum ſimultatis excitavit, civibus id ſibi ignominio- „ ſum ducentibus, effecitque, ut in eccleſiaſtica etiam „ ditione contra Burgundi ferocitatem tutanda, diffici- „ liores eſſent. Sed & Arnoldo ſacerdotium iſtud ma- „ gno labore ſumtuque ſtetit, Canonicis aliquandiu Pon- „ tificis pœnale monitorium ſpernentibus, ut excommu- „ nicationis ſententia eos urgere neceſſe habuerit. Po- „ ſtea vero Julius Pontifex II. ob res ab Helvetiis con- „ tra Gallos a. 1512. in Inſubribus præclare geſtas, „ Baſilienſibus inter cetera privilegia & hoc dedit, ut „ qui ex eorum cœtu eruditione vitæque honeſtate Doc- „ toris nomen legitime conſecutus eſſet, ſummorum „ primi templi ſacerdotiorum capax eſſe poſſet." Arnoldus noſter primum Decretorum & a. 1499. Legum Doctor fuit promotus & tunc erat officialis curiæ Baſil. Academiæ fuit Vicecancellarius a. 1511. quo Decanatum jurid. ſuſtinuit. Rectoratum Acad. adminiſtravit a. 1500. & 1508. Obiit a. 1517.

XXV. AUGUSTINUS LUTTWANG ſ. Lutenwang, natione Suevus, fuit Rector eccleſiæ paroch. Kaufburæ, item Canonicus atque Decanus eccleſiæ colleg. ad S. Petri Baſil. Legum Licentiatus dictus a. 1498. & Juris civ. Doctor a. 1500. Decanatum jurid. geſſit a. 1514. Rectoratum Acad. a. 1510. & 1517. Jam a. 1510. dicitur Legum civilium Interpres & minoris Baſileæ parochus.

XXVI. JOHANNES MOERNACH, ſ. Johannes Textoris de Mœrnach, Baſileæ laurea philoſ. a. 1474. corona vero magiſtrali philoſ. a. 1477. cinctus, Juri operam dedit & in utroque Jure Licentiatus a. 1499. Doctor vero creatus fuit a. 1508. Ordinis philoſ. Decanus ſæpius, juridici vero ſextum exſtitit, a. 1515. 19. 22. 25. 26. & 1528. Pontificii Juris fuit Ordinarius jam a. 1504. De eo in matricula Theol. hæc exſtant: *A. 1484. venerabilis vir M. Johannes Mœrnach admiſſus eſt ad lectionem bibl. adſignati ſunt*

ſunt eidem libri Job. & ep. Pauli ad Roman. Diſpenſavit facultas cum eodem ſuper defectu natalium, intuitu ſingularum virtutum ejus, quod cum nullo alio ullo unquam tempore facere deliberavit ſed ſemper manere cum ſtatuto. Diſpenſavit itaque uſque ad Licentiam inclusive, quia nondum XXX. Annum compleverat. A. 1488. *d.* 17. *Maj. admiſſus fuit venerabilis artium Magiſter & S. Theologiæ Baccalaureus Mœrnach ad lecturam Sententiarum. Præfatus Mœrnach duxit uxorem completo primo ſententiarum* a. 1489. *& dimiſit ſtudium ſuum cum ridiculo.*

XXVII. JOH. HENRICUS WENTZ natus eſt ex familia Baſilienſi meritis inclyta. Studio philoſophico ſeſe conſecrans animum doctrina excoluit, primoſque fructus laureæ philoſ. A. 1493. ſecundos, magiſtrales, a. 1495. merens cepit. Decanatu philoſ. a. 1504. & 1509. juridico vero a. 1517. Rectoratu a. 1502. & 1512. fuit perfunctus. Inſignia Doctoralia accepit a. 1510. Canonicus quoque fuit & deinceps Præpoſitus eccleſiæ colleg. S. Petri Baſil. itemque Juris Profeſſor ordinarius, in ſextum Decret. publice profitens. Obiit d. 25. Jan. 1518.

XXVIII. LUCAS KLETT J. V. D. fuit promotus a. 1515. Decanatum jurid. geſſit a. 1520. 1523. & 1527.

XXIX. JACOBUS de GOTTESHEIM de Aſt, dioeceſ. Argent. Philoſ. Doctor, S. Legum renunciatus fuit Doctor a. 1509. Juris Civilis Profeſſor Rectorem acad. egit a. 1510. ſuique Ordinis Decanum a. 1516.

XXX. JOHANNES CYNUS, Hiſpanus, receptus fuit J. V. D. a. 1503. & Jurid. facultatis Profeſſor fuit ordinarius a. 1504.

XXXI. NICOLAUS BRIEFER, civis Baſilienſis, vir pius & antiquitatis ſtudioſiſſimus, cujus ſive pater, ſive avus, Johannes, a. 1477. in Nanceiana pugna, Caroli Burgundionum ducis nece memorabili, Baſilienſium ſignifer fuit, academiæ nomen dedit a. 1500. ad pedes philoſophorum accurate inſtitutus, in pietatis exercitiis, ceteriſque bonarum artium ſtudiis, adeo feliciter profecit, ut jam a. 1501. ad gradum Baccalaureatus adſcenderit.

Hic

Hic gradus ad ampliores honores consequendos calcar ei addidit. Sive enim istud nominis atque honoris derivetur a *bacca* atque *lauro*, qua genuini philosophorum cinguntur filii, hæc ipsa coronatio incitamentum fit laborum ingenuis juvenibus; *honos enim alit artes*; sive autem academicus iste honos deducatur a *bacillo*, quem admodum Rhenanus, vir antiquitatum callentissimus, in scholiis ad Tertullianum observavit, in vetustissimis Parisiensis academiæ membranis, quibus constitutiones academicæ perquam accurate diligenterque conscriptæ continebantur, *Bacellarios* dictos fuisse, qui primum philosophicum honorem fuerunt adsecuti, ejus notatio prægnantissima hæc esset, ut bacellarii per porrectionem baculi tanquam signi admonerentur, se jam receptos esse in *Regnum Palladis*, in quo tractentur scientiæ & disciplinæ, homine liberali & ingenuo dignæ. Quicquid sit, Brieferus noster laurea philosophica redimitus strenuus porro in stadio proposito perrexit, & indefessus ad metam contendit, quam & adsecutus est, a. 1504. philosophiæ atque liberalium artium magister creatus. Ad quos academicorum honorum gradus sicut doctrina & morum commendatione ascendit, ita etiam adeptos fructu doctrinæ & modestiæ plurimum ornavit. Tandem relicta Platonis academia & Aristotelis lycæo, in quo diu magno cum fructu ambularat, ad Themidis sacra properavit, quod iter adeo feliciter ac velociter ipsi succesſit, ut mox non tantum utriusque Juris Licentiatus pronunciatus, sed & in collegium Juriconsultorum receptus atque Juris professor constitutus fuerit. Hæc enim de eo habet Ramus in Basilea: *Nicolaus Brieferus jus civile magna cum laude docuit, sed historia inprimis excelluit*; id autem publica auctoritate factum fuisse, sequentia verba docent, ubi adserit, *Bas. Amerbachium*, *Adamum Petreium* (Petri) *Sam. Grynæum*, omnes, ut constat, Juris professores, *in eam ipsam cathedram fuisse ingressos*. Ceterum Canonicus, ut & Decanus, fuit capituli Petrini Basileæ; philosophicæ facultatis Decanatum a. 1514. 1517. & 1519. Academiæ vero Rectoratum a. 1520. 1528. & 1539. & facultatis juridicæ Decanatum a. 1538. strenue gessit atque laudabiliter. Interfuit etiam a. 1528. disputationi Bernensi, religionis causa institutæ, & in ea præsidis officio fuerat functus. Sepultus fuit in templo S. Petri Basileæ, & epitaphio honoratus,

noratus, in eo autem epitaphio annus mortis ipsius jam ante seculum & supra fuit obliteratus. Hoc constat ex Scheuchzeri Bibl. Helv. p. 147. eum a. 1546. adhuc vixisse, illo enim anno Joh. Stumpfio, chronici helvetici auctori, *catalogum episcoporum Basilienſium*, nec non *historiam succinctam civitatis Basilienſis* transmisit, quæ ambo cum aliis Brieferi ad Stumpfium datis epistolis in bibliotheca civica Turicensi adhuc servantur.

Exstat præterea in MS. *Genealogia Comitum Habſpurgenſium* ex fundatione Murensi, libro Torneamentorum, Gebwilero & aliis collecta.

XXXII. CLAUDIUS CANTIUNCULA, Metensis, apud acad. Bas. Rectorem nomen dedit a. 1517. fuit J. V. D. & ex publico stipendio Legum Professor jam a. 1519. cum acad. Rectoratum administraret. Arduum atque amplissimum munus Cancellarii austriaci in Ensisheim magna gessit prudentia atque singulari eloquentia. Ceterum vir fuit ut aliis Eruditis ita & Erasmo familiaris, qui de eo testatur, eum omnia sua copiose, splendide & graviter expedire, nihilque in eo absolutissimi rhetoris desiderari posse. Eidem Erasmus, cum declamationem in ipsius laudem exaratsset, hæcce rescripsit: *Probo mirorque tuum ingenium ac facundiam, & boni consulo tam amicum de me tuum errorem. Ceterum malim delegisses aliud argumentum exercendo stylo. Nam istiusmodi laudibus me onerant, qui exstinctum cupiunt.* Alia ejusdem Erasmi de Cantiuncula in ipsius Epistolis præclara prostant testimonia. Et Magistratum Basil. eum magno loco habuisse, argumento est, quod cum in publicum prodiisset Oecolampadii de Eucharistia libellus, eumque tantisper vendi prohibuisset, donec a censoribus examinaretur & probaretur, præter Erasmum Roter. & Berum præpositum etiam Cantiunculam Jurisconsultum, quid de scripto illo sentiat, consuluerit. Quid responderit, non constat; Erasmi vero responsum hoc fuit: S. P. *Magnifici Domini, celsitudinis vestræ hortatu perlegi librum Joh. Oecolampadii de verbis Cœnæ Domini, mea sententia doctum, disertum & elaboratum; adderem etiam pium, si quid pium esse posset, quod pugnat cum sententia consensuque Ecclesiæ, a qua dissentire periculosum esse judico.* Et ad amicos: *Oecolampadius emisit libellum,*

lum, tam accurate ſcriptum, tot machinis argumentorum, totque teſtimoniis inſtructum: ut poſſet vel electos in errorem pertrahere. Obiit Cantiuncula in Cancellarii munere fenex, & apud ſuos ſepultus eſt.

Exſtant ejus: *Paræneſis de ratione ſtudii legalis ad amicum anonymum.* Baſ. 1522. 4. Lugd. 1541. fol. Baſ. 1549. Francof. 1552. fol. Lugd. 1566. 8. Spiræ 1588. 8. Col. 1607. *Paraphraſes in libros III. priores Inſt.*, Ferd. Imper. dedicatas. Lovan. 1549. fol. Lugd. 1534. 1550. 8. *Topica Legalia.* Baſ. 1520. *De officio judicis tractatus.* Baſ. 1543. 4. Ven. 1584. *De poteſtate Papæ, Imperatoris & Concilii. Oratio apolog. contra eos, qui legibus cum Evangelio parum convenire adfirmant.* Baſ. 1522. 4. *de perfecto J. C.* Lugd. 1566. 8. *Conſilia ſ. Reſponſa* Col. 1571. per Gul. Cnutellum edita, fol.

PROFESSORES PANDECTARUM.

I. Bonifacius Amerbach, ſ. *Amorbach*, Baſilienſis, natus a. 1495. patrem habuit Johannem, typographum celeberrimum, ex Reutlingen Suevorum oriundum, civemque Baſilienſem factum, matrem vero Barbaram Ortenbergiam. Horum parentum cura bonis literis inſtitutus fuit puer diligenter, præcipue privata opera *Joh. Cononis*, Norimbergenſis Monachi, græcæ linguæ callentiſſimi, Latinæ ſcientiſſimi, ſingularique per omnem vitam integritate præditi, quem pater Amerbachius Patavio, ubi græcas literas profitebatur, Baſileam venientem conduxit, partim ut ejus opera in excudendis Hieronymi operibus, partim in trium filiorum, Brunonis, Baſilii & Bonifacii, inſtitutione uteretur. Hoc duce Bonifacius quicquid ad elegantiores literas pertinet avide arripuit, & a publicis profeſſoribus dignus fuit habitus, qui a. 1511. laurea philoſophica & biennio poſt magiſtrali corona redimiretur. Eo tempore principum eruditorum princeps, Eraſmus, urbis noſtræ ſpeciatimque Joh. Amerbachii, cujus ædes inhabitavit, hoſpes gratiſſimus, Bonifacii noſtri moribus impenſe delectabatur, conatibus ejus enixe favebat, eundemque poſtea in amicis interioris admiſſionis habuit, cujus fidei & extremæ voluntatis ſanctimoniam commiſit, quam ita pie ſolverat noſter, ut multis, expreſſa teſtatoris voluntate

luntate ad ipſum ſpectantibus, in gratiam amicorum Eraſmi nec non pauperum ſtudioſorum virginumque honeſtarum egentium, quibus Eraſmus aliquid deſtinaverat, ſua ſponte ceſſerit. Bonifacius philoſophiæ artibus ac titulis condecoratus Friburgum contendit, ubi laribus Huldrici Zaſii adſcriptus in Juris ſtudio plurimum profecit, tandemque, juridica ſtudia etiam in Italia atque Gallia alacriter proſecutus, omni ſuo merito Avenione ſummum Docturæ gradum obtinuit. Jam eleganti legum cognitione juriſque ſcientia celebris Amerbachius Baſileam vocatur circa a. 1525. eique publico ſtipendio juris civilis interpretatio committitur, quam diu unus ac ſolus loco plurium tanta dignitate ſuſtinuit, ut illius auctoritate præcipue ſtetiſſe viſa ſit. Quinetiam Reipublicæ Syndicus in ambiguis difficilibuſque cauſis de jure reſpondendo talem ſeſe declaravit, ut Baſilienſium Papinianus merito audierit. Etiam Principibus variis de ſummis rebus rogatus conſilia dedit optima, & ampliſſimis præmiis propoſitis aliquoties evocatus patriam, cui plura ſe debere credidit, ſua ſorte contentus, prætulit. Uxorem duxit dotatam, Martham Fuchs, & ex ea ſuſcepit filium Baſilium, de quo mox, & tres filias, Eſteram, Fauſtinam & Julianam, ex quibus media Hulderico Iſelio J. C., de quo ſtatim, feliciter nupſit. Singulare fuerat iſtud, quod filius Rector una cum patre ad Epiſcopum Baſil. legati fuerint miſſi. Rector autem Bonifacius erat quintum, & quidem bis, cum jam ob oculorum & capitis invaletudinem profeſſione ſeſe abdicaſſet. Ceterum vir fuit Amerbachius noſter proceræ ſtaturæ, imberbis, toga ad talos demiſſa, inceſſu gravis pariter ac modeſtus. Jureconſultus cetera moribus ſanctiſſimis, eruditione conſummata, ingenio ſublimi, judicio ſubacto, eloquentia gravi, qua veteres expreſſit, ut ipſe erat vetuſtatis ſtudioſiſſimus, unde Juriſprudentiæ oraculum dicebatur. In oborto religionum diſcrimine Reformatorum partibus ſeſe palam addixit, dum alii, neglecta conſcientia ſimulando, alii ſolum vertendo ſuæ fortunæ conſulere ſtuduerunt. Amicus & blandus exſtitit omnibus, maxime peregrinis, in pauperes plus quam liberalis. In matricula jurid. ipſe ad a. 1551. teſtatur, ſe pridem profeſſionem depoſuiſſe, ob cauſas jam ſupra adlatas. Denique, ſic ei parentavit matricula jurid. *Patriæ, Juriſprudentiæ, & omnis Philoſophiæ*

loſophiæ ornamentum, *Bonifacius Amerbach*, *obiit d.* 24. *Apr.* 1562. Reliquit Bibliothecam juridici atque hiſtorici argumenti inſtructiſſimam, nec non collectionem antiquorum nummorum aliarumque antiquitatum ſatis copioſam, quæ a genero Iſelio filioque Baſilio aucta, & ab utriuſque hæredibus emta Bibliothecæ publicæ academicæ fuit inſerta.

Scripſit *Epiſtolam de urbe Baſilea*, quæ occurrit in Seb. Munſteri Coſmographia; item *commentationes* περι επικειας και του επικικους; nec non περι του εκουσιου και ακουσιου Ejus epiſtolæ atque alia magno numero MS. cuſtodiuntur in Bibliotheca publica Baſ.

II. VLRICUS ISELIN, cultor juſtitiæ ſeverus & verus pietatis indagator, originem ducit a ſtirpe Baſilienſi nobili atque antiqua; primus hujus ſtemmatis, qui Baſileæ a. 1364. advenerat, erat *Henricus Iſenle de Roſenfeld* ducatus Wurtembergici, cujus filius Conradus a. 1403. inter cives noſtros fuit receptus. Natus eſt noſter a. 1524. patre Johanne Luca Iſelin, Senatore, matre Eliſabetha Bera, Johannis mercatoris filia & Ludovici Theologi ſorore. Ab ineunte ætate bonis literis dicatus, Joh. Oporino & Sim. Grynæo in humanioribus præceptoribus uſus, a. 1536. ad lectiones publicas fuit promotus. Lutetiæ dein atque Valentiæ ad Rhodanum, nec non in aliis Galliæ atque Italiæ Academiis ſtudium Juris ſervide tractavit, Alciatum, Zaſium atque Amerbachium ſibi inprimis ſequendos proponens, atque etiam Doctoris gradum obtinuit Papiæ, promotore magno Alciato, a. 1547. Gradu ornatus in patriam poſt 9. annorum peregrinationem a. 1547. redux, illo ipſo anno primum Codicis, dein a. 1548. Pandectarum Profeſſor fuit conſtitutus in locum Bonif. Amerbachii, cujus ſequenti anno filiam duxit uxorem, Fauſtinam, quæ præter ſeptem alios liberos ei peperit filium virtutum & dignitatum hæredem, Ludovicum, J. V. D. Profeſſorem atque Syndicum, de quo ſuo loco, & Joh. Lucam, Centurionem in Belgio agentem. Peſte præmature extinctus eſt d. 25. Jul. 1564. Morti cum adpropinquaret, arculam obſignatam, chirographiſque repletam, Regentiæ miſit, rogans, ut, ipſo defuncto, ea aperiretur, chirographaque debitoribus inſoluta traderentur, addito ſuo ſigillo, quo quicquid eſſet ſignatum, firmum eſſet ratumque. Vir nempe erat, qui jam antea multas

Digitized by Google

eleemoſynas in pauperes erogaverat. Sed hæredes in aliam abierunt ſententiam, & Magiſtratus interceſſione arculam integram a Regentia poſtularunt & obtinuerunt.

Scripſit *Prælectiones in Rubr. C. de ædendo.* Baſ. fol.

III. BASILIUS AMERBACH, patriæ ſuæ oraculum, erudita genitus fuit ſtirpe; Bonifacius Amerbach, J. V. D. ac Profeſſor, Reip. Syndicus, ei fuit pater, mater vero Martha Fuchs. Lucem adſpexit primum a. 1534. In eo jam puero, perhibente Theod. Zuingero, ſenilis gravitas, judicii maturitas & ſingularis exiſtimatio probitatis erat conſpicienda. Hac benigna naſcendi ſorte, fidaque ac ſedula in eo formando parentis cura tanta fide atque diligentia, etiamque felicitate, in rem ſuam fuerat uſus, ut ſupra ætatem ſaperet, ſinguliſque ſui admirationem injiceret. A. 1549. Academiæ civibus adſcriptus ſequenti anno lauream philoſophicam obtinuit. Magiſterii titulum apud exteros videtur accepiſſe, nulla enim in noſtris indicibus inter Magiſtros ejus reperitur mentio. Patris exemplo Themidi ſacra fecit, eumque præeuntem ſedulo fuit ſecutus. Dehinc uberioris cognitionis acquirendæ cauſa in Italiam a parente fuit amandatus, quam non modo univerſam curioſis oculis luſtravit, ſed & Bononiæ, ubi ad aliquod tempus ſubſtitit, Doctoris Juris titulo & inſignibus fuit exornatus. In Italia, pretioſarum antiquitatum patria, degens, omni ſtudio, quicquid impetrare licuit, conquiſivit, patris Ceimeliarchium ſplendide aucturus. In patriam redux a. 1561. Academiæ Rector, quem gravem honorem deinceps adhuc quater graviter ſuſtinuit, & ſequenti anno Codicis Juſt. Profeſſor fuit conſtitutus. Biennio poſt in locum adfinis Iſelii, ſicut Iſelius a. 1547. gener ſocero Bonif. Amerbachio ſucceſſit, ſurrogatus Profeſſionem Pandectarum obtinuit, & ne quid paternæ gloriæ ac muneris filio decederet, ampliſſ. Magiſtratus Syndici partes ei gratioſe demandavit; quo factum, ut quantum Respublica atque Academia in patre fecit jacturæ, id in filio fuerit reſtitutum. Hiſce muneribus nempe omnibus diligenter præfuit atque prudenter, plurima in Rempublicam atque Academiam conferens commoda. Ex quibus unum vel alterum nominaſſe ſufficiat. Cum a. 1585. arduum tranſactionis negotium Reipublicæ

publicæ Basil. cum Episcopo & Canonicis interceſſiſſet, ipſe ſuo conſilio, prudentia atque dexteritate illud haud parum promovit & ad felicem finem perduxit. Sua etiam beneficentia atque liberalitate effecit, ut in gymnaſio patrio in uſum ſtudioſæ juventutis nova claſſis conſtitueretur, quæ hodienum ejus nomen gerit. Verbo, vir fuit pietate, eruditione, prudentia, auctoritate atque beneficentia admodum illuſtris. Uxorem duxerat a. 1561. Aſteriam Rüdin, Jacobi tribuni plebis filiam, quæ unicum ei filium peperit, Bonifaciolum dictum; lætitia autem atque ſpes, quam inde conceperat, mox evanuit, cum a. 1564. intra trium hebdomadum ſpatium patrem, uxorem atque filiolum, & hos quidem uno fere horæ momento d. 13. Apr. acerbiori fato amiſit. Propter ætatem & negotiorum civilium molem profeſſione ceſſit a. 1589. ipſeque tandem peripneumonia abſumtus animam exſpiravit d. 25. Apr. 1591. unaque cum eo Amerbachiorum familia fuit exſtincta.

Plura ejus MS. conſervantur in Bibliotheca academiæ Basil.

IV. Samuel Grynæus Baſileæ natus d. 8. Jun. 1539. patre Simone, viro, ut loquebatur Eraſmus, undecunque doctiſſimo, matre Catharina Lombardia, ſtatim in infantia ingenium doctrinarum omnium capax exſeruit, ideoque parentes tum animis quaſi providentes, quantus ejus uſus olim in republica literaria eſſet futurus, mature in ludum literarium patrium ipſum ablegandum cenſuerunt, in quo exiguo temporis ſpatio quam plurimum profecit, fida uſus inſtitutione viri bonis ingeniis formandis nati, Thomæ Plateri, Gymnaſiarchæ omnium optimi. Ex Gymnaſio in Academiam a. 1551. tranſmiſſus non ſecutus eſt illos, qui vitam otioſam ſine ullo labore traducunt, ſed id egit ſtrenue, cujus cauſa hic aderat, cumque ſuam in diſcendo diligentiam præceptoribus, Thomæ Grynæo, Joh. Nyſſæo atque Vlrico Coccio, tum Philoſophiæ profeſſoribus, ſatis probaſſet, eruditionis atque laboris præmia, primam nempe lauream accepit; dein Joh. Füglini, C. S. Curionis, Seb. Caſtellionis & Joh. Bechii, in ſecunda verſatus claſſe, lectiones ſummo cum fructu audivit. Majores adhuc ut in ſtudiis faceret progreſſus,

Argentinam a parentibus fuit missus, ubi in ædibus *Petri Dasypodii* commoratus, inprimis *Joh. Sturmium*, per totam Europam ob singularem eloquentiam & multarum rerum scientiam celeberrimum, docentem audivit. Hinc post annorum aliquot intervalla domum rediens per aliquot annos suis fruitus fuit; postmodum Tubingam profectus juris civilis disciplinam adgressus est, in qua brevi eos profectus fecit, ut multis admirationi ob modestiam, plurimis ob progressum in studiis adamatus fuerit. Tubinga digressus rediit Basileam circa a. 1562. ac studium juris summa cum diligentia prosecutus est, publicos Juris doctores, Bas. Amerbachium, Joh. Sphyractem & Joh. Hopperum audiens frequenter atque consultans. Sed ingruente lue epidemia, multa hominum millia absorbente, Dolam Burgundionum concessit, quo eo commodius posset juris disciplinam prosequi, siquidem id ob distractionem academiæ Basileæ fieri non poterat. Postquam pestis desiisset, rediit Grynæus in patriam a. 1565., & cum divitias ingenii sui explicuisset, a philosophica facultate summum in Philosophia gradum in publica solennitate d. 5. Jun. ejusdem anni obtinuit. Adeptus hunc gradum dignus judicatus est eodem adhuc anno, qui in Professorum numerum cooptaretur; demandata nempe ei erat professio Oratoria, cui tantâ cum laude præfuit, ut novus videretur Demosthenes Athenis christianis exortus. Anno vero 1569. Doctoratus Juris insignibus condecoratus biennio post a. 1571. Institutionum Professor fuit constitutus. Postea d. 16. Oct. 1584. Codicis & denique d. 9. Jun. 1589. Pandectarum Professor, annoque 1591. Reipublicæ Syndicus fuit electus, in quibus muneribus omnibus obeundis eruditionis, fidei, dexteritatis, industriæ, pietatis singularia edidit specimina. Ipso vero monente ac stimulante, cum jam vires inciperent deficere, J. Jac. Fæsch a. 1598. & 1599. professionem Pandectarum vicaria opera administravit, nondum Juris quidem Doctor renunciatus, quem titulum demum d. 1. Mart. 1599. obtinuit. Tanquam singulare notandum, Grynæum nostrum ab a. 1571. usque ad a. 1599. Candidatis 364. titulum Juris utriusque Doctor, rite semper promotorem creatum, contulisse. Uxores habuit binas, primo Elisabetham ex familia Beierorum natam, ex qua sustulit unicum filium, Simonem, legum, cum pater moreretur,

tur, ſtudioſum, paternorumque veſtigiorum æmulum. Hac pie defuncta duxit Annam Rüdinam, quæ unici filii & duarum filiarum ex eo facta eſt mater, quam moriens viduam reliquit. Vir autem iſte egregius, qui profuit omnibus, nocuit nemini, ex aſthmate & hydrope d. 3. Apr. 1599. corpore ſolutus cœleſtia gaudia petiit.

V. JOHANNES GUT natus eſt d. 12. Febr. a. 1555. in pago Oetliken, ſuperioris Marchionatus Bada Durlacenſis. Pater ei fuit Franciſcus Gut, fidus ejuſdem eccleſiæ paſtor, mater vero Barbara Weſſnerin. Ab his piis parentibus optimæ indolis puer bene atque ſollicite educatus, & mature bonis literis ac moribus fuit imbutus; in his ut majora caperet incrementa, Academiæ Baſilienſi a. 1572. fuit commiſſus, in qua maxime diligentem ſe exhibuit. Studiis philoſophicis abſolutis laborumque præmiis pro more acceptis, totum ſe ſtudio Juris dedit, ejuſque felicius perſequendi cauſa potiſſimas Germaniæ Academias inviſit, inprimis Spiræ Nemetum praxi juridicæ animum & operam addixit. Hinc ephorus rogatus variorum nobilium, inprimis autem liberi cujuſdam Baronis cum eodem Viennam Auſtriæ adiit, aliquot annis ibidem commoratus. Tot ergo peregrinationibus literariis ex dignitate & multiplici ſuo emolumento ſuperatis, ſupremum Docturæ juridicæ gradum non ſine nominis ſui gloria Baſileæ a. 1582. ſolenniter eſt conſecutus, & quod ſe eruditione omnigena, experientia diffuſa, humanitate ſingulari, candore ſincero bonis quibuſvis de nota optima commendaſſet, digniſſimus habitus eſt, cui ſucceſſu temporis triplex profeſſio juridica, & infima quidem, quæ Inſtitutionum eſt, anno 1586., media, quæ Codicis, triennio poſt, ſuprema, quæ Pandectarum ſive Digeſtorum d. 2. Nov. 1599. conferretur, quibus ſingulis muneribus, ut & Rectoratui acad. quinquies & Decanatui jurid. multopere, ſingulari induſtria, fide atque gravitate ſupra annos 43. præfuit, quo temporis ſpatio 362. J. V. D. atque Licentiatos publice proclamavit. A. 1587. matrimonium iniit cum Catharina Frey, Matthæi Wentzii vidua, quæ cum aliquot liberis ipſi fuit ſuperſtes. Catarrhis ſuffocativis atque apoplecticis identidem recurrentibus egregius iſte juris juſtitiæque cultor placida morte obdormivit d. 27. Dec. 1629.

VI. Joh. Jacobus Faesch, nobiliſſimæ ac antiquiſſimæ, de Republica atque Academia præclare meritæ, Fæſchiorum genti originem debet; floret nempe ea Baſileæ jam ab a. 1409. quo Heinzmannus & Burghardus Væſchii ob res in obſidione arcis Iſteinenſis fortiter geſtas civitate noſtra fuere donati. Pater noſtro contigit Remigius Fæſch, octies Tribunus plebis, novies Conſul renunciatus, mater vero Roſina Beck, a quibus parentibus ampliſſimis in lucem fuit editus a. 1570. & ab iiſdem omni cura educatus. Bonis literis moribuſque tam in publico quam privato ludo literario bene intinctum filium jam Philoſophorum inſtitutioni tradiderunt parentes magis imbuendum a. 1584. horumque lectiones publicas atque privatas ita ſedulo atque adtente audivit, ut triennii ſpatio utramque lauream philoſophicam adipiſceretur. Dein ſtudium Juris omni diligentia capeſſivit, Juriſque anteceſſores noſtros, Gutium, Grynæum atque Iſelium, frequentavit. Peregrinis quoque ſapientiæ præceptis domeſtica aucturus atque perfecturus, iter literarium cum duobus fratribus Rüdinis, parique fratrum, Jacobo & Bonifacio Zuingeris, inſtituit, & primo quidem in Italiam; Patavii autem cum ſubſiſterent, unus ſodalium, Bonifacius Zuinger, morbo correptus fuit exſtinctus. Viſa deinde Roma, Neapoli, Florentia, Sena, Bononia, Venetiis, luſtrata tandem tota Italia, poſt biennium ad ſuos rediit. Hic autem non diu moratus in Galliam contendit, & Genevæ Reipublicæ Conſulem, Melch. Hornlocherum, ad Henricum IV. Legatum præſtolatus cum eo Lutetiam Pariſiorum fuit profectus, Interpretis loco ei futurus. Peragrata Gallia, cujus celebria tribunalia viſitaverat, Spiram Nemetum petiit & ad Imperii tribunal penetrans cauſidicos præſtantiſſimos non ſine voluptate, nec ſine fructu audivit. Mox autem ardentiſſima febre laborans, paululumque reſtitutus ex conſilio medicorum domum reverti paravit, digna virtute ſua præmia laturus. Conſuetis jam tentaminibus atque examinibus pro obtinendo Doctoris Juris gradu ſeſe ſubjecit, & eruditam diſputationem *de Fidejuſſoribus* publice defendit, quo facto ei in publica panegyri dignitas doctoralis a. 1599. fuit collata, habita prius oratione eleganti in nobilem quæſtionem: *Num furti crimen capitis ſupplicio puniendum ſit?* Eodem adhuc anno Inſtitutionum

tutionum cathedram, a. 1612. Reipublicæ Syndicatum, a. 1613. Profeſſionem Codicis & denique d. 23. Jul. 1630. Pandectarum Profeſſionem omni ſuo merito obtinuit. Ex aſſe etiam cunctis ſuis muneribus ſatisfecit, jus docendo, de jure reſpondendo, conſulendo, ubique ſuam probitatem, docendi peritiam, facundiamque oſtendens. Faſces academicos geſſit ſextum. Decanatum jurid. adminiſtravit ſæpius. Promotor, raro exemplo, erat octuagies, Juris Doctores 230. Licentiatos 35. creavit. Matrimonium contraxerat cum Anna Maria Bauhin, ex qua duos filios quatuorque filias vidit. Filiorum uni, juniori, J. Caſparo, juveni, alteri vero Joh. Jacobo funus fecit jam adulto; is enim J. V. D. atque Profeſſor obiit d. 29. Sept. 1648. in ejuſque gratiam Pater, ut Filius immediate in Profeſſione Inſtitutionum ſuccedat, a. 1637. Profeſſioni Pandectarum valedixit. Iterum tamen d. 26. Nov. 1647. Profeſſionem Codicis ſuſcepit. Diebus denique, curis atque laboribus conſumtus vitæ curſum finivit d. 17. Febr. 1652.

VII. Remigius Faesch, Joh. Rodolphi Conſulis & Annæ Gebwyler filius, in hunc mundum bono publico editus eſt d. 26. Maji a. 1595. Ex tribus filiabus tredecimque filiis Remigius noſter erat natu maximus, iſque primas parentum, quas in bene educandis liberis poſuerunt, curas percepit. Traditus mature præceptorum Gymnaſii inſtitutioni, pro ea, qua pollebat, ingenii felicitate, egregie in literarum rudimentis profecit. Ex diſciplina vero ſcholaſtica ad liberalem Philoſophorum inſtitutionem emiſſus fuit a. 1609. in eoque ſtadio tanta ſolertia cucurrit, ut a. 1611. Baccalaureus, & a. 1613. Philoſophiæ Doctor pro ſummo ſuo merito fuerit creatus. Artem dein boni & æqui addiſcendam, ſicque magnum ſuum patruum, J. Jac. Fæſchium JC. imitandum ſibi propoſuit, hocque conſilio, poſtquam Genevæ gallicæ linguæ copiam comparaſſet, per Lugdunum Biturícum, (Bourges) celebre illud Themidos delubrum, abiit, in quo aliquamdiu commoratus Lutetiam Pariſiorum adiit. Ex Gallia in Germaniam & quidem Marburgum Cattorum perrexit, & *Vulteji* atque *Sixtini* JCtorum opera atque benevolentia uſus, ſalutatis etiam aliis Germaniæ urbibus, in patriam rediit, & poſt examen conſuetum pro ſummis in utroque Jure

honoribus capeſſendis diſſertationem *de Fœderibus* erudite conſcriptam fortiter defendit. Nondum tamen eruditione, quam haud contemnendam poſſedit, contentus, ſed eam adhuc locupletaturus, novam peregrinationem ſuſcepit in Italiam, & Mediolano, Patavio, Ferraria, Bononia aliiſque locis luſtratis, Romam tandem, quo maxime tendebat, pervenit, & viſis videndis per illuſtriores Campaniæ urbes, Velitras, Terracinam, Nolam, Capuam, Neapolim perrexit, exinde Romam reverſus per Viterbum & Siennam Florentiam adiit, ubi celeberrimæ mediceæ Bibliothecæ & theſauri antiquarii propius inveſtigandi cauſa aliquamdiu ſubſtitit, inde Piſam, Luccam, Genuam, Placentium, Parmam, Mantuam, Patavium, Vincentiam & tandem Mediolanum delatus, una cum Patre, tranſalpina legatione tum defuncto, Baſileam reverſus a. 1628. a patruo ſuo J. V. D. fuit renunciatus, nec multo poſt, Melchiore ab Inſula Profeſſione pariter ac civitate decedente, Inſtitutionum Imper. Profeſſor unanimi conſenſu ſurrogatus. Jura itaque docere cœpit ſumma fide pariter ac dexteritate, qua non litabat oſtentationi in ſubtilioribus, parum aut etiam nihil profuturis, ſed ad uſum & praxin cuncta dirigebat: hinc quid olim, quid noviter obtinuerit, quid etiam noviſſime & Camerali, ut vocant, jure, cujus ille non minus ac Juſtinianei erat callentiſſimus, continuo ſubjungebat, exemplo acutiſſimi Zaſii, qui veritatem ex Juris textibus, non Doctorum auctoritate eruendam cenſebat; ita noſter magni æſtimabat Accurſium, Bartholum, Baldum & quoſvis eruditione & auctoritate præſtantes Jurium interpretes, majoris tamen ipſam veritatem & Juris αυθεντιαν, ea interim elegantia & dexteritate uſus, ut dubium faceret auditoribus, verbis ne plus an rebus valeret. Quibus de cauſis a Profeſſione Inſtitutionum primum a. 1630. ad Codicis, deinceps d. 18. Apr. 1637. ad Pandectarum profeſſionem fuit evectus. Singulis iſtis muneribus ſumma fide præfuit & prudentia. Theoriæ etiam junxit Praxin, & non tantum privatis ſed & Principibus conſilio ſuo profuit, maxime ducibus Wurtembergicis & marchionibus Durlacenſibus, ipſius operam in rebus arduis expetentibus; præter hæc etiam variis Principibus & Rebuspublicis nomine collegii jurid. reſponſa impertiebatur. Academiæ ſceptrum geſſit

ter;

ter; Decanatum jurid. obiit vicies, & ad celſiſſ. Principem, Epiſcopum Baſil. Academiæ nomine legatus fuit iterum. Inter hos labores, nullis nec curis nec ſumtibus parcens, collegit Bibliothecam omnium Facultatum libris rarioribus, tam manu exaratis quam impreſſis refertam; itemque Cimeliarchium ſive naturæ ſive artis operibus, nummiſque præſertim Græcis & Romanis, inſtructiſſimum. Hanc pretioſiſſimam collectionem, quæ ab auctore *Muſæi Fæſchiani* nomine venit, una cum ſpatioſa domo, fruendam legavit primo ſuis Fæſchiani nominis propinquis, ea lege, ut non ſolum hujus adminiſtrationis capax ſed & Juris utriuſque Doctor exiſteret, qui ea frueretur; dein autem, deficiente Fæſchio hiſce qualitatibus inſtructo, omnem apparatum librarium æque ac Cimeliarchium almæ Academiæ Baſilienſi tradendum, poſſeſſione harum rerum cum proprietate, quam hinc inde ab obitu deſtinaverat, conjungenda, domum vero cum adjacente horto vendendam pretiumque proximis ſuis adgnatis diſtribuendum præcepit. Symboli loco utebatur: *Heu de multis nimium ſatagimus miſeri.* Placida morte terris ereptus cœliſque redditus fuit d. 27. Mart. a. 1666. Epitaphium, quod ipſe ſibi concinnavit, memoria dignum eſt, & ſic ſe habet:

A. Ω.

REMIGIUS FESCHIUS

Doctor Legum
fidus & ſincerus
cujus unicæ deliciæ
libros verſare
abdita rimari
vera eruere
vetuſta ornare
hortulum colere
in omnibus Dei ſapientiam
mirari venerari adorare

pro virium modulo & gratia ſibi conceſſa
Deo proximo ſibi vivere
incredibili flagrans deſiderio
Conditoris Redemtoris ac Conſolatoris ſui
ſarcinam
in ſpe viva reſurrectionis
& conſilii ſanctorum omnium
nec invitus nec inopinus
depoſuit

ἁπαις και ἀγαμος.

Prodiit ipſius opera: *Jul. Pacii a Beriga J. C. Inſtitutionum Imperialium analyſis, & Selecta, in gratiam Juris ſtudioſorum ad mentem ipſius auctoris quam diligentiſſime recognita, & debito ſuo nitori reſtituta*, Baſ. 1641. 12.

VIII. Jacobus Brandmuller, legum clariſſimus ac certiſſimus vates, mundi hujus incola eſſe cœpit d. 12. Sept. 1617. Puerulum pii parentes vixdum ab uberibus depulſum primis literarum elementis ipſi imbuerunt, moxque ſingulari animi alacritate deprehenſa maturum judicarunt, qui publicorum pædagogorum curæ committeretur; ſub illa cum aliquot annos exegiſſet, & multa diligentiæ præmia promeruiſſet, Montiſpelgardum miſſus eſt, ut linguæ gallicæ rudimenta poneret, ac in illo nobili ludo literario eas artes, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, altius imbiberet: quod ille cum mira ingenii velocitate eſſet adſecutus, magnam de ſe ſpem concitavit hominis inter celebriores aliquando collocandi. Nec fefellit augurium eventus. Itaque cum annos aliquot Montiſpelgardi moratus eſſet, patriæ redditus, mox ad lectiones publicas admiſſus eſt. Cum legitima trium annorum ſtipendia in Philoſophorum caſtris confeciſſet, præmiis tituliſque ornatus & honeſta miſſione dimiſſus, a. 1634., quo A. L. M. creatus fuit, de ulteriori ſtudiorum genere cogitare cœpit. Ad Theologiam invitabant exempla patrui, avi atque proavi paterni, ut & bibliotheca, aliaque ſubſidia theol. haud contemnenda; ſed licet ſacras literas debita veneratione proſequeretur, animus tamen ad Juriſprudentiam propendebat.

Naturam

Naturam itaque ducem ſecutus ſe ad album tulit atque rubricas, ita tamen, ut philoſophiæ bonarumque literarum ſtudium, cui mirifice erat deditus, non deponeret, ſed diligentiſſime continuaret, Tullii præceptum ſequens, quo docuit, diſciplinam juris penitus ex intima philoſophia eſſe hauriendam. Fundamentis Juriſprudentiæ in patria jactis, a. 1635. laribus valedixit, & Lauſannam eſt profectus; hinc Genevam perrexit & *Jac. Gothofredo* innotuit; inde viſo Lugduno Lutetiam Pariſiorum contendit; hic divinæ ſuæ memoriæ ac ſtupendæ diligentiæ nonnullis commilitonibus de titulorum in Digeſtis diſpoſitione contendentibus luculentum ſpecimen edidit, illos titulos omnes a capite ad calcem non interrupto ordine recitando. Caletum poſtea, indeque trajecto freto Londinum petiit atque Oxonium; ex Anglia tranſmiſſo oceano germanico in Belgium venit, & Roterodamo, Delphis, Amſtelodamo aliiſque urbibus conſideratis Lugduni diutius hæſit, & maximis viris, *Salmaſio*, *Heinſio*, *Cunæo*, *l'Empereur*, aliiſque, familiariter fuerat uſus. Tandem cum ſatis terrarum peragraſſe viſus eſſet optimo patri, domum revocatus, ſalutatis in tranſcurſu Sicambris, Ubiis, Vangionibus, Nemetibus, Triboccis, rediit Baſileam, & cum aliquantum adhuc temporis in legum ſtudio poſuiſſet, a. 1639. ſolenni Doctorum Juris examini ſeſe ſubmiſit, ſimulque eruditam diſputationem ſpeciminis loco edidit, gradum vero demum a. 1649. accepit. Jam ante hæc tempora inſignem philoſophicæ ac juridicæ peritiæ theſaurum & aliis fruendum aperuit, omnis generis lectiones Studioſis concedens; etiam rogatus L. Flori compendium hiſtoriæ Rom. permiſſu Senatus acad. publicis prælectionibus illuſtravit. Fama ejus jam longe lateque ſparſa accidit, ut antequam munere publico eſſet ornatus, ex tota Germania complures Legum Cultores huc confluxerint, quo ab eo in literis humanioribus, præſertim vero in jure civili, imbuerentur. Sed nec Academia intermiſit prima data occaſione diligentiam ejus remunerari, Theodoſianæi illius memor: *Virtutum præmia bene merentibus tribui convenit;* eumque d. 8. Sept. 1652. Inſtitutionum Profeſſorem conſtituit. Huic muneri qua decuit fide, qua polluit dexteritate ſupra 14. annos præfuit, itemque, quod officii ratio non poſtulabat, hebdomadarias diſputationes inſtituit, auditoribus & hoc modo profuturus.

Digitized by Google

turus. Hiſce laboribus cum totus eſſet immerſus, a Senatu Acad. d. 25. Mart. 1667. ad Pandectas publice interpretandas fuit vocatus. Novum hoc munus novum ei dedit calcar, omnes ſuas vires in bonum publicum impendendi, Juriſque cultorum commoda promovendi. Interea matrimonium iniit cum Salomea Kœnig, ex qua 30. annorum ſpatio 14. liberos ſuſcepit, quorum partem maximam tenera ætate ereptam deflevit; filiam unicam Cleophen, J. Jac. Buxtorffio L. H. Profeſſori deſponſavit; filium Emanuelem ipſe J. V. D. creavit; Jacobum Theologiæ, Johannem Typographiæ deſtinavit. Sed fatalis hora de improviſo celeriuſque omnium opinione ei ſupervenit d. 14. Aug. 1677.

Edidit diſſ. *de Lege*, 1640. *Or. in obitum Bernh. Brandii*, Trib. pl. 1650. *Rectorem Acad.* 1658, fol. *Mare patulum*, 1659. *Manuductionem ad Jus canonicum ac civile*, 1661. *Dubia Juridica*, 1663. *Schottani examen jurid. cum annotationibus*, V. III. Baſ. 12. *Differentias Juris civilis & Canonici*, Baſ. 1660. 4. *Commentationem ad proœmium Inſtitutionum*, Baſ. 1667. *ad L.* 38. *de condict. indebiti*, ib. 1666. *de tranſactionibus*, ib. 1667.

IX. NICOLAUS PASSAVANT natus fuit Baſileæ d. 3. Apr. 1625., parentibus Reinhardo Paſſavant, mercatore, & Sara Dauphin; avum habuit Nicolaum Paſſavant, mercatorem, qui una cum uxore, Nicola Marteleur, a. 1594. tumultus bellicos evitaturus ex Burgundia Baſileam ſe contulit, ubi, reformatis ſacris addictus, in civitatem fuit adſcriptus. Noſter ab illis parentibus Gymnaſio noſtro publico erudiendus tradebatur, eoque feliciter emenſo, Argentoratum fuit miſſus, ubi ſtudia philoſophica atque juridica diligenter tractavit. Itinere literario per Galliam atque Belgium confecto Baſileam reverſus eſt a. 1654., eodemque anno d. 13. Dec. J. V. D. creatus uxorem duxit Juditham Morlott, per XXV. annos thori ſociam ſed prole carentem. Reipublicæ Advocatus ſ. Syndicus a Magiſtratu deſignatus fuit a. 1660. Munia ampliſſima ab exteris oblata recuſavit, patriæ plura ſe debere judicans, quæ & ejus merita magni fecit atque remuneravit. D. 3. Jul. a. 1667. profeſſio Inſtitutionum & d. 11. Dec. a. 1677. Pandectarum profeſſio ei honorifice fuit commiſſa, quam & optima fide obiit. Præter conſuetos honores acad., Academiæ

demiæ Rectoratum & Ordinis jurid. Decanatum, alii etiam ei fuere collati, non ſolum enim membrum fuit collegii presbyterorum eccleſiæ gallicanæ, ſed & binis vicibus academiæ juſſu legatione fungebatur apud Epiſcopum Baſil., & Galliarum Regem in vicinia noſtra commorantem Reipublicæ nomine ſalutavit. Optatam denique curſu laborum atque honorum plenо contigit metam, & maraſmo ſenili hanc vitam finiit d. 31. Maj. 1695.

X. J. JACOBUS BURCARD natus eſt d. 2. Mart. 1642. patre Luca Burcard J. V. D. & Codicis Profeſſore; matre Eliſabetha Mitz. In Gymnaſio atque Lyceo patrio poſtquam continuo labore animum doctrina excoluiſſet, & ſingulos Philoſophorum honores obtinuiſſet, ſcientiæ juris ſtuduit, & ſummum Doctoris titulum jam dudum promeritum demum accepit d. 6. Jul. 1669. antea autem iter literarium inſtituit per Galliam, Italiam, Germaniam, in quo itinere Romam, Neapolim, Veſuvium, Genuam, Florentiam, Viennam Auſtriæ, Lutetiam Pariſ. tribus vicibus, pluresque alias urbes & notatu memorabilia haud ſine fructu fuit contemplatus. Anno 1673. electus eſt Profeſſor Juris in Vniverſitate Gallica Sedanenſi. A. 1675. a Sereniſſ. Principe Naſſoviæ vocatus eſt ad Profeſſionem jurid. in illuſtri ſchola Herbornenſi in locum Doct. Joh. Voëtii, cujus dein celebris Athenæi Rectoratus nec non munus Conſiliarii Principis Henrici ei fuit commiſſum, ejuſdemque Principis nomine varias gravioris momenti legationes obiit. Cum autem d. 15. Febr. a. 1678. ejus parens in Regentia profeſſionem Codicis, ſervata tamen ſede in Regentia, collegio jurid. atque Capitulo Petrino, reſignaret, ſimulque filium iſtum, ut in profeſſione jurid. ſuccederet, de meliori nota commendaret, reſignatio fuit accepta, & noſter Joh. Jacobus in eodem conſeſſu Inſtitutionum Profeſſor in locum Sim. Battierii, ad quem ſucceſſionis jure profeſſio Codicis devolvebatur, omnium votis fuit conſtitutus, ea tamen lege, ut ſi ante Parentem e vivis exceſſurus eſſet, huic jus filio iterum ſuccedendi maneret illibatum. Cauſæ vero prægnantes, inprimis controverſia, quam nomine ſcholæ Herbornenſis in cauſa legati Cauſſeniani habuit cum Academia Marpurgenſi, obſtiterunt, quo minus abſque mora ſe potuerit

potuerit in patriam conferre & professionem sibi demandatam administrare. Hinc licentiam ad unum & alterum annum in statione sua permanendi petiit & facile impetravit. Tandem reversus d. 6. Jun. 1681. professionem Institutionum imperialium oratione de *successione* & d. 22. Febr. 1682. professionem Codicis est auspicatus. Huic muneri cum aliquamdiu singulari industria præfuisset, d. 17. Sept. 1695. ad cathedram Pandectarum fuit translatus. Cum autem d. 20. Sept. 1706. in pleno senatu acad., præsentibus etiam D. Scholarchis, proponeret, se juxta Pandectas lubenter simul *Jus Canonicum*, sicubi e re Academiæ visum fuerit, publice lecturum explicaturumque esse, placuit Senatui acad., adprobante summo Civitatis Magistratu, eidem titulum & officium docendi simul in posterum Juris Canonici gratiose concedere, ita, ut singuli ejus successores eundem titulum idemque officium gerant; simul etiam in eodem consessu d. 20. Sept. 1706. Institutionibus Imperialibus *Jus publicum*, & Codici *Jus feudale* fuit adnexum. Denique cum hisce muneribus bono publico diu satis præfuisset, ex catarrhis pectoralibus obiit d. 28. Aug. 1720.

In lucem edidit specimen de *tutela* & plures alias disputationes; itemque *tabulam in titulum 6. libri 4. Institutionum imperialium de Actionibus.*

XI. JOHANNES WETTSTEIN, J. V. D. & Reipublicæ Syndicus, filius fuit Joh. Friderici Wettstein, Reipublicæ nostræ a secretis consiliis, variis iisque arduis splendidisque legationibus defuncti; nepos vero Joh. Rodolphi Wettstein, Consulis, a Ferdinando III. nobilitate donati. Johannes noster natus est a. 1660. civis Academicus inscriptus a. 1674. primam lauream a. 1676. secundam, Magisterii, a. 1678. a philosophorum collegio bene meritus accepit; orationem habuit, cum Philosophiæ Doctor crearetur, *de beneficentia erga exules*, carmine græco conscriptam. Juri dein civili operam dedit diligentissimam, & peregrinatione per Germaniam atque Galliam feliciter facta, doctura in utroque Jure ornamenta d. 27. Oct. 1685. a Seb. Fæschio ei publice fuerunt tributa, habita oratione *de jure principis circa religionem.* Logica vicario nomine publice docenda ei commissa fuit a. 1686. mox vero a. 1687. Professor Linguæ

Digitized by Google

guæ græcæ, & d. 27. Sept. 1695. Profeſſor Ethices fuit deſignatus; die vero 20. Sept. a. 1706. adprobante ſummo magiſtratu novus ei titulus a ſenatu acad. fuit conceſſus, nempe *Profeſſoris Juris naturalis & gentium*, cum adjuncta ſpe ſucceſſionis indubitatæ ad primam profeſſionem Juris vacantem, quæ ſpes impleta fuit d. 27. Febr. a. 1714. cum Profeſſor Inſtitutionum & Juris publici fuit vocatus. Ab hac autem cathedra ſucceſſionis jure tranſiit ad cathedram Pandectarum & Juris canonici d. 17. Dec. 1720. quam occupavit uſque ad a. 1731. quo ad ſuperos abiit.

Edidit collationem Juris Romani & Baſilienſis, Baſil. 1685. theſes philoſ. 1686. diſſ. de manſuetudine, eod. ſpecimen philolog. 1687. diſſ. de ſummo bono 1690. theſes jurid. 1695. diſſ. de Amicitia, 1700. ſpecimen obſervationum jurid. 1714.

XII. JOHANNES TONIOLA natus eſt a. 1664. patre M. Johanne Toniola, cœtus Italici, qui Baſileæ colligitur, concionatore, matre vero Eſthera Ryhiner. Poſtquam ad publicas lectiones promotus & in artibus ingenuis haud parum progreſſus fuiſſet, a. 1680. philoſophica Laurea & a. 1682. magiſterii dignitate fuit condecoratus. Studium Juris poſtea omni diligentia proſecutus primus fuit profeſſorum, qui per ſortem a. 1718. apud nos introductam munus publicum obtinuit, quod contigit d. 17. Dec. 1720., quo Codicis & Juris feudalis Profeſſor fuit electus; in optionis ternarium conjecti cum eo fuerant Franc. Chriſt & Nic. Bernoulli, J. V. Doctores. Ad gradum J. V. D. Toniola promotus fuit d. 22. Apr. 1721. denique jure ſucceſſionis ei obtigit profeſſio Pandectarum & Juris Can. a. 1731. quam adminiſtravit uſque ad ejus obitum, qui contigit d. 28. Aug. 1746.

Edidit theſes philoſ. d. 6. Apr. 1686. faſciculum theſium jurid. d. 25. Oct. 1720. & diſquiſitionem feudalem d. 17. Dec. 1720.

XIII. JOH. RODOLPHUS THURNEISEN, vir ingenio, eruditione, ſolertia celebris, ingenuis parentibus editus eſt d. 5. Nov. a. 1716. patre Jacobo Thurneiſen, ſenatore integerrimo, matre Maria Fæſch. Puer miro ingenio in diſciplinam traditus fuit gymnaſii noſtri magiſtris, & rudimenta tyrocinii depoſuit a. 1729. Academiæ

miæ civibus adſcriptus philoſophica ſtudia diligenter tractavit, in iiſque adeo fuit progreſſus, ut a. 1731. primam & a. 1733. ſecundam in Philoſophia Lauream pro merito acciperet. Literis humanioribus jam ſatis imbutus diſciplinæ Juris ſeſe addixit, & juxta jus naturæ atque gentium juri publico atque civili nec non canonico diligentem operam navavit; ſolertiæ ſuæ publicum mox exhibuit ſpecimen ex occaſione vacantis profeſſionis Ethicæ Juriſque naturæ ac gentium, cum d. 5. Febr. 1734. diſſertationem de officiis hominis erga ſe ipſum defenderet. Quid in Juriſprudentia valeret, partim ſuis Magiſtris in tentaminibus atque examinibus privatis, partim diſputatione de recuſione librorum furtiva a. 1738. habita publice oſtendit, Licentiam in utroque Jure adeptus. Vacante a. 1741. cathedra Rhetorica iterum Candidatorum turbæ ſe immiſcuit, & d. 31. Jan. theſes de diverſis dicendi generibus propugnavit, idemque eum laude præſtitit d. 7. Maj. a. 1743. ceſſante cathedra Oratoria, nonnullas iterum oratorias theſes defendens. Sed præmiorum meſſis nondum erat matura. Adſumto autem d. 13. Jul. a. 1743. J. V. D. titulo, paulatim ad altiores dignitatis gradus adſcendere cœpit. Quippe a. 1744. Reipublicæ Advocatus ſ. Syndicus, eodemque adhuc anno d. 22. Dec. Profeſſor Hiſtoriarum ſorte fuit electus, quam provinciam d. 2. Mart. 1745. prælectione *de judicio hiſtorico* ſolenniter fuit auſpicatus. Sed hic non diu ſubſtitit, jam d. 2. Dec. 1746. ad cathedram Pandectarum atque Juris Canonici vocatus, cujus muneris auſpicia cepit d. 17. Jan. 1747. lectione *de uſu Critices in eruenda legum ſententia.* Thori ſociam ſibi legit Roſinam Fæſch, duorum filiorum matrem ex ipſo factam, Joh. Henrici, mercatoris, & Joh. Jacobi, J. V. D., paterna veſtigia diligenter prementis. Ceterum vir fuit ſingulari facundia, vivaci ingenio, profunda legum peritia atque eximia aſſiduitate, qui nulli labori pepercit Reipublicæ academiæque commodum adlaturus. Adhibitus ideo fuit gravioribus negotiis, in quibus fuit legatio a. 1752. ad Epiſcopum Baſil., Academiæ noſtræ Cancellarium celſiſſimum, Reipublicæ atque Academiæ mandata exſecuturus. Litibus implicitis prudenti conſilio patronus adſtitit fidus. Maxime autem duram cepit provinciam, gravemque ſuſtinuit dignitatem a. 1760. quo Academiæ faſces geſſit, quoque conditæ Academiæ noſtræ

noſtræ memoria ſolenniter erat celebranda. Sed quæ peragenda erant omnia mira facilitate, facundia, dexteritate, prudentia ſtrenue peregit, omnium plauſus ferens nominiſque ſui famam immortalitati mandans. Obtigit ei hydrope laboranti εὐθανασία d. 26. Febr. 1774.

Edidit præter jam memoratas adhuc alias diſſertationes, itemque *Orationem Secularem*, qua fata atque merita Academiæ Baſil., ſeculo a fundatione tertio perſpicua facta, inſigni expoſuit eloquentia.

XIV. JOH. HENRICUS DAVID in lucem editus eſt d. 24. Dec. a. 1726. optimo patre præmatura morte orbatum puerum, docilitate atque animi alacritate adornatum, pia mater in oculis tulit atque ſtudiis dedicavit. Jactis in gymnaſio noſtro virtutis atque literarum fundamentis, almæ matri, Academiæ, alumnus traditus fuit a. 1741. & ducibus publicis Profeſſoribus, privataque opera *J. Georg. Ertzbergeri*, in flore ætatis magno eccleſiæ atque literarum damno ex Diaconatu Petrino in cœleſtem academiam translati, propriaque adſiduitate, in philoſophicis atque elegantioribus diſciplinis eo eſt progreſſus, ut a. 1742. primam & a. 1744. ſecundam Lauream tulerit meritiſſimus. Animum dein inclinavit ad Juriſperitiam, maximo cum fructu privata inſtitutione uſus viri ampliſſ. *J. Rod. Thurneiſii*, J. V. D. atque Prof. quem & in philoſophicis fidum habuit magiſtrum. Poſt commorationem aliquot annorum in Helvetia atque Gallia factam Juris Profeſſoribus examinandum ſe præbuit, eoque examine cum laude ſuperato, pro gradu Doctoratus obtinendo d. 1. Febr. a. 1752. diſputationem edidit *de dolo defuncti in hæredem tranſeunte*, eamque maſcule defendit. Eodem adhuc anno d. 7. Sept. Oeconomia Ven. Capituli Petrini ei fuit demandata, quam vero adminiſtrationem ſe a muſis ipſi adeo dilectis abſtrahere minime eſt paſſus, quin omnes horas, quas muneris negotiis vacuas habuit, illis ſacrificavit, non intermittens, etiam cultoribus elegantiorum literarum atque juriſprudentiæ opera ſua prodeſſe. Tandem placuit divinæ providentiæ, eum a ſtatione ipſius ingenio ac eruditioni minus reſpondente ad magis convenientem, ad cathedram Pandectarum & Juris can. d. 30. Sept. a. 1774. evocare, quam ſpartam, accepto d. 17. Jan. 1775. J. V. D. titulo, d. 20. Jan.

Digitized by Google

1775. prælectione ſolemni *de perpetuo morum populi cum legibus nexu* adiit, magnoque auditorum commodo exornat, diuque adhuc pro noſtris communibuſque votis exornabit.

PROFESSORES CODICIS.

I. PETRUS PIERÆUS, alias *Pitrellius*, Codicis Juſtinianei publicus interpres fuit a. 1536. Antea Bonif. Amerbach non Pandectas ſolum ſed & omne jus unus & ſolus docuit; huic enim officio par erat ſatis. Illius autem ſublevandi cauſa, quamprimum fieri poterat, & alii publici conſtituti fuere Doctores Juriſque Profeſſores, in quibus Pieræus primus eſt, qui Codicis fuerat Profeſſor. Is a. 1536. una cum Bon. Amerbachio, cujus olim fuerat diſcipulus, de inſtaurando ſtudio juris dedit conſilium; adeo enim illud erat neglectum, ut ab a. 1516. uſque ad a. 1563. nullus Doctor Juris hic creatus reperiatur; poſtea autem frequentes iterum & horum Doctorum fuere promotiones. Iſte Petr. Pieræus, ſ. Pitreus ab *Henrico*, Coadiutore Wormatienſi, Præpoſito Ellwangenſi, comite Palatino Rheni ac duce Bavariæ in Cancellarium fuit adſumtus a. 1530.

In Bibliotheca Acad. Baſil. variæ ejus exſtant epiſtolæ MS. ad Bonif. Amerbachium datæ.

II. JOH. VDALRICUS ZASIUS, filius fuit Vdalrici Zaſii Conſtantienſis, J. C. Friburgenſis longe celeberrimi, Eraſmi atque Bonif. Amerbachii amici intimi, de quo ille ad iſtum ita ſcripſit: *Legibus cæſareis priſtinum elegantiæ nitorem atque etiam geminæ literaturæ gloriam feliciter reſtituit apud Gallos* Guilielmus Budæus, *apud Germanos vir omnibus modis incomparabilis*, Vdalricus Zaſius, *tanta romani ſermonis ubertate ſcatens, ut Vlpianum quempiam loqui putes, non hujus ætatis Jure conſultum.* Hunc filium genuit Zaſius jam ſexagenarius in ſecundo conjugio, quod a. 1520. contraxerat cum famula ſua *Barbara*; ex ſex liberis noſter erat natu major, a. 1521. natus. Juvenis erat ingenii acrimonia, memoriæ præſtantia dicendique promtitudine patri haud abſimilis; primum in Friburgenſi gymnaſio literis dedit operam; mox vero Academiæ civibus ibidem fuit adſcriptus

adſcriptus d. 27. Maj. a. 1534., dein poſt patris mortem, quæ contigerat 8. Cal. Dec. a. 1535., in celeberrimis quibuſque Italiæ gymnaſiis academiiſque bonis literis & inprimis Juriſprudentiæ ſub auſpiciis viri doctiſſimi, *Mariani Soccinini*, operam dedit, ſumtus ſubminiſtrante, *Joh. Paumgartnero*, domino in Ehrbach &c. conſiliario Cæſ., defuncti patris amico & patrono integerrimo. Jurium Licentiatus a. 1541. & mox anno inſequente doctor in Academia Friburgenſi renunciatus, Sabaudiæ ducis Cancellarium oratoremque in Germania egit. Baſileam dein venit a. 1543. eodemque anno Senatus Acad. eum Profeſſorem Codicis conſtituit. Cum autem Zaſius pontificiæ religioni adhæreret, adeoque ea electio S. C. die 12. Apr. a. 1539. quo omnes religioni pontificiæ addicti a profeſſionibus fuerant excluſi, adverſaretur, Magiſtratus eam indigne tulit, & mox a. 1544. edictum ſancivit, ex quo Baſilienſium præ aliis in profeſſorum deſignatione ratio erat habenda. Itaque Zaſius uno tantum anno hoc munere fungebatur. Privatus tamen ſingulari dexteritate atque gravitate Jura interpretatus eſt uſque ad a. 1552., quo tempore, genio ejus ad altiora quævis adſpirante, Baſilea ac theoria jurid. relicta, negotiis publicis tractandis ſeſe totum tradidit. In aulam itaque Cæſaream ex eruditionis & facundiæ fama, qua pollebat, adlectus primum cœpit eſſe Ferdinando I. a conſiliis, cujus in Imperio res maximas ſingulari dexteritate & moderatione expedivit, omnium benevolentiam & adfectum aucupatus. Deinceps quoque a Maximiliano II. in conſilium eſt cooptatus & ad ipſam tandem Vicecancellarii Imperii dignitatem evectus. Præmatura autem morte obiit. Cum enim d. 26. Maj. a. 1565. una cum *Seldio* ſub veſperam Eberſdorffio ex ſenatu ibidem a Cæſare coacto Viennam eſſet rediturus, properante curru, equis panico terrore concitatis, Seldius ex rheda deſilivit & ex caſu protinus fuit exſtinctus; Zaſius vero dextra capitis parte graviter læſa tum quidem vivus evaſit, ſed nunquam prorſus ex illo caſu atque vulnere convaluit, potius magis magiſque debilitatus denique Viennæ Auſtriæ 5. Cal. Maj. a. 1570. fato conceſſit.

Edidit *catalogum Legum antiquarum una cum adjuncta ſummaria interpretatione.* Argent. 1551. 8. Venet. 1584. & cum Annott. Lud. Charondæ, Pariſ. 1555. 8. nec non quædam

dam parentis: *Reſponſa ſingularia*, ſive *intellectus juris ſingulares nova forma & mutato ordine, nec non inſigni acceſſione locupletatos*; libro primo præmiſit dedicationem ad Ferdinandum Cæſarem; libri ſecundi priorem partem Joh. Paumgartnero, Conſiliario regio, ſuo patrono, poſteriorem Matthiæ Held, Caroli V. Procancellario, inſcripſit.

III. MARTINUS PEYERUS, J. V. D. *præfectus Neukirchenſis* & *Dominus in Haſslach*, ortum duxit ex antiqua atque nobili familia Scaphuſienſi, patremque habuit Johannem, conſulem Scaphuſ. Filius Martinus citius Themidi ſe conſecravit, non ignarus, illam juris & æqui prudentiam ſuos myſtas ad imperia & rerumpublicarum gubernationem via regia deducere. Baſileæ loco Zaſii d. 4. Mart. 1545. Profeſſionem Codicis obtinuit, & diligenter obiit; a multis Principibus & Imperii comitibus inſtar oraculi in perplexis caſibus Politicis conſultus, ad votum ſemper reſpondit. V. Pantaleonis proſopogr. T. 3.

IV. VLRICUS ISELIN, J. V. D. d. 7. Mart. 1547. Codicis Profeſſor deſignatus, a. 1548. ad Pandectarum Profeſſionem pervenit. V. Prof. Pand. n. 2.

V. BASILIUS AMERBACH, Baſilienſis, Legum Doctor Bononienſis, a. 1562. Codicis Juſt. Profeſſor deſignatus & hoc nomine in collegium ordinis J. C. cooptatus fuit; a. 1564. ad Pandectas fuit translatus. V. Prof. Pand. n. 3.

VI. MARTINUS HUBER, Baſilienſis, patrem habuit Johannem Huber, Med. Doct. & Prof., Matrem vero Margaretham Wœlflin. In Italia, cum in patria philoſophica ſtudia abſolvit, & Juriſprudentiæ fundamenta jecit, Juris ſtudium perfecit & Bononiæ titulum J. V. D. obtinuit. Reverſus in patriam Codicis Juſt. Profeſſor electus & in collegium J. C. receptus fuit a. 1564. Sed eodem adhuc anno peſte conſumtus fuit anno æt. 24. funus curante mœſtiſſimo parente.

VII. CASPARUS HERVAGIUS, pietate erga Deum, meritis erga quoſvis ſed ſacrum inprimis ordinem eximius, Principibus conſulendo, Academiæ Baſil. docendo, privatis de jure reſpondendo, ſancti purique juſtitiæ

tiæ ſacerdotis munus explevit. Filius fuit Joh. Hervagii, typographi, & Gertrudæ Lachneriæ, Joh. Frobenii, typographi, viduæ. Philoſophica ſtudia in patria, juridica vero in Gallia tractavit, & Pictavii Juris Doctor fuit creatus. Codicis Profeſſor Baſileæ denominatus eſt d. 11. Apr. 1565. eique muneri omni fide præfuit, donec Archivo Rœtelano præficeretur, idque a. 1571., in quo ſplendido atque graviſſimo munere ſumma fide, juſtitia, humanitate & induſtria eſt verſatus, Principi gratiſſimus, ſubditiſque pariter adamatus. Obiit Rœtelæ ex apoplexia d. 17. Nov. a. 1577. æt. 49. & ſepultus eſt Baſileæ. Superſtites habuit Sabinam Scherliam, conjugem, & V. liberos.

VIII. ADAMUS HENRICPETRI ortum duxit ex antiquiſſima & inprimis de arte typographica præclare merita Petrinorum familia Baſilienſi, lucemque primum adſpexit a. 1543. Pater ei fuit Henricus Petri, typographi Adami filius, itidem typographus, ſenator atque Triumvir, qui 108. vicibus nundinas Francofurtenſes adiit, & nonis Aug. a. 1556. a Carolo V. fuit nobilitatus; mater vero Anna Hütſchina, quam ipſius pater a. 1529. monialem duxerat. Poſteri hujus Henrici, qui ſuſceperat, ex modo dicta conjuge V. filios & XII. filias, ut ſe ab aliis diſtinguerent, nomini Petri Henrici nomen junxerunt, ſeſeque Henricpetrinos vocarunt. Adamus noſter Henrici filiorum quartus mature ſtudiis eſt mancipatus, & ita elegantes in iis pro ubertate ingenii fecit progreſſus, non modo in patria, ſed præcipue in exteris Germaniæ, Galliæ, Italiæ Academiis, ut Dolæ, Patavii, Paviæ & Ferrariæ, ubi plures annos commoratus fuerat, ut a. 1564. axioma J. V. D. impetraverit pariter & meruerit a Ferrarienſibus. Proceres Academiæ patriæ, peſte graſſante variis & ſpeciatim duobus Juris Profeſſoribus orbatæ, eum d. 20. Jan. 1565. quam honorifice non tam vocarunt quam exorarunt, ut profeſſionem Inſtitutionum in ſe ſuſciperet; ei acceptæ non minus nominis ſui fama quam ſtudioſæ juventutis emolumento & Academiæ ornamento præfuit uſque ad a. 1571. cum profeſſio Codicis ei fuit demandata, quam pari fide, dexteritate & induſtria adminiſtravit, confluentibus ad eum audiendum hinc inde magno numero ſtudioſis, quorum etiam magnam

partem, & quidem 72., ad gradum doctoralem provexit. Ob variam autem rerum agendarum peritiam, linguarum cognitionem, legum scientiam a Civitatis magistratu ad ampliſſimum munus Archigrammatei d. 20. Oct. 1584. vocatus fuit, cui vix uno anno vacavit, morte abreptus d. 27. Apr. 1586. Catharina Richer, a. 1566. ei matrimonio conjuncta, præter 4. filias unicum filium ei peperit *Jacobum*, J. V. D., de quo inter Rhetores quædam occurrent.

Scripſit: *General Hiſtorien* &c. ſ. *hiſtoriam univerſ. rerum præcipuarum, quæ ubique locorum acciderunt* &c. a. 1551. —1561. quam reviſam, auctam & continuatam edidit filius Jacobus Henric Petri, J. V. D. Baſ. 1600. fol. c. f.

IX. Franciscus Hottomannus, primæ notæ Juriſconſultus, familiam ducens ex antiqua atque nobili apud Sileſios florente gente Otmannorum, natus fuit Lutetiæ Pariſiorum d. 23. Aug. 1524. patre Petro, ſummæ curiæ adſeſſore, avo Lamberto Hottomanno, cive Vratislavienſi, qui caſtra Ludovici XI. ſecutus Lutetiæ Pariſiorum ſedem fixit. Franciſcus a privatis præceptoribus primis literarum elementis imbutus anno ætatis 15. Academiam Aurelienſem adiit, triennio vero ibi tranſacto pater ipſum revocavit aulicum miniſtrum ex eo formaturus. Filius autem theoreticis magis quam practicis Juris ſtudiis delectatus, humanioribus literis Jurique Romano omne ſuum otium dicavit, eo ſucceſſu, ut ipſe jam alios a. 1546. Pariſiis Jura doceret. Cum autem Reformatorum doctrina, quam pater improbabat, ipſi valde adrideret, tuncque Reformati in Gallia atroces perſecutiones paterentur, Lugdunum abiit a. 1547. unde Lauſannam vocatus literarum elegantiorum profeſſorem egit, indeque Argentoratum profeſſionem juris ſubiturus fuit accerſitus, & civitatis jure donatus. Poſtea dux Boruſſiæ Albrechtus Regiomontii, comes Haſſienſis Marpurgi, dux Saxoniæ Lipſiæ vel Wittenbergæ, regina Angliæ Eliſabetha Oxonii Juris cathedram ſub lautiſſimis conditionibus ei obtulerunt, ſed nihil horum accepit. A Reformatis autem Galliæ revocatus aulam regis Navarrenſis adiit, & a principibus regiis reformatis binis vicibus in Germaniam auxilii petendi cauſa miſſus omni fide atque facundia & iſtud officii peregit.

Digitized by Google

egit. Valentiam dein vocatus moxque Bituricum per aliquot annos jura publice docuit; hinc securitatis causa alio migravit, jussu autem Margarethæ, Henrici II. sorore, illuc rediit, sed uno atque altero anno elapso in vitæ periculum incurrit, & lanienam Parisiensem a. 1572. germanorum studiosorum opera difficulter evasit. Genevam fugiens benigne receptus & publica auctoritate Juris professor constitutus fuit. Mox vero Geneva relicta Basileam profectus est, ubi eum d. 4. Cal. Nov. a. 1581. Jure consulti in Collegium suum receperunt & a. 1584. Codicis professionem Academiæ proceres ei decreverunt atque obtulerunt, quam vero, ut & professionem Lugduno Batavam, modeste recusavit. Basileam ob pestem ibi grassantem relinquens Montem Belligardum petiit, ubi uxor ejus Claudia Brueria mortua, relictis quatuor filiabus, duobusque filiis, Johanne atque Daniele. Hinc Genevam denuo adiit, apud sorores uxoris defunctæ commoratus. Hoc tempore Henricus, Rex Navarræ, consiliarium ipsum constituit intimum, majori honore quam emolumento. Denominatio regii historiographi, quam regni Cancellarius, Hospitalis, in gratiam Hottomanni proposuerat, adplausum non inveniebat, adeoque spes, quam inde ceperat, evanuit. Chymiæ senex operam dedit, sed infelici cum successu. Tandem Sabaudiæ duce, Genevam bello infestante, iterum Basileam profectus ibi d. 12. Febr. 1590. ex hydrope mortuus est. Catalogus librorum, quotquot scripsit, vulgatorum & vulgandorum, satis amplus conspicitur in memoria ejus nomini dicata, & Augustæ Raur. a. 1590. impressa, in qua & hoc Theod. Bezæ in eum occurrit epicedium:

Ex hoc viator paucula
Dignare saxo discere,
Quem diviti Lutetiæ,
Quem ditibus parentibus,
Honoribus quem maximis,
Christi crucis ludibria,
Et quidquid immanis jubet
Vis impiorum perpeti,
Decies quaternos quattuor
Fortem per annos vidimus
Perferre, tempestatibus

Nulliſque territum malis:
Quo ſenſa juris intima,
Legumque griphos omnium,
Mirabili facundia,
Veræ æquitatis ex penu,
Promente, tota Gallicæ
Et totius Germanicæ
Plauſere pubis pulpita,
Hotmanus hîc magnus jacet.

Hottomanni opera per Jac. Lectium collecta prodierunt 3. Tomis Genev. f. Lugd. 1599. fol. Præter ea, quæ in collectione Operum exſtant a Jac. Lectio adornata edidit complura alia partim ανωνυμως, partim ſub nominibus fictis, qualia ſunt: *Anti-Tribonianus*, gall. 1567. Pariſ. 1603. 1609. 1616. 8. lat. Hamb. 1647. 8. & cura G. Beyeri, Lipſ. 1704. 8. *ad Remundum Ruſum defenſorem Romani Pontif. contra Carol. Molinæum de ſtatu primitivæ eccleſiæ ejuſque ſacerdotii.* Genev. 1653. 8. *Papæ Sixti V. fulmen brutum in Henricum regem Navarræ & Henricum Borbon. Princip. Cond. vibratum &c.* 1585. 1586. 1602. 1603. 8. & Gall. 1585. 8. *de furoribus gallicis & cæde Admir. Caſtillionii atque illuſtrium Virorum &c. narratio, ab Erneſto Eremundo Friſio.* Edimb. 1573. 4. Lond. 1573. 8. Lugd. B. 1619. 8. Amſt. 1641. 8. *Matagonis de Matagonibus Monitoriale adverſus Italo-Galliam Anton. Matarelli*, 1575. 1578. 1584. 1594. 8. *Strigilis Papirii Maſſoni &c. per Matagonidem de Matagonibus &c.* 1576. 1578. 8. *Nullitatis proteſtationes adverſus formulam concordiæ per Joannem Palmerium*, 1579. 8. *Jo. Franciſci Aſpaſtis Salaſſi V. D. M. in virulentam planeque ſophiſticam Andreæ Pouchenii criminationem, quam adverſus Jo. Palmerii juſtas & neceſſarias proteſtationes conſcripſit, pro eodem Palmerio vera & modeſta defenſio.* Genev. 1580. 8. Franciſci & Joannis Hotomannorum, patris ac filii, & clarorum virorum ad eos epiſtolæ ex bibliotheca Jani Guil. Melii, J. C. Amſt. 1700. 4. Franc. Hotomanni epiſtola ad Henr. Bullingerum a. 1588. ſcripta edita eſt in Füſslini epiſt. Reform. C. 1. n. 90. Opuſcula Hotomannorum, fratrum, Antonii & Franciſci, prodierunt gallice, Pariſ. 1616. 8. eorundem *de veteri ritu nuptiarum & jure connubiorum obſervationes, cum B. Briſſonii libello ejuſdem argumenti*, junctim editæ ſunt Amſt. 1641. & 1662. 12.

X. SAMUEL GRYNÆUS, J. V. D. Reip. Syndicus & Inſtitutionum Profeſſor, electus fuit Profeſſor Codicis d. 16. Oct. 1584. hancque cathedram eximie ornavit, dum d.

5.

5. Jun. 1589. in cathedram Pandectarum fuit evectus. V. Prof. Pand. n. 4.

XI. JOHANNES GUT, J. V. D. Inſtit. Profeſſor, ad cathedram Codicis translatus fuit d. 9. Jun. 1589. & in ea permanſit uſque ad d. 2. Nov. 1599. cum ei profeſſio Pandectarum fuit demandata. V. Prof. Pand. n. 5.

XII. LUDOVICUS ISELIN, Juris ſacerdos præſtantiſſimus, mundi hujus civis factus eſt d. 2. Jul. a. 1559. patre J. Vlrico Iſelin, J. V. D. atque Profeſſore, matre Fauſtina Amerbach. A teneris unguiculis ad virtutem & laudem conſtans ſemper & directum iter tenuit, ita ut in eo adhuc juvene ea fuerit conſilii maturitas & prudentia, quæ raro in iis, qui confirmata ætate ſunt, reperitur. Tanta fuit in eo naturæ bonitas & felicitas, tanta ad honeſtatem propenſio, ut a juvenilibus vitiis quam alieniſſimus ſenilem plane, id eſt gravem, continentem, frugalem & ab omni levitate ac ſtultitia remotam perpetuo vitam egerit. His tot tantiſque animi dotibus ea acceſſit doctrina & eruditio, ut omnibus ſtupori fuerit atque admirationi. Juvenis admodum patre orbatus avunculo Baſilio Amerbachio tanquam altero patre uſus eſt, quem ut parentem coluit, & a quo viciſſim tanquam filius diligebatur. Hoc Thalete viam virtutis ingreſſus liberalioribus illis ſtudiis fuit imbutus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, & tam præclara felicis ſui ingenii ſpecimina ductori ſuo prodidit, ut vir ille ſagaciſſimus excellens hoc ingenium patriæ ſuæ finibus continendum non putaverit; quapropter uberioris culturæ gratia in Gallias ablegavit, ubi tum vivebat celebre illud Themidis oraculum, *Jacobus Cuiacius*; de hoc juris & juſtitiæ fonte cum Biturigibus per triennium integrum plus ſatis hauſiſſet, eos ſane fructus domum reportavit, quos maturos maturus ætate & judicio per 24. annos de graviſſimis rebus conſulendo, reſpondendo, judicando, Reip. atque Acad. noſtræ exhibuit. Ex Gallia redux Inſtitutionum profeſſor a. 1586. fuit conſtitutus, ſed avunculus ejus Amerbachius apud proceres Acad. eum excuſavit, eo quod Italiam Europæ oculum nondum perluſtraſſet, quam ad felicis hujus ingenii conſummationem & prudentiæ civilis perfectionem, ſiquidem

dem ea non tam ex libris quam ex uſu & diverſarum gentium moribus & inſtitutis probe cognitis acquiratur, ab illo perluſtrari cupiebat. Hac itaque abunde perluſtrata domum reverſus a. 1589. promeritos ſummos in utroque Jure adipiſcitur honores, ſimulque eodem anno d. 9. Jun. omnium procerum conſenſu ad profeſſionem Inſtitutionum accitur, in quo munere obeundo præcellentis ſui ingenii divitias ita explicavit, ut dexteritatem in docendo, fidem & prudentiam in conſulendo, reſpondendo, judicii acumen in difficillimis legum nodis ſolvendis, ſuavitatem in eloquio, familiaritatem in adloquio erga omnes abunde probaverit. Ad Reip. Syndicatum a. 1599. vocatus munus illud per 15. annos ea fide geſſit, ea integritate & induſtria, ut omnium calculos retulerit. Eodem anno 1599. d. 2. Nov. profeſſio Codicis ei fuit commiſſa, quam ad dies vitæ ſtudioſiſſime adminiſtravit. Junxerat ſibi conjugem Annam Ryhiner, ex qua ſex liberos accepit, quorum autem quinque, filium & quatuor filias, lue epidemica graſſante, intra ſemeſtre ſpatium, a d. 21. Aug. 1610. ad 24. Jan. 1611., acerbiſſimo luctu amiſit. Ipſe autem, melancholia conſumtus, eos ſecutus fuit d. 20. Dec. 1612., relicto unico filio, *Baſilio*.

Exſtant in Bibl. publ. Acad. Baſ. in MS. ejus *Termini juridici* germanice redditi, 4. *Reſolutiones variarum legum & capitulorum* extra ordinem, 4. *Prælectiones de Juriſdictionibus*, 4 *prælectiones ad tit. Dig.* Soluto matrimonio, 4. *Expoſitio legis* Gallus Aquilius 29. ff *de liberis & poſth.* 4. *prælectiones de proceſſu criminali* a. 1588. 4. *prælectiones de furto*, a. 1588. 4. *prælectiones in duos libros terribiles de delictis privatis & extraordinariis, nec non de publicis criminibus*, 4. *Annotationes in tractatum de criminibus, ex annotationibus Laurentii Caſtellani*, a. 1586. 4. *Annotationes ex Jacobo Menochio in L. I. C. de Edendo*, a. 1586. 4. *Prælectiones de actionibus*, 4. *Prælectiones in Tit. ff. de regulis Juris*, 4. *Annotata in varias materias Juris*, 4. *Reſponſum* betreffend den freyen Zug der Burgern und Hinderſeſſen zu Baſel; *item* den Abzug, wenn frembde zu Baſel erben, a. 1607. 4.

XIII. Joh. Jacobus Fæsch, J. V. D. ex cathedra Inſtitutionum in cathedram Codicis promotus fuit d. 24. Aug. 1613. eamque occupavit uſque ad d. 23. Jul. a. 1630. quo ad Pandectas tranſiit. V. Prof. Pand. n. 6.

XIV.

XIV. Remigius Fæsch, J. V. D. & Institutionum Professor, Codicis Professor fuit denominatus d. 23. Jul. a. 1630. mansitque in hac statione ad 18. Apr. 1637. ab hinc ad Pandectas vocatus. V. Prof. Pand. n. 7.

XV. Joh. Jacobus Hofmann claris parentibus genitus est Basileæ d. 16. Febr. 1591. patre Joh. Henrico Hofmann, Senatore, Scholarcha & Ædili, matre Justina Gebwyler. Ab ineunte ætate virtutis arduam viam & salebrosas calles studii literarii, quod Gymnasium vocant, est ingressus, & per gradus omnes rite incedens adscendensque tandem a. 1607. ex eo est egressus. Inde a. 1609. prima Laurea, secunda, quæ Magisterii est insigne, a. 1611. pro merito suo est exornatus. Neque vero hoc adeptus acquievit, sed philosophiam veram & solidam, vitiorum expultricem, virtutis altricem, sedulo porro excoluit; inprimis autem præter Matheſin, eloquentiæ, sed floridæ, masculæ & cum dignitate conjunctæ diligenter studuit, animo præsagiens munus, cui in Academia non longe post esset præficiendus. Sed ut fata ipsum altioribus destinarant, ita ad altiora quoque studia summa cum animi contentione adspiravit. Nomen itaque Themidi ut dedit, pro ea, qua pollebat, industria ingeniique felicitate, intra breve temporis spatium sub publico & privato præceptorum ductu tantum profecit, ut a. 1612. m. Dec. eruditionis suæ specimen dissertatione ad l. 1. ff. qui testam. fac. poss. feliciter ediderit. Noluit interim esse terræ unius mancipium, nec patriæ glebæ nimis ardenter adhærescere, unde in exteras regiones sese contulit, præsertim Galliam, præcipue Biturigibus, urbe pluribus Jure consultis celeberrima, commoratus. In patriam a. 1617. reversus eruditione, consuetudinis adfabilitate pariter ac facilitate, morumque comitate apud bonos quosvis, summos, medios, imos, eam iniit gratiam, qua sibi viam ad secuturos honores paravit. Doctoris titulum adsumsit Basileæ d. 8. Jul. 1628. & Juris cultoribus privatam operam ab illo tempore addixit atque præstitit; professionem prius mereri quam ambire desiderans, famamque in Academiam inferre quam ab ea accipere. Sed mox tamen in honores adsurrexit. Primum demandata ei fuit Eloquentiæ professio, quod accidit 10. Cal. Nov. 1629. Mox a. 1630. d. 23. Jul. professio Institutionum,

in

in qua obeunda cum nonnulla paſſus eſſet adverſa, denique d. 18. Apr. 1637. profeſſio Codicis ei fuit collata, quibus muneribus ſingulis diligentiſſime vacavit. Præter theoriam etiam praxin exercuit omni fide atque prudentia; ſed cum bonis plurimum profuit, malam malorum gratiam iniit; quæ cauſa fuit, cur filios, quos numero quatuor habuit, a ſtudio Juris olim capeſſendo graviter dehortatus ſit. Conjugium ei fuit duplex: unum cum Vrſula Burcard, una prole maſcula beatum; alterum, illa cum filiolo a. 1631. in puerperio defuncta, cum Helena Iſelin an. 1633. ex qua VI. liberos vidit, ſeptimum ſperare licuit poſthumum, ſemeſtri poſt patris mortem in hanc lucem editum, ex quibus primogenitus Joh. Henricus V. D. M. Mariæ Julianæ ex illuſtri Hohenloënſium familia oriundæ Principi Bad. Durl. a concionibus, deinceps ad Diaconatum in æde S. Petri Baſileæ, tandem ad Archidiaconatum vocatus, gloriæ Dei & eccleſiæ ædificationi inſerviit. Noſter Hofmannus, longiori vita digniſſimus, mature obiit dyſenteria, præviis doloribus nephriticis intenſiſſimis, d. 1. Sept. 1644.

XVI. Joh. Jacobus Faesch, Filius, patre natus eſt Joh. Jacobo Fæſch, J. V. D. ac Pand. Prof., matre Anna Maria Bauhin; natalem habuit d. 5. Aug. 1610. Parentum optimorum voluntate & cura mature ſtudiis eſt adhibitus; decurſo ſtadio philoſophico, Juriſprudentiæ ſe totum devovit, ea induſtria eoque ſucceſſu, ut 14. Cal. Sept. a. 1634. ſummo ſuo merito utriuſque Juris Doctoris titulum atque inſignia reciperet; erat enim ab ineunte ætate ingenio feliciſſimo, imo admirando, judicio acri, memoria tenaciſſima, & diligentia ſingulari. Cum ejus parens d. 5. Mart. 1637. profeſſionem Pandectarum reſignaſſet, rudemque pro voto accepiſſet, filius ejus cognominis, quem pater hanc in rem de meliori commendaverat, a ſenatu acad. d. 18. Apr. 1637. Inſtitutionum Profeſſor deſignatus fuit, hancque poſtea cathedram d. 30. Maji 1645. cum cathedra Codicis permutavit; utraque vero profeſſione poſtquam per decennium dextre fuiſſet perfunctus, an. 1647. minus proſpera culpa ſua paſſus Mullhuſium conceſſit, inde vero ſequenti anno revocatus, in itinere triſti

Digitized by Google

triſti fato equo excuſſus, ſtatim ab ingreſſu in noſtram urbem obiit d. 29. Sept. 1648.

XVII. Joh. Jacobus Faesch, Pater, qui in gratiam unici filii, Joh. Jacobi, a. 1637. profeſſione deceſſerat, jam inverſo fatorum ordine, a Senatu acad. per Rectorem & unum ex Scholarchis rogatus, præviis tamen quibuſdam conditionibus, profeſſionem Codicis d. 26. Nov. 1647. filio ſuccedens, iterum ſuſcepit, & obiit d. 17. Febr. 1652. V. Prof. Pand. n. 7.

XVIII. Lucas Burcard natalem habuit d. 2. Dec. a. 1614. parentes vero Jacobum Burcard, J. V. D. & Philoſophiæ practicæ apud nos Profeſſorem & Eliſabetham Lichtenhan. Ludo literario immiſſus in eo perrexit uſque ad a. 1629., quo, ſæviente peſte, parentum conſilio Montem Belligardum petiit, inde autem a. 1630. reverſus ad lectiones publicas promotus, an. 1631. prima Laurea, & a. 1633. Magiſterii gradu fuit decoratus. Dein ſcientiæ Juris ad conſilium & exemplum parentis diligenter operam dedit, ipſumque ducem gnaviter fuit ſecutus. Studiorum cauſa poſtea iter ſuſcepit Lauſannam & a. 1635. Genevam; ſequenti anno Galliam peragravit, domumque reverſus ſtudia juridica continuavit, donec a. 1639. ſuperato examine & habita diſputatione inaugurali Licentiam in utroque Jure obtinuit. Die 4. Nov. ejuſdem anni itineris in Italiam comitem eum adſumſit Erneſtus, Haſſiæ Comes, & præſertim Venetiis atque Paduæ Juris anteceſſoribus familiariter fuerat uſus. Suis feliciter reſtitutus a. 1640. J. V. D. fuit creatus. Sequenti anno thori ſociam ſibi adjunxit Eliſabetham Mitz, quæ quatuor filios atque filiam fuit enixa, ex illis J. Jacobum maximo ſuo gaudio paterna veſtigia prementem & in honores paternos ſuccedentem vidit. Pius filius pium patrem jam debilem ſublevaturus, adnuente Senatu acad., aliquamdiu ejus vices obiit, donec pater in gratiam filii a. 1642. officium reſignavit, qua reſignatione & inde ſecuta promotione factum, ut Burcardo noſtro eodem anno cathedra Logicæ fuerit decreta. Haud diu poſt, nempe d. 30. Maji 1645. profeſſio Inſtitutionum & d. 8. Sept. 1652. profeſſio Codicis ei obtigit. Rectoratum acad. quartum, Decanatum jurid. 14. itemque vicario nomine

mine 2. & Ven. Capituli Petrini Decanatum 7. cum laude adminiſtravit. Senectute ingraveſcente idem pietatis officium filio J. Jacobo præſtitit, quod ipſe a patre accepit; nempe ut locum cedat filio, d. 15. Febr. a. 1678. profeſſionem reſignavit, filium ſucceſſorem expetens, quod factum; adminiſtravit tamen adhuc profeſſionem, donec filius ex ſchola Herbornenſi advenit, nempe ad d. 6. Jun. 1681. quo filius Inſtitutionum cathedram ſolenniter auſpicatus eſt. Obiit d. 14. Jul. 1695.

XIX. SIMON BATTIER parentibus ortus eſt bonis atque honeſtis, natuſque d. 1. Mart. a. 1629. patre quidem Simone Battier, mercatore, matre vero Valeria Burcard; avus ei erat Jacobus Battier, natione Gallus, Lugduno oriundus, qui tempore lanienæ Pariſinæ e diris Guiſianorum manibus elapſus primum Montisbelgardum dein Baſileam venit, & civitate donatus fuit. Noſter, puer ſexennis, patrem optimum, vix dum notum, præmaturo fato exſtinctum luxit; mater vero, ad quam gravis educationis cura devoluta, quæque ſex liberis fuerat obruta, huic oneri ferendo impar, ex amicorum conſilio hunc filium, in quo magnam diſcendi cupiditatem & animum ad ſtudia inclinantem animadverterat, Friderico Seylero, tum Gymnaſii noſtri Conrectori ſolertiſſimo, educandum atque inſtituendum tradidit, qui filii loco ipſum habens eundem primis literarum rudimentis ſolicitus imbuit. Ex Gymnaſio in Academiam translatus, matrique iterum redditus, philoſophiæ ſedulam navavit operam, & impenſiori linguarum cum teneretur deſiderio, Philologiæ ſtudium de induſtria tractavit; dignus dein habitus, qui a. 1646. prima laurea & a. 1647. ſecunda, magiſterii nempe laurea, coronaretur. Abſoluta elegantiori & ad ſuperiorem facultatem neceſſaria Philoſophia, ad Jutiſprudentiam ſe convertit, utque in ea felicior progrederetur, hiſtoriam præcipue Romanam diligenter evolvit & virilis præterea eloquentiæ ſtudioſum ſolertem ſe præſtitit; vivos mortuoſque Juris Antiſtites frequens adiit atque conſuluit, omne jus ex fontibus haurire geſtiens. Sacerdotibus Themidos ſtudiorum rationem poſtea reddidit & ab iis dignus habebatur, qui Themidi felici jungeretur connubio. Ipſe autem Doctoris titulum tum accipere

accipere noluit, prius exteras regiones atque consuetudines contemplari desiderans. Igitur primum Genevam petiit, & biennio circiter ibi transacto in Italiam iter secundum promovit, visa Verona, Vincentia, Patavio, ubi aliquantisper substiterat, Ferrariam, Bononiam, Imolam, Laurentum, Romamque intravit, ubivis antiquitatis vestigia, mores, statuta explorans. Roma discedens Neapolim, amœnas Bajas, hinc Florentiam, Pisam, Lucam, Mediolanum invisit, dirisque alpium nivibus superatis per Helvetiæ urbes, Tigurum, Scaphusiumque ad suos pervenit; hic vero nequaquam otium secutus sed illico labores adiit & disputationem *de relictis ad pias causas* eleganter conscripsit, quam d. 3. Non. Oct. 1655. publice cum adplausu propugnavit. Fama ejus ad exteros perlata, accidit, ut a celsiss. Principe, Carolo Ludovico, Electore Palatino ad Professionem Juris in Academiam Heidelbergensem per Sebast. Ramspeck, Basiliensem, ibidem tum temporis Professorem, fuerit vocatus. Patriæ autem, cui post Deum omnia debebat, se suasque vires consecrare statuit & hanc vocationem recusavit; eodem autem adhuc anno 1655. 13. Cal. Dec. ex voto ei cessit cathedra Rhetorica, quæ ei eo fuerat gratior, quod ab ineunte adolescentia puriori linguæ latinæ sermone, masculæ eloquentiæ & optimorum oratorum lectione quamplurimum fuerit delectatus. An. 1656. d. 15. Apr. J. V. D. promotus & a. 1657. fœdere sacro sociatus fuit Margarethæ Seyler, Friderici filiæ, ex qua præter filiam Rosinam tres filios suscepit, Fridericum, Pastorem Albanum, omni scientia theologica instructissimum, Simonem, Cancellariæ addictum, & Joh. Jacobum, J. V. D. ejusdemque Professorem celeberrimum. A cathedra Rhetorica ad Professionem Ethices vocatus fuit d. 11. Sept. 1668. cui iterum magna fide præfuit, donec d. 11. Dec. 1677. ad professionem Institutionum Imperial. transferretur. Denique Professor Codicis constitutus fuit d. 15. Febr. 1678. quam tamen professionem ob absentiam D. D. Jacobi Burcardi, novi Professoris Institutionum, demum d. 13. Jun. 1681. auspicatus est. Huic autem brevissime vacavit, jam d. 18. Jul. 1681. apoplexia extinctus.

Edidit dissertationem de relictis ad pias causas, 1655. dissertat. de virtute, 1660. assertiones ethicas, 1665. dissertat. polit. de legatis & legationibus, eod. disput. de

de præmiis & congrua illorum distributione, 1666. disp. de liberalitate, 1667. Positiones aliquot controversas ex diversis utriusque juris civ. & can. articulis coactas, 1666. exercitationem de republica mixta, 1672. disp. de majestate, 1674. disp. de exercitio jurium Magistratus, eod. diss. de pacificationibus, eod. tractationem politicam armorum, iisque connexorum, eod.

XX. Joh. Jacobus Burcard, Lucæ filius, J. V. D. & Institutionum Professor designatus fuit Codicis Professor d. 16. Dec. 1681. hancque cathedram auspicatus est d. 22. Febr. 1682. ornavit eam usque ad d. 17. Sept. a. 1695. quo ei professio Pandectarum fuit demandata. V. Prof. Pand. n. 10.

XXI. Sebastianus Faesch, natus d. 8. Jul. 1647., patrem habuit Christophorum Fæsch, J. V. D. & Historiarum Professorem, matrem Chatharinam Güntzer. In Gymnasium nostrum missus pro ingenii alacritate pensum suum lepide adcuravit, & ex eo 12. Cal. Apr. 1661. emissus sui ordinis decurio orationem publice habuit *de vita M. Tullii Ciceronis*, non sine præsagio, eum aliquando Ciceronis felicem æmulum futurum. Jam Philosophorum scholis traditus græco latinoque sermoni, nec non eloquentiæ, ethicæ atque historiæ diligentissimam navavit operam, facundiæque suæ specimen edidit illustre, cum d. 15. Apr. 1662. orationem in laudem Jac. Burcardi, J. V. D. & Philosophiæ pract. Professoris, a J. Frid. Burcardo, J. V. D. Oratoriæ Professore compositam, pro rostris diceret; nec consuetum pensum absolvisse contentus, linguæ etiam hebraicæ ut notitiam acquireret, haud vulgarem adhibuit diligentiam. Laurea philosophica meritissimus fuit ornatus d. 13. Cal. Dec. a. 1662. carmine elegiaco *in laudem Poëseos* effuso. Realem postea philosophiam hausit ab ordinariis Professoribus, donec Magisterii axioma 4. Cal. Jul. 1664., oratione inaugurali, græco itidem carmine, *de literarum græcarum ad studium Juris necessitate* præmissa, cum adplausu fuit consecutus. Deinceps studium Juris feliciter est adgressus, haud secus habita philosophia atque philologia, quam ut & rem antiquariam atque numismaticam diligentissime porro excoluit. Postea excursum fecit in Galliam, atque primum Gratianopoli per 14. menses studium Juris prosecutus Lugdunum se recepit,

Digitized by Google

recepit, delectatus inprimis *Jacobi Sponii* humanitate, inſtitutione atque amicitia, apud quem diutius commoratus, donec Lutetiam Pariſiorum gradum promovit, inde ſalutatis viris eruditionis fama præſtantibus Caleto in Britanniam trajecit, aliquandiu Londini perſiſtens. Oxonium dehinc profectus, ubi opportune Theatri Scheldeniani dedicationi intereſſe datum fuit. Exinde Cantabrigiam quoque viſit, ſibique principum Literatorum amicitiam comparavit, ex quibus præcipue nominandus *Thomas Gale*, qui cum ſuperioribus annis Jamblychum philoſophum ex veteribus MS. emendaret, & obſervationibus illuſtraret, exemplo ex Bibliotheca Fæſchiana antiquo a Fæſchio noſtro multum fuit adjutus, cujus officii ipſe honorificam mentionem in præfatione fecit. Relicta Britannia Belgium peragravit & per Germaniam redux ſalvus in patria advenit, totus deinceps ſtudio Juris operaturus. Poſtea a. 1671. ſolita examina pro gradu in Jure ſupremo conſequendo cum laude ſuſtinuit, & inſignem de *Inſignibus* diſputationem defendit. Circa hæc tempora in familiarem pervenit amicitiam *Caroli Patini*, tum Baſileæ degentis, *Tobiæ Hollanderi*, Conſulis Schafhuſiani atque *Andr. Morelli*, antiquariorum celeberrimorum, quæ magnæ ei gloriæ fuit atque utilitati. Editis porro aliquot ſpeciminibus pro obtinenda cathedra juridica atque philoſophica, menſe Septembri a. 1678. Italiam perluſtrare cœpit, nempe inſpecta Vienna Auſtriæ per Stiriam, Carinthiam & Julii Forum, Venetias, dein Patavium contendit, ubi apud Patinum, Medicinam publico ſtipendio profitentem ad tempus hæſit, & *Academiæ Recuperatorum* unanimi collegarum ſuffragio adſcriptus, Reipublicæ Venetæ laudes in illuſtri omnium ordinum panegyri græco latinoque carmine, paulo poſt in lucem edito, diſerte & eleganter eſt proſecutus. Inde Romam perrexit, & ſumma cum voluptate magnificas monumentorum reliquias & rudera, illuſtrium virorum cimelia, & præſertim numiſmatum latinorum græcorumque copiam avidis oculis conſideravit, in quibus poſterioribus emicuit ſingularis raritatis nummulus æreus, *Pylæmenis Evergetæ* regis Paphlagoniæ, quem domum reverſus commentario, a. 1680. typis edito, illuſtravit. Florentiam regreſſus atque Patavium, Mediolanum pervenit, ubi inprimis illuſtris Comitis *Franc. Mediobarbæ byragi*

arctiorem amicitiam meruit, quem & Numiſmata Imperatorum auctiora edentem opera ſua multum adjuvit, quemadmodum id ſingulis fere operis ſui paginis illuſtris Auctor commemorat. Tandem patriæ redditus d. 15. Nov. a. 1681. inſignibus doctoralibus jam dudum promeritis fuit condecoratus. Porro ejuſdem anni 1681. d. 16. Dec. Inſtitutionum, & d. 17. Sept. 1695. Codicis profeſſio ei fuit delata, cui maxima cum laude & diligentia non ſecus atque Syndicatus Reipublicæ muneri, quod ampliſſ. Magiſtratus a. 1686. ei obtulit, vacavit, donec d. 19. Maji a. 1706. ad munus Archigrammatei fuit vocatus, quo ad finem uſque vitæ perfungebatur. In omni autem vita monſtravit abunde, ſe non ſolum doctum eſſe Juriſconſultum, æquitatis & juſtitiæ amatorem tenaciſſimum, ſed etiam pium probumque chriſtianum, ſobrietati, caſtitati atque temperantiæ ſimul maxime deditum. Nephriticis interim atque calculi veſicæ doloribus tantopere fuit excruciatus, ut tandem illis ſuccumbere neceſſe habuerit d. 27. Maj. a. 1712.

Edidit præter commemorata etiam *orationem fun. in obitum Jac. Brandmulleri JC.* a. 1678. it. *manipulum quæſtionum Juris illuſtrium*, 1681. *Nummos græcos Imperatorum Rom.* 1697. ab ipſo excuſos refert Leu in Lexico, quos videre hactenus nobis non fuit datum.

XXII. BONIFACIUS FAESCH, patre genitus Joh. Ludovico, ſenatore, matre Sara Burcard, d. 25. Aug. 1651. a prima infantia bonarum literarum cultor fuit ſtrenuiſſimus, virtutiſque primum brabeum publicum, Lauream philoſophicam, a. 1666. ſecundum, Magiſtri artium titulum, a. 1668. accepit. Hoc omnium diſciplinarum communi fundamento rite poſito, Juriſprudentiæ, ſtudio familiæ ſuæ hæreditario, operam dedit diligentem, & ſupremum Doctoris gradum adeptus eſt d. 14. Sept. 1675. Itinere longiori per Italiam, Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam atque Hungariam feliciter atque cum fructu confecto, in patria gradatim ad honores aſcendit promeritos, & Academiæ commodis plurimum inſerviit. Prima, quæ ei offerebatur, occaſio ſtudioſæ juventutis utilitati parendi, erat vicariatus Logicus, qui ei loco Sam. Burcardi ſupra 20. annos Logicæ Profeſſoris emeriti a Senatu acad. d. 21. Jul. 1685. fuit

fuit oblatus. Hanc vicariam autem operam mox cum ordinaria Profeſſione Rhetorica permutavit, quæ ei deferebatur d. 5. Jan. 1686. Hinc d. 5. Jul. 1689. translatus fuit ad Ethicam; ſed nec hic ſubſtitit, ad altiora nempe vocatus fuit a proceribus academicis, qui in inferioribus fidus fuit deprehenſus, d. 17. Sept. 1695. Inſtitutionum & d. 20. Sept. 1706. Codicis Profeſſor conſtitutus, cum adjuncto novo titulo atque officio, Profeſſoris ſcilicet Juris feudalis. Denique a. 1706. Reipublicæ Syndicus fuit denominatus, cui vero muneri haud diu vacavit, cum jam d. 23. Dec. 1713. humanis fuit ereptus; relicta, cum filia, nupta J. Henr. Ryhinero, vidua Catharina Burcard.

Plures edidit diſſertationes jurid.

XXIII. Joh. Jacobus Battier in lucem hanc editus d. 6. Febr. a. 1664. patrem veneratus eſt Simonem Battier, J. V. D. ejuſdemque Prof., matrem vero Margaretham Seyler. Ex pulvere ſcholaſtico in Academiæ ſolem perductus humanioribus literis ſedulus invigilavit, & adepta utraque laurea philoſophica, una a. 1679. altera a. 1680., patris voluntate ſtudium Juris arripuit, in quo ipſo parente duce, eoque demortuo, Nicol. Paſſavantio, præceptore uſus, accedente propria diligentia ingeniique felicitate tantos profectus fecit, ut anno 1685. examen pro gradu cum laude ſuſtinuerit, etiamque a. 1689. diſſertationem inauguralem *de ſuffragiis & eorum jure* fortiter defenderit. Eruditionem autem, quam in diſciplinis philoſophicis acquiſiverat inſignem, variis occaſionibus publice oſtendit, ut d. 25. Apr. 1687. ſpecimine philolog. pro vacante cathedra linguæ Græcæ, d. 7. Jul. 1693. diſp. *de diſpenſatione & illius jure*, d. 11. Aug. 1693. manipulo thetium pro prof. Rhetorica. A. 1695. d. 17. Nov. *de obſidibus & eorum jure*; d. 12. Maj. 1697. *de induciis bellicis*, d. 15. Aug. 1699. *de oſtraciſmo*, & ſic porro. Etiam diligentiæ mature tulit ampla præmia. Anno enim 1689. vicariatum profeſſionis Logicæ; anno 1690. d. 14. Jan. gradum Doctoris utriuſque Juris, & a. 1693. profeſſ. Rhetoricæ obtinuit. Antea autem, indulgente Senatu acad. d. 23. Mart. 1691., iter literarium per Germaniam, Belgium & Angliam inſtituit, vices Logicas interea obeunte fratre Frid. Battierio, tum Communi Diacono, poſtea Paſtore Albano eruditiſſimo;

ex itinere d. 28. Oct. ejuſdem anni redux priſtina negotia ſummo ſtudio proſecutus fuit. A. 1695. ſpecimen edidit pro profeſſione Juridica. A. 1696. d. 22. Sept. profeſſio Oratoria ei fuit commiſſa; d. 20. Sept. 1706. conſtitutus fuit Profeſſor Inſtitutionum & Juris publici; denique d. 27. Febr. 1714. ad profeſſionem Codicis & Juris feudalis tranſiit. Jam a. 1695. ab ampliſſ. Magiſtratu Reipublicæ Syndicus & a. 1712. a Proceribus acad. primus Vniverſitatis *Actuarius* fuit deſignatus. Alia, quæ geſſit, munera præterimus. Quod maxime ipſi laudi ducitur, hoc eſt, quod ſingulis muneribus ſingulari fide, diligentia atque prudentia fuerit perfunctus. D. 8. Jul. 1695. ſibi junxit uxorem Veronicam Iſelin, 6. liberorum matrem factam; ex tribus filiis unus a. 1705. alius J. V. C. a. 1719. in Anglia fuit defunctus. Obiit vir egregius maximo ſuorum, academiæ atque Reipublicæ damno d. 14. Sept. 1720. ex Lithotomia, quinta poſt operationem die.

Præter ſupra commemorata edidit *Orationes duas* a. 1702. quarum una ſecularis agit *de Fœdere a Baſilienſibus cum Helvetica gente a.* 1501. *feliciter contracto*; altera panegyrica, *qua Helvetiis pro præſidio Baſileenſibus a.* 1702. *ſubmiſſo gratia aguntur.* Orationem item, qua *Jac. Bernoullio*, Math. Prof. parentavit a. 1705. d. 23. Nov. Scripſit & in juventute commentarium in *Homerum* nec non in *Grotium*, quorum vero neutrum aliis impeditus negotiis publici juris fecit.

XXIV. JOHANNES TONIOLA, J. V. D. cathedram Codicis adiit d. 30. Apr. 1721. electus d. 17. Dec. 1720. ab ea abiit a. 1731. ad Pandectas translatus. V. Prof. Pand. n. 12.

XXV. NICOLAUS BERNOULLI, probitate præcipue atque eruditione clariſſimus, natus eſt d. 10. Oct. a. 1687. parentibus Nicolao Bernoullio, ſenatore, & Vrſula Stæhelin. Liberalibus diſciplinis innutriendus primo Ludimagiſtris publicis committebatur; horum vero ferulæ ſubductus & Academiæ civibus a. 1700. adſcriptus Philoſophorum lectiones publicas atque privatas frequens atque adtentus audivit, eo cum ſucceſſu, ut a. 1702. primam lauream & a. 1704. magiſterii gradum meritiſſimus obtinuerit. Præter indolem bonam acri atque felici utebatur ingenio, & juvenis adhuc mathematicis

Digitized by Google

ticis inprimis delectabatur ſcientiis, & eruditionis publicum edidit ſpecimen, cum pro obtinenda magiſtrali dignitate ſub præſidio patrui ſui, *Jacobi Bernoullii*, Matheſ. Prof. diſputationem *de ſeriebus infinitis earumque uſu* fortiter propugnavit. Ita præclare jactis doctrinarum fundamentis, juriſprudentiæ totum ſe dedit, nec fores tantum ejus ingreſſus, ſed ad ipſa penetralia contendit. Non tamen ſepoſuit, quod ei adeo in deliciis erat, Matheſeos ſtudium, ſed mens ejus generoſa nobiliſſimam hanc Philoſophiæ partem ſedulo perluſtravit. Menſe Martio a. 1705. miſſus eſt a parentibus Groningam ad alterum patruum, *Johannem Bernoullium*, Mathemata ibi docentem, cum quo eodem adhuc anno menſe Septembri Baſileam rediit, ad Profeſſionem Matheſeos in patria obeundam illo vocato. Aliud dein a. 1710. iter inſtituit per Helvetiam in Galliam, & ſalutata Berna atque Geneva Lugdunum & dehinc Lutetiam Pariſiorum eſt profectus; hic Eruditis primi ordinis, *Abbati Bignon*, *R. Patri Malebranche*, domino *Fontenelle*, *Reaumur*, *Caſſini*, *Varignon*, *Montmort* aliiſque non de facie tantum innotuit, ſed interioris admiſſionis felicitate ab ipſis fuit dignatus. Patrios lares dein petiit, ſed iis haud diu adhæſit; mox enim a. 1712. in Belgium atque Angliam contendit, ibique *Neutonum*, *Halley*, *Burnetum* & *de Moivre*, ſummos viros, ſibi conciliavit amiciores, ſibique habuit benevolentiſſimos. Sub finem hujus anni relicta Anglia, per Hollandiam atque Brabantiam Lutetiam Pariſiorum reviſit, & hoſpitio uſus domini *de Montmort*, menſe Maii a. 1713. ſalvus domum fuit reverſus. Eodem adhuc anno a *Societatibus ſcientiarum Anglicana atque Boruſſica*, & a. 1724. ab *Academia Bononienſi* ſocius fuit adlectus. Jam a. 1709. d. 14. Jun. pro Licentia edidit eruditam diſſertationem *de uſu artis conjectandi in Jure*, iterumque a. 1714. d. 22. Febr. theſes jurid. vacua ſede jurid. A. 1716. magnus *Leibnitius*, quem Noſter ſuis ſtudiis ceperat, inſigni illi Eruditorum patrono, *Cardinali Quirini* de meliori ipſum commendavit, quem & eminentiſſimus Præſul ſibi commendatum habuit, eundemque per nobiles aliquot Venetos academiæ Paduanæ proceribus prædicavit tanquam digniſſimum *Hermanni*, Francofurtum ad Oderam vocati, in cathedra mathematica ſucceſſorem, idque eo effectu, ut concordibus ſuffragiis

Matheſeos Profeſſor fuerit deſignatus. Hoc nuncio accepto, ſtatim eo iter inſtituit, per Mediolanum atque Veronam Venetiis adveniens patronos ſuos, *Maffei*, *Poleni*, *Michelotti* & *Valiſnieri*, ſalutavit, tandemque Paduam attigit, ubi d. 22. Dec. 1716. munus ſibi commiſſum auſpicatus eſt. Sequenti anno, accepto nuncio de patris morte, cum ſuperiorum permiſſu, Baſileam petiit, tumque d. 25. Maj. a. 1717. ἀξιώματα J. V. D. accepit, Paduam menſe Octobri reverſus. Hinc a. 1719. abiit, ægerrime dimiſſus, & Baſileæ binis vicibus, a. 1720. pro Codicis & a. 1722. pro Inſtitutionum cathedra obtinenda, erudita ſpecimina edidit, ſed ambabus vicibus ſortem renuentem habuit; eodem tamen anno, ſorte favente, d. 8. Apr. 1722. profeſſio Logica & d. 28. Maj. 1731. Profeſſio Codicis & Juris feudalis ei obtigit. Poſtea etiam Canonicus Petrinus & eccleſiæ gallicæ Presbyter, Ordinis jurid. Decanus ſæpius & Academiæ Rector quintum fuit deſignatus, ſingulis his aliiſque muneribus perfecta fide atque induſtria, Academiæ emolumento ſuique nominis ornamento inſigni perfunctus. Sociam conjugalem ſibi legit atque adjunxit d. 3. Jun. a. 1720. *Annam Mariam Birr*, quæ filium, humanis rebus ſtatim ereptum, & filiam *Vrſulam* ſuperſtitem, *Emanueli Falknero*, ſenatori, nuptam ipſi peperit. Hacque uxore defuncta a. 1747. alteram duxit *Catharinam Battier*. Catarrhus tandem apoplecticus ejus glorioſæ vitæ finem impoſuit ipſumque in meliorem tranſtulit d. 29. Nov. a. 1759.

Scripta ejus edita ſunt: Diſſ. *de uſu artis conjectandi in Jure*, Baſ. 1709. *Addition au memoire de Mr. Jean Bernoulli touchant la maniére de trouver les forces centrales dans les milieux reſiſtans &c.* Mem. de l'Acad. Roy. de Paris 1711. p. 53. *Solution du problème inſeré dans le Journal des Sçavans* a. 1711. p. 186. *touchant la lotterie de Lorraine*, Journ. des Sçav. 1711. n. 28. p. 444. *Receuil des lettres a Mr. de Monmort inſerées dans le traité de M. de Monmort* tit. *Eſſay d'analyſe ſur les jeux de hazard.* Sec. Edit. Par. 1713. *Theſes jurid. miſc.* Baſ. 1714. *Solutio generalis problematis* 15. *propoſiti a D. de Moivre in tractatu de Menſura Sortis, inſerto Act. Philoſ. Anglic. n.* 329. *pro numero quocunque colliſorum.* Tranſact. Philoſ. n. 341. *Annotationi ſopra lo Scbediaſma del S. Conte Jacopo Ricato, publicato nel* T. 19. *de Giorn. de Lett. d'Italia*, *art.* 7. *coll' armeſſa Solutione propria del problema inverſo delle forze centrali*

trali agenti in Mezzo non reſiſtente dedotta da'principi medeſimi del S. Newton. Giorn. dé Letter. T. 20. Art. 13. *Riſpoſta all' Art.* 8. *T.* 21. *del Giorn. dé Letter. ib. T.* 24. *Art.* 4. *Oſſervazione intorno il teorema propoſto dal S. Conte Giulio Carlo de Fagnani nel Art.* 11. *del T.* 27. *nel Giorn. dé Lett. ib. T.* 29. *Art.* 5. *Dimoſtratione analitica di un teorema, in qualſerve per la ſolutione del problema propoſto del T.* 20. *Art.* 13. *del Giorn. dé Lett. d'Ital.* ib. T. 29. Art. 6. *Calculus pro invenienda linea curva, quam deſcribit projectile in medio reſiſtente, inſertus reſponſioni Job. Bernoullii ad nonneminis provocationem.* Act. Lipſ. 1719. M. Maii p. 224. *Tentamen ſolutionis generalis problematis de conſtruenda curva, qua alias ordinatim poſitione datas ad angulos rectos ſecat.* Ib. 1719. m. Jun. p. 295. *Analyſi del problema propoſto nel T.* 20. *Art.* 13. *del Giorn. dé Lett. d'Ital. d. Giorn. T.* 33. *Art.* 4. *Theſes jurid. controverſæ,* Baſ. 1720. *Modus inveniendi æquationem differentialem completam ex data æquatione differentiali incompleta, inſerviens determinationi trajectariarum orthogonalium inſertas* Sect. 2. *Exercitationis Geometricæ de trajectoriis orthogonalibus. Nic. Bernoulli Job. fil. Act. Lipſ. ſuppl.* T. 7. S. 7. p. 311. *Reſponſio ad* Art. 7. T. 31. *Diar. Erud. Italiæ.* Act. Lipſ. 1720. m. Jul. p. 304. *Demonſtrationes theorematum patrui ſui in Act. Lipſ.* 1719. p 269. *editorum* ib. 1720. m. Oct. p. 471. *Theſes Logicæ de methodo analytica & ſynthetica,* Baſ. 1722. *Theſes jurid. miſc.* ib. eod. *Reſponſio ad ea, qua Julius Carolus de Fagnanis edidit in* Art. 6. T. 1. *Suppl. Diar. Erud. Ital. ut & in Sect.* 2. T. 8. *ſuppl. Act. Lipſ.* p. 75. *continens præter alia novum theorema pro integratione æquationum differentialium ſecundi gradus, qua nullam conſtantem differentialem ſupponunt.* Act. Lipſ. Suppl. T. 9. S. 3. p. 98. *Theſes jurid. miſc.* Baſ. 1731. item ad ejus opera pertinet *regula generalis inveniendi diviſores rationales compoſitos quantitatis algebraicæ &c.* inſerta Commercio epiſt. Leibnit. Bernoull. Lauſan. 1745. 4. T. 2. p. 189—209. *Epiſtola ad Leibnitium,* ib. p. 393—395. Edidit præterea patrui, *Jac. Bernoullii, artem conjectandi,* opus poſthumum, cui *præfationem* præmiſit, Baſ. 1713. 4.

XXVI. JOH. HENRICUS FALCKNER ortus eſt ex familia patricia jam ſupra quinque ſecula in civitate noſtra florente, natuſque d. 6. Sept. 1729. parentibus Daniele Falkner, Emanuelis, Conſulis, filio, & Maria Veronica Gernler. Puerum cupiditate literarum raptum ab iis neutiquam deflectere, quin genio permiſſum ad eas ſtimulare atque pro viribus adjuvare ſtuduerunt parentes

nobiliſſimi. Privatis itaque atque publicis magiſtris erudiendum commiſerunt puerum diſcendi cupidiſſimum, quorum inſtitutione ita profecit, ut, exactis tyrocinii diebus, a. 1742. coram Profeſſoribus Philoſophiæ ſiſti, eorumque diſciplinæ tradi potuerit. Horum præcepta avide excepit & in omnibus philoſophiæ partibus, literis præſertim elegantioribus, ita ſe exercuit, ut ſuperatis cum laude examinibus philoſophicis a. 1744. primam, & a. 1746. ſecundam Lauream, ſ. Magiſtri Artium honores, publice atque ſuo merito retulerit. Muſis cum ita litaſſet, Aſtrææ, alteri Jovis atque Themidos filiæ, ſacra facere cœpit, ducem inprimis ſecutus anteceſſorem juris, J. Rod. Thurneiſen, Reip. Syndicum. Non vero ſtudium philoſophiæ ſepoſuit, ſed illud cum ſtudio juris ſororio nexu conjunctum diligenter excoluit. Hujus nonnulla publice dedit argumenta. Primum pugil prodiit in publicum d. 2. Maj. a. 1747. exercitationem hiſtorico politicam de *Helveticorum legatorum ſingulari ſpecie*, qui vulgo *Repræſentantes* vocantur, occaſione vacantis cathedræ hiſtoricæ, propugnans. Dein exteras nationes viſurus, & præſertim inſtitutione celeberrimi viri, *Andreæ Weiſſii*, Baſil. J. V. D. tumque in Academia Lugduno Batava Juris publici Profeſſoris, uſurus, in Belgium conceſſit, cum eo, benigne exceptus, familiariter vixit, & ex ejus ſermonibus multum eruditionis percepit. Inde vero vacuefactam Philoſophiæ mor. & J. N. & G. cathedram ambiturus, in patriam feſtinavit & inter Candidatos nomen inſcripſit. D. 13. Maj. a. 1749. ſuam de nonnullis hujus diſciplinæ capitibus ſententiam ſcripto publico propoſuit atque defendit. Ita etiam placuit Academiæ proceribus, qui ut in veteranis ornandis nihil prætermittere, ita in fervidi atque felicis ingenii igniculis magis magiſque excitandis nihil ſolent omittere; reputantes, felicioribus ingeniis nihil magis obeſſe, quam ſi omnes ſuos conatus ad virtutis normam exactos & ſupra communem aliorum ſortem ſe evehere adnitentes ſpretos aut neglectos ſentiant, ut urnæ eum iniicerent, ex qua feliciore ſorte exiit eadem, qua diſputavit, die, nactamque ſpartam ingreſſus eſt d. 4. Jul. 1749. prælectione, qua *naturam humanam certiſſimam cynoſuram Juris nat. eſſe* demonſtravit. Hoc munere cum diligentiſſime fungeretur, honoribus doctoralibus d. 18. Maj. a. 1753. fuit condecoratus, habita

bita prius d. 20. Mart. 1753. publica diſputatione, qua varias obſervationes juridicas ventilandas propoſuit. Poſtea d. 20. Sept. 1757. iterum obſervationes jurid. edidit obtinendæ cathedræ jurid. cauſa, ſed ſors iniqua eum fuit fruſtrata. Magis favente vero ſorte paulo ante fuerat uſus Reipublicæ Syndicus, nec non paulo poſt, die nempe 29. Apr. 1760. Codicis & Juris feudalis Profeſſor conſtitutus, præmiſſa iterum d. 22. Apr. 1760. diſſertatione, qua nonnullas obſervationes jurid. publici juris fecit; novam hanc provinciam adiit d. 13. Jun. 1760. prælectione inaugurali, qua *methodum in jure docendo a temporibus Juſtiniani Imp. ad hæc uſque tempora obſervatam* expoſuit. Legatione functus eſt nomine Academiæ ad ejuſdem Cancellarium, Epiſcopum Baſil. omni fide, dexteritate atque gravitate anno 1772. Munera academica hactenus geſſit varia, Rectoratum Acad. Decanatum Petrinum atque ordinis jurid. aliquoties, ſemperque ſingulari prudentia atque haud exiguo academiæ emolumento.

PROFESSORES INSTITUTIONUM.

I. JOHANNES SPHYRACTES, germanice *zeuch den hammer*, ſ. *Geichtenhammer*, natus fuit a. 1508. Operam ſuam dicavit primo ſcholæ Petrinæ, cui moderator præfuit a. 1529. & 1530. Poſtea in Galliam abiit, jurisprudentiæ ſtudio ductus; ei diligenter invigilavit, & J. V. L. titulum obtinuit. Juris docendi provinciam nactus eſt Baſileæ a. 1537., quo anno in collegium Jureconſultorum receptus fuit ſub nomine Profeſſoris Iſagoges Juſtinian. & in matricula Rectoris, cui eodem anno nomen dedit, vocatur ordinarius Inſtitutionum Profeſſor. Vir refertur ingenio felici, eruditione multa, Græce Latineque doctus, firmaque memoria. Legitur etiam fuiſſe Canonicus atque Præpoſitus Petrinus. Rectoratum geſſit a. 1545. & 1558. Altera vice Rector Codicis adpellatur Profeſſor. Eo ſecundum Rectore Davidis Georgii Belgæ peſtifera ſecta, quæ diu intra ejus privatos parietes delituerat, magna ſapientiſſimi Senatus diligentia in lucem protracta eſt, atque omnium ordinum ſententiis condemnata; qua in re Sphyractes, tanquam vir pius & facundus, ſedulam operam navavit.

Digitized by Google

Ipſe etiam Rector hujus rei hiſtoriam concinnavit, quæ Baſileæ a. 1559. hoc titulo impreſſa eſt: *Davidis Georgii Holandi hæreſiarchæ Vita & Doctrina. Quandiu Baſileæ fuit: tum quid poſt ejus mortem, cum cadauere, libris, ac reliqua ejus familia actum ſit. Per Rectorem & Academiam Baſilien. in gratiam Ampliſſimi Senatus ejus urbis conſcripta.* In ſtatione autem Profeſſoris ſolide & dextre docendo Sphyractes ſubſtitit tantum uſque ad a. 1548. quo rude fuit donatus. Ob. a. 1578.

II. BERNHARDUS BRAND, J. V. L. Inſtitutionum Prof. P. Senator, Signifer, Præfectus, Tribunus Plebis, vir verſatilis ingenii atque fortunæ, in quem tritum illud quadrare videtur:

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul;
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.

ex caſtris muſarum in caſtra Martis tranſiit, ex Profeſſore factus miles, ex milite ſenator, ex ſenatore tribunus plebis, ex hoc ſatrapa, inde ad priſtinam dignitatem tribunitiam bono publico revocatus. Sed rem ordine exponemus. Natus eſt ex familia minoris Baſileæ antiquiſſima atque nobiliſſima, patre Theodoro Brand, quinquies Tribuno plebis, ſepties Conſule, matre Chriſtina Kœſin; annus natalis ei fuerat 1523. Adultior factus, dum optima ejus & in quidvis flexilis indoles deprehenderetur, literarum ſtudiis, quibus pater impenſe favebat, ut qui Academiam tempore Reformationis fere collapſam & aliquot annis quaſi ſepultam reſtauravit, eique priſtinum nitorem, privilegia, beneficia auctoritate ſua reſtituit, dicatus eſt, in iiſque pro mira ingenii alacritate & felicitate eos fecit progreſſus, ut eximiam ſibi domi foriſque inprimis in Gallia, quam trina vice pro varia ſibi oblata occaſione adiit, rerum quarumvis præſtantiſſimarum, præſertim Juriſprudentiæ cognitionem, juxtaque Licentiæ gradum acquiſiverit, quo ornatus a. 1548. Inſtitutionum Juris Profeſſor renunciatus eſt, cui tamen muneri non niſi per quadriennium ſed fide optima præfuit. Cum enim illa ætate grave bellum inter Carolum V. & Henricum II. arderet, Helvetiique vi fœderis huic ſex millia peditum concederent, ad quorum ſupplementum Baſilienſes quoque militem legebant, ſive gloriæ, ſive paterni exempli œſtro percitus Brandius militiæ

litiæ nomen dedit, ægre ferente patre atque ſocero, qui malebant eum ab arte quam a Marte inclareſcere. Exuta itaque toga profeſſoria militarem induit, vexillum arripit, itinera, labores, pericula ſubit intrepidus. Sed horum tandem pertæſus a ſagis redit ad togam a. 1560., quo ipſo anno Reip. patriæ ſenator, & poſt decennium Tribunus plebis dictus eſt. Triennio poſt dimiſſionem a dignitate tribunitia & collationem præfecturæ Varnsburgenſis petiit & obtinuit, quaſi in Tuſculano aliquo ſtudiis priſtinis vacaturus. Sed bono publico temporumque difficultatibus ita poſtulantibus a S. P. Q. B. ad clavum Reip. & priſtinum tribunitium munus revocatus, eo dextre iterum fuit perfunctus. Jam a. 1562. Brandius noſter cum aliis Legatis Friburgum Briſgoiæ ad Ferdinandum Imperatorem fuit miſſus, eum in urbem noſtram ſubmiſſe invitaturus, quem & d. 8. Jan. 1563. cum VI. ſenatoribus ſub civitatis noſtræ porta excepit. Idem quoque eodem anno cum Henrico Falknero, Archigrammateo, ad Cæſ. Majeſt. ablegatus fuit, a quo confirmationem privilegiorum ſplendida aurea bulla obtinuit, quæ quotannis in tempe petrina die, qua novus Magiſtratus renunciari ſolet, publice fuit prælecta, donec Helvetii plenam ab Imperio exemtionem ſunt adepti, ſimulque Brandius in numerum Equitum Nobilium Imperii R. cooptatus fuit. Ut erat quietis & rei ruſticæ amantiſſimus, emit, quo curis fatigato ſecedere liceret, caſtrum in agro Baſil., cui nomen Wildenſtein, quod in meliorem cultum revocavit. Conjugem amplexus eſt Rachelem Hervagiam, typographi Johannis filiam, ex qua ſuſtulit Theodorum, ſenatoria dignitate & triplici ſatrapia cum laude defunctum; alteram Margaretham Wagner, quæ ei peperit Annam, Jacobo Henricpetri J. C., Juditham Jacobo Zuingero Medico, Saram primum Wernero Eglingero, J. V. L. præfecto Marchico, dein Nicolao Rippelio Conſ. Mariam Wolfgango Meyero Theologo nuptas, ut & filium unicum Bernhardum, Tribunum plebis. Denique Profeſſor noſter Tribunus plebis peſtilente ſopore occubuit d. 13. Jul. 1594.

Scripſit ſermone vernaculo *Epitomen hiſtoriæ a condito mundo ad a.* 1553. c. f.

III.

Digitized by Google

III. MARCUS HOPPERUS, vir quondam Academiæ noſtræ utiliſſimus, nomen dedit matriculæ philoſ. a. 1533. & ab eadem Facultate a. 1538. primam Lauream, & a. 1541. Magiſtri artium honores accepit, quo eodem anno in Collegium Philoſophorum receptus legitur, cujus membrum manſit, donec titulo J. V. D. fuit condecoratus. Academia eum mature uſibus ſuis adhibuit. Etenim primum Græcas literas eſt profeſſus ex Homero a. 1544. Cum iiſdem etiam Logica ex Cæſario docenda ei fuit commiſſa a. 1545., quam utramque Profeſſionem retinuit uſque ad a. 1549. quo in cathedram Phyſicam fuit promotus; in quibus cunctis muneribus dextre & utiliter pro ſingulari philoſophica & philologica eruditione, inprimis Græca, qua excelluiſſe dicitur, eſt verſatus, donec ineunte a. 1557. Inſtitutionum Profeſſionem obtinuit, quam ſolita fide, Academiæ ornamento & Juriſprudentiæ alumnorum emolumento adminiſtravit. Doctoris Juris gradum demum accepit a. 1563. Etiam apud Theologos immatriculatus reperitur d. 22. Jul. 1546. adeo in omni ſcibili videtur verſatus fuiſſe. Uxorem duxit Mariam Petri, Henrici typographi & ſenatoris filiam. Obiit tandem Academiæ Rector d. 21. Jul. 1564. ex peſte. Exigua fuiſſe ſtatura videtur, quod in matricula acad. ut & in programmate Magiſterii, nomen ejus in diminutivo, *Hœpperle*, occurrat. Ceterum ſapientia, doctrina, humanitate ſingulari excellens:

Vir ſine fraude bonus, vir ſine labe pius.

Æneæ Sylvii, ſ. *Pii* II. opuſcula varia conquiſivit, quæ in unum volumen congeſta cum præfatione Hopperi exhibuit Henr. Petri in fol. Baſ. 1571. itemque *Luciani* Opera edidit Gr. & Lat. 4. Vol. in 8. 1563. *L. Apuleji*, Platonici, opera, quæ exſtant, omnia, cum Phil. Beroaldi & God. Stewechii annot. 3. Vol. 8. Baſ. 1560. & ib. 1597. Lugd. 1604. T. 2. 8. *D. Andreæ* presbyteri concionem de *ſalutatione angelica* e græco ſermone in latinum tranſtulit, excuſam Baſil. ap. Henr. Petri, cum aliis quibuſdam orthodoxis ſcriptoribus, a. 1550. tranſtulit etiam 15. librum *Euſebii de præparatione evangelica*, excuſum cum Euſebii operibus apud eund. 1579. fol. ſcripſit præterea *præfationes* in Damaſcenum, Euſebium, & Strabonem; fuit etiam ex concinnatoribus Dictionarii græco latini, quod prodiit Baſil. 1563. 1572. 1584. fol.

IV.

IV. ADAMUS HENRICPETRI J. V. D. Inſtitutionum Profeſſor fuit conſtitutus d. 20. Jan. 1565. eamque ſpartam adminiſtravit diligenter, donec ei a. 1571. profeſſio Codicis fuit demandata. V. Prof. Codicis, n. 8.

V. SAMUEL GRYNÆUS, J. V. D. profeſſionem Inſtitutionum, a cathedra Oratoria vocatus, obtinuit a. 1571. & in ea permanſit obeunda, dum ei novum penſum tribueretur, Codicis Profeſſor deſignatus d. 16. Oct. a. 1584. V. Prof. Pand. n. 4.

VI. HIPPOLYTUS a COLLIBUS natus Tiguri d. 20. Febr. a. 1561. patrem habuit Paulum Colle, ſ. Colli, ex antiqua atque nobili Italiæ familia, rebus in toga ſagoque egregie geſtis clara oriundum. Domicilium pater habuit Alexandriæ ditionis Mediolanenſis & purior, Evangelii luce illuſtratus aliquamdiu domeſticam eccleſiam non ſine ſummo periculo egit. A ſervulo deinde monitus, ut tandem in locum tutum concederet, ipſe verbum hoc quaſi ab aſina Bileami profectum accepit, ſtatimque opibus divenditis primum in Rhætiam, dein Tigurum cum familia ſe contulit. Ut primum Hippolytus ex pueris exceſſit, indolem prodidit præclaram & ingenium diſciplinarum capax. Parentes itaque in pædagogio Neuhuſiano Electoralis Palatinatus pietatis atque optimarum artium primitiis ipſum imbuendum curarunt. Uſus eſt ibi cum aliis præceptore *Frid. Sylburgio*, cui cum videretur ingenio eſſe liberiore, &, quæ eſt juventutis incuria, negligentiore: auctor ei fuit, ut ſtudiis relictis ad alia animum adpelleret. Sed longe aberravit ille ſuo judicio; unde Hippolytus poſtea ipſi dixit: *Ecce, ſi tuo obtemperaſſem conſilio, jam non eſſem, qui ſum.* Italiam deinde, antiquam proſapiæ ſuæ patriam, petiit, ubi totum ſe ſtudio Juris mancipavit, eo cum ſucceſſu, ut Baſileæ a. 1583. non ſine ſummo encomio & adplauſu J. V. D. crearetur, & d. 26. Oct. a. 1584. Inſtitutionum Profeſſor rite conſtitueretur, in qua provincia adminiſtranda ſumma cum laude per bieni nium ea nominis fama eſt verſatus, ut ab inclyta Academia Heidelbergenſi juris docendi cauſa vocaretur, ubi ſummum Academiæ magiſtratum a. 1588. cum laude geſſit. Hinc vero cum ob privatas cum Julio Pacio controverſias jam alio cogitaret, a Baſilienſibus revocatus Archigrammatei

tei muneri præficitur, quod præclare gessit, sed iterum brevi tantum tempore. Vocatus enim mox ad Christianum, Anhaltinum principem, cancellarii munus sustinuit, & cum a. 1591. princeps ille equitatum & peditatum in Galliam suppetias Henrico IV. Galliæ & Navarræ regi laturus, duceret, cum eodem abiit, & a consiliis ei fuit militaribus. Paulo post in Angliam ad Elisabetham reginam, atque porro ad ordines Imperii præcipuos fuit ablegatus. Cum singulari etiam in legatione ad Fridericum IV. Electorem Palatinum ire jussus esset, statim Elector cum eo agendum curavit de opera sibi addicenda; in quod cum consensisset, præses curiæ dicasteriive & consiliarius est declaratus. Hoc officio annos 19. ita functus est, ut pietatis, prudentiæ, justitiæ, eloquentiæ & virtutum aliarum, quæ in consiliario fideli requiruntur, laude concesserit nemini. Inprimis autem commendatæ in eo fuerunt duæ virtutes, taciturnitas prudens & αφιλαργυρια, sive pertinax contemtus munerum, quæ etiam sapientum oculos occœcant. Adlectus deinde in consilium principis arcanum a. 1597. & a. 1603. Heidelbergensi diœcesi præfectus, commodis eorum, quos fidei suæ creditos norat, sollicite consuluit. Variis postea gravioribus legationibus iterum fuit adhibitus; in Poloniam; a. 1600. in Belgium pacis causa inter regem Hispaniarum & ordines Belgii confœderatos; Hagæ Comitum anno fere integro commoratus; in Galliam propter controversiam de agro Juliacensi, a. 1610. cum duce Wurtembergico in Angliam propter unionem sacram ad Jacobum regem, ubi inter Bonnam & Coloniam hispanorum militum crudelitatem non sine præsentissimo vitæ discrimine effugit; a. 1611. in Bohemiam, Pragæ iterum extremo periculo expositus; Passavienſibus enim militibus hanc urbem ex improviso occupantibus, tres hebdomadas inter sacrum & saxum hæsit. Iterum tamen legatus eo profectus a Rodolpho Cæsare optata impetravit. Denique febre ardente d. 2. Febr. a. 1612. fuit exstinctus. De parentum suorum exilio & damno sæpe solitus erat dicere: *Alii conqueruntur, se religionis causa omnia perdidisse: ego vero nunquam eo dignitatis pervenissem, nisi mea reliquissem.* In morbo supremo, cum medici de venæ sectione consultarent, & quidam suaderent, quidam dissuaderent, & contra regulas Galeni & medicinæ id esse dicerent:

Ipse

Ipſe *dum vos*, inquit, *deliberatis, ego ſecundum regulas Galeni & medicinæ moriar.* In conjugio vixit unico annos 19. in quo pater factus eſt 5. liberorum, quorum tres præmiſit, filium & filiam ſuperſtites reliquit.

Scripta ejus edita ſunt: *de contractu depoſiti.* Baſil. 1587. 4. *de Regulis Juris*, Baſ. 1590. 8. *Princeps, Conſiliarius, Palatinus*, & *Nobilis*, Hanov. 1595. 1615. 8. & cum notis Naurathi, Francof. 1670. 8. *de incrementis urbium*, Hanov. 1600. 8. exſtat etiam cum Joh. Boteri Tr. Helmſt. 1665. 8. & cum Tr. Petr. Ponceti de Civibus, Incolis &c. ac additionibus notisque Mart. Naurathi, Francof. 1671. 1681. 8. *Harpocrates*, ſ. *de ratione ſilendi*, Lugd. 1603, 8. Oratio in comitiis coram rege Poloniæ Sigiſmundo III. habita, Col. 1612. 8. *Emblemata ſingularia*; tecto ſæpius uſus fuerat nomine, mox *Lampurgnanum*, mox *Wernerum Gerardum*, mox *Sinibaldum Vbaldum* ſeſe nominans.

VII. JOHANNES GUT, J. V. D. Inſtitutionum Profeſſor eligitur d. 25. Jul. 1586. ad Profeſſionem Codicis translatus d. 9. Jun. 1589. V. Prof. Pand. n. 5.

VIII. LUDOVICUS ISELIN, J. V. D. Profeſſionem Inſtitutionum adeptus d. 9. Jun. 1589. eam adminiſtravit ad d. 2. Nov. 1599. cum Codicis profeſſio ei fuit delata. V. Prof. Cod. n. 12.

IX. JOH. JACOBUS FAESCH, J. V. D. in cathedram Inſtitutionum evectus fuit d. 2. Nov. 1599. præfuit ei, donec d. 24. Aug. 1613. Codicis profeſſio ei demandata fuit. V. Prof. Pand. n. 6.

X. MELCHIOR DE INSULA, *Dominus de Hunnewald*, J. V. D. *Iuſt. Imp. Prof. P. chriſtianiſſimi Galliarum regis conſiliarius, cubicularius & legatus reſidens ordinarius*, vir animi magnitudine, morum gravitate, oris facundia, rerum publicarum notitia celebris, natus eſt Baſileæ Idib. Sept. a. 1580. patre Franciſco de Inſula, nobili Ligure, qui poſtquam ſub patruo ſuo Joh. Baptiſta de Inſula Archiſtratego militaris ſcientiæ fundamenta aquilifer in Italia jeciſſet, in Germania Caroli V. Imper. Commiſſarium Belgicum, ſupremumque annonæ militaris præfectum fidum & induſtrium egit. Acciderat autem, ut in Mediomatricibus oculo vulneratus Argentoratum

gentoratum esset deportatus, ubi ad ἀκροασιν concionum Joh. Calvini Reformatæ religioni se addixit, & dimissione a Cæsareis officiis bellicis impetrata Basileæ sedem fixit, ubi a. 1581. obiit. Mater autem Nostro contigit ex familia, nobilitate inclyta, e Galliis oriunda, *Maria de Hautee de Montmerail.* Huic claræ majorum prosapiæ verum nobilitatis decus ex bonis literis superaddere secum statuens, totum se studiis dedit, & jactis primis fundamentis a. 1594. ad publicas lectiones audiendas est admissus, sequentique anno prima laurea decoratus. Postea ad exemplum Basilii Amerbachii, patris sui lustrici, jurisprudentiæ se addixit, non umbratili illi tantum, quæ in legum interpretatione versatur, sed masculæ & luculentæ, quæ in judiciis, quæ in senatu, quæ in aulis principum, & universa hominum vita se conspiciendam præbet, unde non in patria modo celebres audiit Jureconsultos, *Grynæum*, *Gutium*, *Lud. Isselium*, & *J. Jac. Fæschium*, sed & gradum in utroque Jure summum a. 1601. adeptus illustres peregrinationes suscepit, & primum Heidelbergæ aliquamdiu commoratus, deinceps in Galliam, Angliam atque Italiam iter fecit; Basileam reversus studio juris universo, quam theoretico quam practico, totus incubuit, & d. 28. Sept. 1613. Institutionum professionem nactus est, quam omni gravitate, eruditione & inprimis facundia obiit, & a. 1618. ad Episcopum Basil. Academiæ nomine legatus abiit. Præter eximiam juris civilis scientiam variarum linguarum notitiam sibi familiarem reddidit, etenim latina, gallica, italica non difficilius quam vernacula est usus, hispanica, anglica, belgica modice, nec etiam orientalium ignarus perhibetur, & quod præcipue ipsi viam ad ampliſſimas quasque dignitates muniit, juris publici pro vasti ingenii capacitate erat callentissimus. Unde cum tantus vir unius lycæi angustiis contineri vix posset, liberiorem & sublimiorem auram spirans, sponte sua academiæ & patriæ a. 1628. valedixit, cum familia universa Argentoratum commigrans. Postquam a decennio Mauritio, Hassiæ Landgrafio, a consiliis fuisset, Ludovicus XIII. Galliarum rex cubicularii regii munus a. 1628. ei commisit. A dicto Landgrafio a. 1630. ad comitia Ratisbonensia & sequenti anno ad comitia Lipsiensia a protestantibus Electoribus & Principibus instituta, Plenipotentiarius fuit missus, qua ardua pariter & illustri

ſtri legatione ex Principum ſuorum placito eo cum ſucceſſu eſt defunctus, ut anno proxime ſequenti novis & variis legationibus non ornatus modo ſed vel oneratus videri poſſit. Etenim menſe Julio a. 1631. a Rege chriſtianiſſ. ad ſereniſſ. Electores, Saxonicum & Brandenburgicum, poſtea ad Suecorum Regem, Guſtavum Adolphum, bina vice, dein ad ducem Wurtembergicum, tandem ad civitatem Argentoratenſem fuit ablegatus, ubique ſumma fide uſus atque felicitate. Quibus ampliſſimis meritis permotus Rex Galliarum non dubitavit, ei munus ſplendidum, Legati Reſidentis in Germania a. 1632. committere, eique Argentoratum ſedem deſignavit. Prius matrimonium iniit a. 1605. menſe Aprili cum nobili *Eliſabetha Covet de Viviers*, paſtoris Gallicani Baſilienſis filia, ex qua filios duos, Franciſcum & Melchiorem, totidemque filias, Magdalenam & Eliſabetham, ſuſcepit, illos quidem acerba morte peremtos luxit, Magdalenam vero nobiliſſ. *Danieli Terchat*, domino *de Alleman*, equiti, in matrimonium collocavit. Ad ſecunda vota tranſiit cum nobili pariter virgine, *Dionyſia*, Domini *le Bey Batilli*, conſiliarii regii, & parlamenti Metenſis præſidis, filia, quæ ei peperit Franciſcum, qui ſub annum 1642. ſeſquianno ante parentem chiliarchæ vices ſubiens in Italia apud urbem Tortonam ex lapidis ictu periit, ut & filias tres, Suſannam, Mariam, Eſterem, patri ſuperſtites factas. Denique febri ardente correptus III. Non. Mart. a. 1644. huic mundo valedixit Argentorati, magna pompa elatus.

XI. Remigius Faesch, J. V. D. electus fuit Inſtitutionum Imper. Profeſſor d. 26. Sept. a. 1628. ad Codicis Profeſſionem translatus d. 23. Jul. 1630. V. Prof. Pand. n. 7.

XII. Joh. Jacobus Hofmann, J. V. D. Eloquentiæ Profeſſor, Inſtitutionum cathedram adſcendere juſſus eſt d. 23. Jul. 1630. ab officio d. 29. Aug. 1632. amotus, in idem autem inductus d. 9. Maji 1633., ad Codicis profeſſionem pervenit d. 18. Apr. 1637. V. Prof. Cod. n. 15.

XIII. Joh. Jacobus Faesch, J. V. D. Inſtitutionum conſtitutus Profeſſor d. 18. Apr. 1637. tranſiit ad

Codicis Profeſſionem d. 30. Maj. 1645. V. Prof. Cod. n. 16.

XIV. Lucas Burcard, J. V. D. Logices Profeſſor, ad Inſtitut. profeſſionem promotus fuit d. 30. Maj. 1645. eamque obivit, donec d. 8. Sept. 1652. profeſſio Codicis ei fuit delata. V. Prof. Codicis n. 18.

XV. Jacobus Brandmuller, J. V. D. Inſtit. Profeſſor deſignatus eſt d. 8. Sept. 1652. in eaque cathedra ſubſtitit, donec d. 25. Mart. 1667. eam cum Pandectarum cathedra mutare juſſus eſt. V. Prof. Pand. n. 8.

XVI. Nicolaus Passavant, J. V. D. Reip. Syndicus, nominatur d. 3. Jul. a. 1667. Inſtit. & d. 11. Dec. a. 1677. Pand. Profeſſor. V. Prof. Pand. n. 9.

XVII. Simon Battier, J. V. D. Ethicæ Profeſſor, Paſſavantio in profeſſione Inſtit. ſurrogatur d. 11. Dec. 1677. Codicis Profeſſor conſtitutus d. 15. Febr. 1678. ob abſentiam ſucceſſoris in profeſſione Inſt. perrexit uſque ad a. 1681. quo d. 13. Jun. Codicis profeſſionem adiit. V. Prof. Cod. n. 19.

XVIII. J. Jacobus Burcard, J. V. D., Baſilienſis, antea Juris Profeſſor Herbornenſis, d. 15. Febr. 1678. Inſtitutionum Profeſſor conſtituitur, d. 16. Dec. a. 1681. ab hac profeſſione abiit ad profeſſionem Codicis vocatus. V. Prof. Pand. n. 10.

XIX. Sebastianus Fæsch, J. V. D. d. 16. Dec. a. 1681. Inſtitutionum fit Profeſſor, hancque provinciam adminiſtravit, dum d. 17. Sept. 1695. ad profeſſionem Codicis fuit translatus. V. Prof. Cod. n. 21.

XX. Bonifacius Fæsch, J. V. D. Ethices Profeſſor, Inſtitutionum cathedræ præficitur d. 17. Sept. a. 1695. eamque occupavit, donec d. 20. Sept. a. 1706. in cathedram Codicis transveheretur. V. Prof. Cod. n. 22.

XXI. J. Jacobus Battier, J. V. D. Eloquentiæ Profeſſor, Inſtitutionum Profeſſionem nactus eſt d. 20. Sept.

Digitized by Google

Sept. a. 1706. una cum penſo Juris publici, ſed d. 27. Febr. a. 1714. ad profeſſionem Codicis atque Juris feudalis tranſiit. V. Prof. Cod. n. 23.

XXII. JOHANNES WETTSTEIN, J. V. D. Philoſ. Pract. atque Juris naturæ & gentium Profeſſor, ad Profeſſionem Inſtit. & Juris publici translatus eſt d. 27. Febr. 1714. qua vero ſe abdicavit, d. 17. Dec. a. 1720. ad Pandectas & Jus canonicum vocatus. V. Prof. Pand. n. 11.

XXIII. FRANCISCUS CHRIST, vir præſenti ingenio promtaque lingua præditus, natus eſt d. 10. Aug. 1688. patre Jacobo Chriſt, mercatore, matre Anna Maria Fatio. Obſervata pueri optima indole ingeniique velocitate ſtudiis mature fuit conſecratus; quo fine Gymnaſii noſtri claſſes adire juſſus eaſdem ſtrenuus percurrit & a. 1703. bonarum literarum cultor ſolenniter promotus Philoſophorum prælectiones ſedulo audivit; a Magiſtris diligentiæ præmia bene promerita mox accepit, a. 1704. Laureatus & a. 1706. Philoſophiæ Doctor publice creatus. Animus altiora ſpirans ad Juriſprudentiam inclinabat, quumque perverſi animi eſſe putaret, ante quærere gloriam, quam exercere laborem, maximo conatu, tantaque in legum ſtudiis diligentia, tantoque profectu verſatus eſt, ut jam a. 1710. rigoroſum, ut vocant, examen cum laude ſubiret, & d. 27. Mart. 1711. eruditam diſſertationem *de Sorte* maſcule defenderet. Aliis jam eruditione ſua inſervire cupiens, privata collegia aperuit, & in humanioribus ſtudiis philoſophiæ cultoribus præivit. Poſt ſpecimen d. 5. Febr. 1712. occaſione vacantis cathedræ Logicæ editum Neocomum profectus eſt, ut linguæ gallicæ facultatem acquireret. Biennio tranſacto a. 1714. Lutetiam Pariſiorum petiit, inde in patriam ad priſtina ſtudia reverſus denuo ſtudioſis prodeſſe quæſivit. Poſtea a. 1717. duplicibus fratrum bigis, Effingerorum de Wildegg & de Salis Rhætorum nobilium, ephorus conſtitutus, integrum biennium itinere per Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam conſumſit, & in patriam redux d. 19. Dec. 1719. J. V. D. fuit proclamatus. Matrimonium celebravit d. 29. Jan. 1720. cum Juditha Fæſch, 4. filiorum & filiæ unius matre facta, ex quibus unicus filius,

Hieronymus, patris funera vidit, Jacobo, natu maximo, a. 1743. in nundinis Francofurtenſibus ſponſo defuncto. Sorte favente accidit, ut Chriſtius noſter d. 4. Mart. 1721. pro merito Profeſſionem Inſtitutionum & Juris publici obtineret. Sed haud diu ipſi hanc ſpartam exornare datum erat. Jam enim a. 1722. ad graviſſimum Archigrammatei atque Scholarchæ munus fuit evocatus, cui dein ad vitæ uſque finem omni diligentia, fide atque prudentia vacavit. Ducentumvir a. 1731. & a. 1734. Reipublicæ Syndicus electus in utroque honore atque officio civem probum verumque Chriſtianum ſe præſtitit. Dyſenteria humanis ereptus fuit d. 14. Oct. 1744.

XXIV. Joh. Rodolphus a Waldkirch, civis Baſilienſis, natus eſt a. 1678. primam Lauream philoſophicam obtinuit a. 1695. artium vero Magiſter creatus a. 1696. Juri cum diligentem operam navaſſet, & conſueta ſpecimina ediditſet, a. 1704. in utroque Jure Licentiam adeptus & deinceps ſocius itineris adhibitus fuit a baronibus Dœringenbergenſibus, iſtoque itinere feliciter finito, d. 14. Jan. 1711. J. V. D. fuit proclamatus. Inſignis ejus eruditionis fama ad exteros etiam progreſſa, ab illuſtris Reip. Bernenſis antiſtitibus vocationem a. 1718. primum Lauſannæ, dein, mutato conſilio, Bernæ Juris publice docendi accepit, quam provinciam magna ſui laude auditorumque utilitate adminiſtravit, donec in patria d. 15. Sept. 1722. Inſtitutionum & Juris publici Profeſſor ſorte fuit electus. Obiit d. 10. Jun. a. 1757.

Edidit Bernæ adhuc verſatus lingua vernacula *Introductionum in hiſtoriam Fœderum atque Politiæ Helvetiorum*, 2. T. in 8. Baſil. 1721. quæ auctior fuit recuſa a. 1757. nec non libellum, cui *juſtæ torturæ* nomen fecit Bern. 1710.; in quo quando & quomodo in rebus criminalibus tortura ſit adhibenda, diſtincte docuit; recuſus eſt Baſ. 1773. 8.; item *Annotata in Puffend. de O. H. & C.* cum *compendio Juriſprudentiæ naturalis.* Baſ. 1711. diſſ. inaug. *de fœnore nautico*, d. 27. Febr. 1704. *Manipulum poſitionum jur.* 23. Febr. 1714. *Compendium hiſtor.* a. *M. C.* ad 1714.

XXV. Joh. Rodolphus Iselin, natus d. 20. Jun. 1705. patrem habuit Joh. Jacobum Iſelin, ſenatorem, matrem

matrem vero Mariam Elbs. A puero ad literas adhibitus primum in patrio ludo tantos pro ingenii docilitate atque laboris adſiduitate in iis fecit progreſſus, ut a. 1718. Academicus fuerit denominatus. Dein in ſcholis philoſophorum ita ſe in linguis atque ſcientiis exercuit, ut a. 1720. Laurea & a. 1721. Corona magiſtrali publice fuerit redimitus; in priori actu *de naturali hominum æqualitate* diſſeruit, in ſecundo autem *juſtitiam eſſe civitatis animam & ſocietatis vinculum* facundo ore demonſtravit. Jactis hiſce fundamentis, in Juriſprudentiæ ſtudium totus incubuit, anteceſſores juris diligenter publice privatimque docentes audivit, antiquitates legeſque romanas, nec non hodiernos ritus atque ſtatuta indagavit, & ſtupendo labore integram omnis juris doctrinam animo complecti ſtuduit. Nec his contenta mens generoſa, ſed ſuperato cum laude examine jurid. ampliſicandæ eruditionis cauſa iter inſtituit in Germaniam, Belgium atque Galliam, principes eruditorum ſalutans ſibique devinciens, cujus tum atque deinceps contractæ amicitiæ jura ſancta ſervavit ſemper atque illibata, prolixo atque continuo literarum commercio eadem tenovans atque confirmans. Adhuc cum eſſet in via, a. 1725. *regiæ Berolinenſis ſcientiarum academiæ ſodalis* fuit adlectus, quam academiam deinceps & aliæ certatim fuere ſecutæ; regia nempe *ſcientiarum Pariſienſis*, *Academia Etruſca Cortonenſis*, *Romana Arcadum*, *Odraſii Lampſaceni* nomine ei indito, *academia Nanceienſis*, atque aliæ, membrum ſuum, ſocium atque amicum honorifice eum nominarunt. Reverſus in patriam diſputatione publica aliiſque modis ordini J. C. inſignes in doctrina præſertim civili profectus ſufficienter probavit, & unanimiter dignus fuit habitus, qui laurea Doctorali in jure utroque ſolenniter condecoretur, quod decretum ordinis publice exſecutus fuit J. Rod. a Waldkirch, J. V. D. & Prof. d. 9. Jul. a. 1726. poſtquam Candidatus orationem habuit *de uſu & præſtantia antiquitatum in jure*; hos honores præter eruditos Baſil. ei gratulati ſunt *Juſt. Henning. Bœhmer*, *Nic. Hier. Gundling*, *Joh. Huldr. Heydenus*, *C. F. Drollinger*, *Joh. Caſp. Santaroc*, quorum plauſus juncti fuere excuſi. Poſtea a. 1728. ſuſcepit munus Præpoſiti collegii alumnorum; a. 1734. in collegium jurid. Baſ. receptus & a. 1736. a *Marchione Bada Durlacenſi conſiliarius aulicus* fuit de-

nominatus. Civibus interim atque exteris, quin regibus atque principibus, prudentiſſimis conſiliis adfuit, Themidoſque præſertim alumnos ad literas elegantiores, juris publici atque civilis cognitionem diligenter deduxit. Ceterum cunctis adfabilis & in omnes officioſus. A. 1746. Curatores Academiæ Lugd. Bat. ei profeſſionem Juris publici obtulerunt, quam vero juſtis ex cauſis non accepit. *Hallerus* etiam ipſum, ſed irrito conatu, Gottingam pertrahere ſtudebat. Tandem, cum aliquoties graviſſima Reipublicæ atque Academiæ munera ſors iniqua ei negaſſet, d. 5. Oct. a. 1757. Profeſſor Inſtitutionum & Juris publici fuit electus, quam provinciam d. 6. Dec. 1757. prælectione *pro Juris publici prudentia* auſpicatus eſt, eamque adhuc eximie exornat.

Scripſit ediditque diſſertationem *de origine fontium* d. 23. Maj. 1721. *brevem Rom. judiciorum hiſtoriam*, 5. Cal. Dec. 1722. *Poſitiones philoſ.* prid. Id. Dec. 1724. d. 21. Jun. 1726. pro obtinendo gradu Doct. Jur. diſſ. *de dominio eminente.* Diſſ. *de Amore ſui* d. 30. Maj. 1727. Diſſ. *de officiis erga patriam* d. 5. Dec. 1727. pro cathedra Jur. N. & G. Diſſ. exhibentem *faſciculum theſium jur.* d. 31. Mart. 1731. vacante prof. Codicis. *Tentamen hiſt. & pol. de tranſitu Aldringeri ducis per territorium Baſil.* a. 1633. *Æg. Tſchudii Chronicon helv.* Germ. T. 2. Fol. 1734. cum notis. Diſſ. *de jure legationum helv.* d. 1. Mart. 1737. Diſſ. *de inſtitutis militaribus* Helv. d. 2. Apr. 1737. Diſſ. pro cathedra hiſtor. d. 27. Aug. 1737. *de geſtis inter Sigiſmundum & Carolum pugnacem.* Diſſ. *de pœnis J. N. licitis. Laudationem fun. Jac. Chriſt. Iſelii*, Theologi d. 16. Sept. 1738. *Petri de Vineis epiſtolas* 2. V. in 8. 1740. *Programma de Jure monetandi Baſil. a Jul.* 11. *conceſſo*, 1743. *Obſ. jur.* pro cath. jur. d. 25. Oct. 1746. *prælectionem de Juriſprudentiæ in Rep. uſu atque neceſſitate.* Turici 1758. *Orationem de pietate politica.* Tur. 1763. *Ottonis ad Juſtiniani Inſtit. Commentarium, cum var. lectionibus*, Baſ. 1760. 4. maj.

PRO-

PROFESSORES MEDICINÆ.

I. WERNERUS WOELFLIN, ſ. *Wolf*, primus fuit, qui in Academia Baſilienſi Medicinam publico ſtipendio docuit, ejuſque publicum Profeſſorem egit. Literis quidem proditum eſt, a. 1431. tempore Concilii *Andream Richilum*, natione Germanum, inſignem Medicum, floruiſſe Baſileæ, qui juſſu Sigiſmundi Imp. ab Ænea Sylvio Doctoratus medici inſignibus in ſolenni panegyri ornatus, Imperatoris Friderici III. Paparum Pii II. & Pauli II. archiater, a Friderico Imp. in nobilium ordinem cooptatus & tanto honore habitus fuit, ut illi ſæpius ob unicum morbum feliciter curatum mille aurei & amplius honorarii loco fuerint ſoluti; ſed de hoc, quia ante conſtitutam Vniverſitatem noſtram, nondum Profeſſor, floruerat, plura non adferimus, & Wœlflino merito inter Profeſſores Medicos primas deferimus. Is natus eſt Rotenburgi ad Neccarum, Sueviæ oppido, ubi & educatus. Ut felici erat ingenio, a teneris annis incubuit bonis literis, & florentes Academias adiit, eo ſucceſſu, ut Philoſophus pariter ac Medicus doctiſſimus exſtiterit. Philoſophiæ Baccalaureus legitur creatus a. 1444. Poſtea Magiſterii etiam dignitatem adeptus Medicinæ operam dedit, medicique doctoris titulum ac privilegia accepit. Intelligens, a Pio II. novam Academiam Baſileæ inſtitui, auſpiciis ejuſdem intereſſe conſtituit, primique Rectoris electioni adfuit. Electus vero & ipſe fuit ob morum integritatem & omnigenam eruditionem, cujus ſolida exhibuerat ſpecimina, Medicinæ Profeſſor, ejuſdemque Facultatis primus Decanus a. 1460. quod utrumque munus magna dexteritate & induſtria adminiſtravit. Medicorum etiam exſtitit Nomotheta, qui primas Medici ordinis leges ac ſtatuta conſcripſit & publice promulgavit. Ceterum civibus medicinam faciendo ſingularem fidem operamque indefeſſam probavit. Anno a fundata Academia tertio ſextus ejus Rector fuerat electus; regimen nempe, quod ab

a. 1532. annuum est, antea erat semestre. Tandem ætate & meritis gravis fatis concessit, relictis aliquot liberis, qui ipsi in cœnobio Monialium ad Lapides hoc monumentum erigi curarunt:

Heic tumulati sunt
Wernherus & Bernhardus
Wolfii
Medicus ille,
sub Academiæ auspiciis
Primus Med. Collegii Decurio:
hic vero Jure consultus
Anno M. D. XX.
sublatus.

Ejus nepos Wernerus Wœlflin, senator, defunctus est pr. Cal. Maii a. 1578. Neptis Margaretha Wœlflin, Joh. Hubero Medico nupta, obiit d. 19. Cal. Sept. a. 1579. & Catharina Wœlflin, neptis, J. Henr. Irmii, centurionis, uxor ob. d. 29. Maj. 1598. cum qua ista familia fuit exstincta.

II. Andreas Ondorp, alias de Alemaria, s. Alcmarienſis, in matricula Rectoris vocatur Artium & utriusque Medicinæ Doctor; a Luc. Gernlero Medicus dicitur Basilienſis, idemque, testante archivo academico, a. 1484. Academiæ Rectoratum gessit. Plura de eo reperire non licuit.

III. Johannes de Tunsel, dictus *Silberberg*, ex minori Basilea ortum duxit, & non tantum Philosophiæ atque Juris Pontif. sed & Medicinæ Doctor exstitit; Medicinam diligenter exercuit itemque in Medicorum collegium fuit receptus. A Jure consultis autem cum in Facultatem cooptaretur, promittere debuit, se Medicorum ordinem deserturum, nullumque porro cum illo habiturum esse consortium, excepta tamen praxi medica, cujus exercitium ei liberum permittebatur. V. Prof. Juris n. 21.

IV. Joh. Romanus Wonnecker, Artium liberalium, Medicinarum & Juris utriusque Doctor, Academiæ

miæ Rectoratum gessit a. 1519. & 1522. Medicinam publico stipendio conductus docuit jam a. 1504. De isto medico plura non potuimus notata invenire, nisi quod is, cum fasces Acad. iterum teneret, inter Rectores primus fuerit, qui in Matricula de *Martini Luteri, Thuringi, tempestuosa dicacitate* (ita ipsi videbatur) fuerat conquestus.

V. GUILIELMUS COPUS, nativitate civis Basiliensis, in patria studiis innutritus est, bonarumque artium & linguarum fundamenta feliciter jecit, quibus fastigium eruditionis superstructurus, Lutetiam Parisiorum se contulit, ibidem S. Medicinæ industrie pariter ac feliciter operatus, multo cum adplausu summum in ea facultate gradum obtinuit; cui studio pro ingenii ubertate disciplinas Mathematicas junxit, omnium amorem & admirationem sibi concilians. Græce Latineque etiam fuit doctissimus, ut Erasmus de eo dixerit: *Medicinam ejus opera primum loqui cœpisse.* Quanto honore atque existimatione eum habuerit Erasmus, non inde tantum liquet, quod de eo cecinerit: *Unica nobilium medicorum gloria Copus*, sed & quod gravi morbo adflictus, spreto omnium, qui tum Basileæ erant, Medicorum consilio atque auxilio, omnem salutis spem in hoc solo posuerit, & remedium ab eo efflagitarit, ut testantur Erasmi literæ a. 1526. Parisios ad ipsum missæ. Parisiis etiam ob exactam doctrinam felicemque artis medicæ industriam tanto honore habitus fuit, ut Medica professio ei commissa & Galliæ regi, Francisco I., a. 1530. archiater fuerit constitutus. Hic omnem movit lapidem, ut e scholis medicorum parisiensibus medicos *Arabes*, &, ut illos vocitare solebat, *latino barbaros* eliminaret, eorumque in locum græcos introduceret, & editis eorum versionibus familiares artis medicæ cultoribus redderet. Magna nominis celebritate vixerat adhuc sub Ludovico XII. & Lutetiæ diem obiit. Reliquit filium *Nicolaum*, qui in collegio S. Barbaræ professorem egit & d. 10. Oct. 1533. Academiæ Parisinæ sceptrum accepit. Hic cum Calvino commercium habuit literarium, eoque detecto, instigantibus Franciscanis, a Parlamento, ut sui causam ageret, citatus comparere voluit, in via vero admonitus, ne id faceret, reversus fuga salutem quæsivit, relictis facultatibus fere omnibus; insscius

vero ſigillum academiæ ſecum abſtulit, & Baſileam petiit; trecenti autem nummi coronati ei promittebantur, qui ipſum vivum vel mortuum eſſet traditurus.

Guilielmus *Hippocratem*, *Galenum*, *Æginetam* teſtes eruditionis atque induſtriæ ſuæ reliquit, id eſt, non pauca horum auctorum transtulit, nempe *Galeni libros ſex de locis affectis; l.* 1. *de morborum differentiis; l.* 1. *de morborum cauſis; l.* 3. *de ſymtomatum cauſis & differ.*; qui omnes cum latinis Galeni operibus variis in locis excuſi ſunt. *Æginetæ præcepta & Hippocratis prognoſtica* itidem latinitate donavit.

VI. THEOPHRASTUS PARACELSUS, ſive Philippus Aureolus vel Aurelius Theophraſtus Paracelſus, dictus Bombaſt ab Hohenheim, ingenio magnus, & ſi literæ acceſſiſſent, in ſuo genere maximus, natus eſt Eremi Helvetiorum, pago duobus milliaribus Tiguro diſtante, a. 1493. Patrem habuit Wilhelmum Paracelſum, Licentiatum Medicinæ, ex principe quodam extra thorum natum. Patris auxilio primum, deinde a chymiſtis inſignibus, *Baſilio Valentino* & *Sigiſmundo Fuggero* inſtitutus, alios etiam doctiſſimos viros in Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, ſinguliſque fere Europæ regionibus diligenter audivit, &, adhibita ſingulari induſtria, tantum profecit, ut multi teſtati ſint, in univerſa philoſophia tam ardua, tam arcana & abdita eruiſſe præter ipſum mortalium neminem. Quin etiam, alter velut Euclides aut Plato, ad ipſos uſque Ægyptios atque Arabas tranſiit, ac diſcendi cupiditate aliquot annos apud illos permanſit. Jam cum præſtantiſſima quæque peregrinando didiciſſet & abſtruſa multa cognoviſſet, ita ut multos hinc inde homines graviſſimis deſperatiſque morbis, lepra, hydrope, podagra, aliiſque malis liberarit, a Baſilienſibus a. 1521. commendante eum Oecolampadio, amplo ſtipendio invitatus Medicam profeſſionem obiit, & duabus quotidie horis tum *activæ* tum *inſpectivæ* medicinæ, & *phyſices* & *chirurgiæ* libros, quorum ipſemet auctor erat, ſumma diligentia magnoque auditorum fructu publice eſt interpretatus; illos vero ſuos commentarios non ab Hippocrate, aut Galeno, aut aliis emendicavit, ſed quæ ſumma rerum doctrina, experientia atque labore ipſe fuit adſecutus, in illis propoſuit. Docuit autem præter Academiarum morem vernacula lingua,

Digitized by Google

gua, vel saltem mixtim, Latinis partim, partim Germanicis verbis, ut nimirum ab omnibus intelligeretur. Cum autem *Chymiæ*, vel ut Arabes loquuntur, *Alchemiæ*, sive, quemadmodum ipse Theophrastus hanc artem nuncupavit, *Spagiricæ* ita se tradiderit, ut in ea ad miraculum usque excelluerit, tam in philosophando quam in medendo viæ a consueta diversæ instituit; principia rerum statuit tria: *sulphur*, *salem* ac *mercurium*. Medicinam docuit quatuor suffultam columnis, quarum prima sit *philosophia* s. *Physica*, secunda *Astronomia*, tertia *Alchymia* & quarta *virtus* s. *religio*. Alia hujus viri singularia omittimus. Basileæ cum doceret, ibidem commorabatur nobilis canonicus, *Cornelius a Lichtenfels*, vir deploratæ valetudinis. Eum Theophrastus, pactus pretium centum florenorum, quos se numeraturum canonicus ultro pollicebatur, tribus pillulis *Laudani* sui, medicamenti genere, saliva subacti, quo in extrema tantum necessitate utebatur, feliciter restituit. Canonicus parcipromus tam brevi spatio & quidem re, ut videbatur, exili sanatus, pactis stare noluit. Sordidus homo Medicum in jus vocat, cumque judex mercedem ad minores terminos redegisset, Theophrastus tam vile pretium arti suæ statui ægre ferens, importunius in prætorem est invectus, ita ut læsi magistratus pœna metueretur. A quibusdam igitur magnæ auctoritatis viris, qui honori ipsius studebant, monitus Theophrastus ut se subduceret, triennio post, ex quo Basileæ advenerat, in Alsatiam descendit, relictis Joh. Oporino, quo quasi promo condo utebatur, vasis chymicis plurimisque libris, quos ipsi sæpius vino madidus dictaverat. Inter vivos esse desiit d. 24. Sept. a. 1541. & sepultus fuit Juvaviæ, quod hodie est Salisburgum, in alpibus Noricis ibique Episcopus Salzb. ei Epitaphium erigi curavit. Moriens omnes suas facultates inter pauperes distribuendas ordinavit. Plura ejus commentariorum exstant volumina partim edita, partim MS. præstantissima eorum editio habetur, quæ 3. V. in Fol. a. 1658. prodiit.

Ex iis nonnulla nominabimus: *Explicatio figurarum magicarum, quæ Norimbergæ inveniuntur*, germ. *Hand und Denk-Bibel*, Amst. 12. & Mullhauf. 1736. 8. *de vita longa* l. 4. Bas. 1560. 8. descriptio *Laudani*, quo usus est in deploratis morbis, ib. eod. 8. l. de *duplici anatomia*, id. 1561. 8. *de*

de gradibus, compositionibus & dosibus receptorum ac naturalium l. 7. Mylœcii 1562. 4. *interpretatio aliquot aphorismorum Hippocratis*, Aug. Vind. 8. Tract. *de morbis tartareis*, Basi 1563. 8. 1570. 8. Argent. 1568. *opus chirurgicum*, germ. interprete Adamo a Bodenstein, Francof. 1566. fol. *defensiones septem*, Argent. eod. 4. *de urinarum ac pulsuum judiciis*: tum *de Physionomia*: item *de morborum Physionomia fragmentum* ib. 1568. priores duo libri eodem anno Coloniæ quoque editi sunt a Birkmanno. *Pyrophilia vexationumque liber*, cui accesserunt tractatus *metallorum septem* &c. Basil. *Philosophia magna Collectanea* quædam per Ger. Dorn latine reddita, ib. 1569. *Chirurgia vulnerum* &c. per eundem lat. reddita ib. *de Meteoris* &c. per eundem lat. &c. ib. 1570. *Archidoxorum de secretis naturæ mysteriis* libri 10. *de tinctura physicorum* &c. eodem interprete ib. & germ. Monach. 1570. *Occulta philosophia*, *Archidoxa* &c. ib. 1570. *Chirurgia minor*, quam alias *Bertheoneam* intitulavit, cum ejusdem tractatibus *de Apostematibus* &c. ex versione Dorni, Bas. *Liber Paramirum*, in quo universalis theorica physices & Chirurgiæ origines & causæ morborum traduntur &c. Bas. 1570. *de spiritibus planetarum sive metallorum* l. 3. &c. ib. 1571. 4. *Septem defensiones adversus amulos suos* &c. Colon. 1573. *de natura rerum & de natura hominis*, 1573. *de præparatione Ellebori*, item de *Perforata*: liber editus a Bodensteinio 1568 Libri 9. de *mysteriis naturæ* &c. *de Mineralibus* &c. Colon. 1570. anglice versi Lond. 1650 4. Tractatus quinque: 1. *de rebus naturalibus*. 2. *de quibusdam herbis*. 3. *de Metallis*. 4. *de Mineralibus*. 5. *de Gemmis*. Argent. 1570. *Astronomia magna* &c. Francof. 1571. *de thermis Fabarianis in Helvetia*, Argent. 1570. germ. Bas. 1576. 4. *de proprietatibus perfecti chirurgi*, Argent. *de spiritu vitæ & ejus virtute* &c. Bas. a Bodensteinio primum publicati a. 1572. *Metamorphosis* &c. ib. eod. libri *Paragraphorum* XIV. latino sermone integritati restituti, & explicationibus illustrati a D. Toxite primum editi, Argent. 1578. 8. *Aurora thesauruſque philosophorum* &c. per Ger. Dorneum &c. Bas. 1577. 8. anglice Lond. 1659. 8. *de lapide philosophorum* tractatus germanice editi &c. Antverp. 1572. *Thesaurus thesaurorum* &c. germ. Argent. 1574. *de tribus principiis omnium generatorum* &c. ed. Ad. Bodenstein, germ. Bas. 1574. 8. *de secretis creationis*, a Toxite editus liber, Argent. 8. *Centum quindecim curationes, experimentaque*, e germ. in lat. versa, 1582. 8. *Sextus liber de morbis calculosis & podagricis* &c. germ. Basil. 1574. 8. Libri 3. *de cura morbi gallici*, germ. Norimb. 1530. 4. Argent. 1579. 8. *de Peste* tract. germ. Basil. 1575. lat. Oppenh. 1613. 4. Francof. 1622. 4. *Testamentum & Inventarium Paracelsi*,

Paracelſi, germ. Argent. 1574. 8. *Onomaſticon vocum & praeparationum aliquot* collectum per Adam. a Bodenſtein, Baſ. 1575. 8. *de reſtituta utriuſque medicinæ vera praxi* l. 1. Lugd. 1578. 8. de *ſummis naturæ myſteriis commentarii* 3. Baſ. 1584. 8. *Wundarzney*, ib. 1586. 8. *Secretum ſecretorum*, ib. eod. 8. *vom wahren Heiligtum*, Neuſt. 1618. 4. de *limbo aterno*, Magd. eod. 4. *Gebeimniſs aller ſeiner Gebeimniſſe*, Francof. 1770. 8. *natürliches Zauber-Magazin* &c. ib. 1771. 8. *Opera omnia* germ. Tomi X. Baſ. 1589–1591. 4. it. Tom. II. Argent. 1616. fol. eadem Latina reddita Tom. II. Baſ. 1575. 8.

VII. HIERONYMUS ARTOLPHUS, A. L. M. & Medicinæ Cand. ex Curia Rhætorum oriundus, natus eſt ſub finem Sec. XV. boniſque literis ab ineunte ætate operam dedit. Nomen in Academia noſtra profeſſus, & in matriculam ſtudioſorum receptus fuit a. 1509. Baccalaureus cum Bonif. Amerbachio a. 1511. & a. 1513. Magiſter Artium creatus. Dein Medicinæ operam dedit, gradumque in ea adſecutus eſt. Vrſtiſio eruditus Profeſſor vocatur, ſed non addit, nec alibi inveſtigari potuit, quid proprie profeſſus fuerit. Interim, dum certior ei adſignari poterit locus, Medicus inter Medicos ſtationem agat. Hoc conſtat, eum a. 1539. Decanatum philoſ. geſſiſſe, eumque ipſi continuatum fuiſſe per biennium, ipſique Decano a. 1540. a Scholarchis atque Regentia commiſſum fuiſſe, ut Artium jura reformaret atque reſtitueret, ſtudioſos in claſſes diſtingueret, omniaque in meliorem ordinem redigeret, quod & ſumma induſtria peregit, ipſiuſque inſtitutum ab Ordine ſuo ratum habitum publice fuit promulgatum. Academicum ſceptrum geſſit a. 1538. qui annus nobilitatus fuit frivola quæſtione, quam nonnulli nomine Academiæ miſere ludentes moverunt, diſceptantes: *an Academia Eccleſiæ Chriſtianæ pars eſſet?* Sanior pars, quæ bona fortuna ſuperior evaſit, contendit, Academiam id eſſe in Eccleſia, quod oculus in corpore; aliis adſeverantibus, Academiam, cujus vocabulum eum parum piis ſcholis conveniat, parum dignam eſſe Eccleſia. Quæ vero controverſia non niſi interpoſita ſummi Magiſtratus auctoritate dirimi potuerat. Obiit tandem vir doctiſſimus & de re literaria optime meritus magno ſtudioſæ juventutis damno atque deſiderio ex peſte a. 1541. quo duorum inſignium Theologorum filii, *Euſebius Oecolampadius*

padius & *Guilielmus Zuinglius* occubuerunt. Reliquit filium homonymum, qui patre Rectore Academiæ civibus fuit adſcriptus.

VIII. GUILIELMUS GRATAROLUS, A. L. M. & Med. Doct. eximius, patriam habuit Bergamum, celebrem Italiæ civitatem, annumque natalem 1516. Pater ei fuit celebris Medicus, a quo artem medicam exquiſitiſſime didicit. Cum in patria ſummos in philoſophia atque medicina honores adeptus eſſet, cum uxore, *Barbara Nicolai*, nepteque *Eliſabetha Gratarola*, Proteſtantium religionem libere profeſſurus, a. 1549. in Germaniam abiit, & aliquamdiu Baſileæ privatus vixit. Anno dein 1551. Marpurgum vocatus Medicam profeſſionem adminiſtravit. Baſileam autem mox, anno nempe 1552. repetiit, ubi in Medicorum collegium receptus medicinam ſtrenuiſſime docuit atque feliciſſime exercuit. Ordinis Medici Decanatum geſſit a. 1567. Quanta peritia valuerit, illuſtri exemplo atque argumento eſt *Conr. Lycoſthenes*, qui poſt Deum magni hujus viri ſtudio ex graviſſimo morbo revaluit. Ipſe in prodigiorum ac oſtentorum chronico p. 640. rem ita narrat: „ Cum „ apophthegmatum meorum editionem jam ad prælum „ pararem, egreſſus muſæum d. 21. Dec. 1554. dira me „ paralyſis corripuit. Quo ſenſim in terram dimiſſus, „ uno momento non tantum vocem, ſed dextram corporis partem, totumque ejus ſenſum & motum a capite uſque ad calcem (ſolo viſu ac auditu exceptis) „ adeo amiſi, ut, nec verbum unum proferre ad 12. „ dies, nec pedibus inſiſtere, nec digitum unum ad „ tres integros menſes lecto infixus, movere potuerim. „ Videbantur membra non in ligna ſed in lapides duriſſimos converſa eſſe, dum ſanguis læſæ partis ex „ humorum frigiditate & nervorum meatuumque obſtructione adeo gelidus, ac induratus, ut nec fricationibus, nec fomentis, nec aliis mediis quibuſcunque, calefieri vix tandem potuerint. Amiſi tunc „ (dictu mirum) humoribus a capite per cerebrum defluentibus, adeo omnem memoriam, ut orationis „ Dominicæ verba, literarumque omnium notæ penitus exciderint. Meæ autem calamitatis teſtes ſunt „ amiciſſimi mei, qui me animo quidem ac ratione ſalvum, ſed tantum nutu loquentem non intelligentes, literis

„ literis alphabetico ordine in tabula creta depictis, ad-
„ monebant, ut dicturus ſiniſtræ manus indicio literas
„ ſuo ordine oſtenderem, ut ſic ex literis ſyllabas, ex
„ ſyllabis voces integras facientes, inde animi mei co-
„ gitata, utcunque tantum elicerent: ſed chyronium
„ vulnus ac immedicabile malum videbatur. Quo fac-
„ tum eſt, ut non ipſe modo, ſed omnes morbi atro-
„ ciſſimi ſpectatores de vita mea deſperarent. Verum
„ Deus miſericors, cujus virtus in infirmitate noſtra
„ perficitur, aſſiduas meas ac ſuæ eccleſiæ pro me pre-
„ ces exaudiens, *D. Wilhelmi Gratarоli*, Bergomatis,
„ inſignis Medici, opera majori ex parte reſtituit. Si
„ quid igitur ex ea vitæ parte, quæ adhuc reſidua mi-
„ hi eſt, muſis aut obelo dignum a me acceperis, Deo
„ potiſſimum optimo maximo ac inde Gratarolo medi-
„ co adſcribas velim." Sed Gratarolus ipſe præmatura morte occubuit, prole carens, d. 16. Apr. 1568. relicta uxore, *Barbara Nicolai*, quæ a. 1569. maritum eſt ſecuta. Vitam Grataroli *Petrus Nigidius* ſenior eleganter his verſibus expreſſit:

Doctrinam Papæ Gratarolus corde peroſus
Germanos cupide viſere cœpit agros.
Nobilis hunc miſit Cattis Baſilea, ſed anno
Vix ſemel exacto rurſus eo rediit,
ſive quod Haſſiaco non poſſet vivere cœlo,
Sive quod in votis urbs Baſilea foret.
Hæc vita functi gelido nunc clara ſepulcro
Inſignis claudit corpus & oſſa Viri.

Gratarоli *opuſcula* edita ſunt Lugd. 1558. 8. *Orationes & opuſcula varia de medicina & re ruſtica*, Arg. 1563. 8. de *memoria reparanda, augenda, conſervanda, ac de reminiſcentia*, Tig. 1553. 8. Baſ. 1554. 8. Lugd. 1558. 16. de *Prædictione morum naturarumque hominum facili ex inſpectione partium corporis*, Baſ. 1554. 8. Tig. 1558. 8. de *Litteratorum & eorum, qui magiſtratibus funguntur, conſervanda præſervandaque valetudine*, Baſ. 1555. 8. Francof. 1596. 1617. 12. Pariſ. 1561. 12. de *vini natura, artificio & uſu, deque omni re potabili*, Baſ. 1565. 8. de *regimine iter agentium, vel equitum, vel peditum, vel navi, vel curru ſeu rheda* libri 2. Baſ. 1561. 8. Arg. 1563. 8. Col. 1571. *Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetua*, Baſ. 1552. 8. ib. 1554. 8. de *thermis Rhæticis*, Venet. apud Juntas, cum aliis ſimilibus, in opere de Balneis, 1553. fol.

Notæ

Notæ in Pomponatium de incantationibus, Baſ. 1556. 8. *Equorum & domeſticorum aliquot animalium remedia* annis 25. collecta. *Veræ Alchimiæ modus*, Baſ. 1561. 8. de *peſte* theſes, Baſ. 1565. 8. de *notis Antichriſti*; *praxis medica*; ſcripſit præterea *correctiones & additiones* in librum italicum falſo attributum Gabr. Fallopio, cujus titulus eſt: *Secreta Fallopii*. *Cenſuram* in primum librum Alexii Pedemontii, in quo medica tractat. *Modum faciendi quintam eſſentiam ſimplicium; de viribus, uſu ac miſtione aquæ ardentis*, Baſ. 1593. 8. *Joannem de Rupeſciſſa de extractione quintæ eſſentiæ omnium rerum, potiſſimum pro uſu medico, auxit optimis rebus, ejuſdem aut ſimilis argumenti*, Baſ. 1561. 8. *Chemicorum præcipuorum volumen, cum præfationibus, prolegomenis & obſcurorum aliquot locorum declarationibus*, Baſ. 1561. fol. 1572. 8. Præterea aliorum opera partim dudum edita, partim nunquam edita, correxit, uti ſunt: *Petri de Albano* vel *Apano* libellus de *venenis*, ad manuſcriptum exemplar: cui adjecit inſuper multa ejuſdem argumenti utiliſſima, nec antea in lucem edita, 8. *Chirurgicus libellus* per juſta capita diſtinctus, gallica lingua ſcriptus. *Scriptores, qui conſilia & curationes de ſudore anglico amiſerunt*. *Theatrum Galenicum Aloiſii Mundella*, completum & in meliorem ordinem redactum, Baſ. 1568. fol. *Thaddæi Florentini & Guilielmi de Brixia conſilia medica*. *Wilhelmi Aneponymi dialogus de ſubſtantiis phyſicis*; incerti autoris libri tres *de calore vitali, de mari & aquis, de fluminum origine* induſtria G. Grataroli ab interitu vindicati, Arg. 1567. 8.

PROFESSORES MEDICINÆ PRACTICÆ.

I. Oswaldus Berus, Academiæ Baſilienſis *Janus* vocatus, ut qui Jani cujuſdam bifrontis ad inſtar, uti veterem Academiam, errorum inundatione vaſtatam, Rector illius ultimus, clauſit, ita per παλιγγενεσιαν repurgatæ fores reſeravit, clavi moderamen primus ipſe contingens, natione fuit Atheſinus, natuſque a. 1482. A prima ætate bonas literas, & quidem, quas vocant, humaniores, paucis illo tempore excultas, amavit atque excoluit. Mature Argentorati ſcholæ Carmelitanæ gubernacula tenuit, in quo munere impigre eſt verſatus, non modo juventutem bonas literas ſed & bonos mores docendo, cum in unum volumen collegerit & in

ſchola

ſchola tractaverit, quicquid optimi auctores de juventute bene inſtituenda ſcripſerunt. Jam a. 1510. Baſileam venit, nomenque in Rectoris matricula profeſſus eſt. Præter Philoſophiam, in qua Doctoratum obtinuit, Theologiæ & Medicinæ vacavit, utriuſque partis hominis Medicus futurus, maxime tamen corporis Medicinam excoluit, & ſupremum in hac arte gradum adſcendit; profeſſio etiam Medica ei fuit commiſſa, quo vero anno id acciderit, non eſt notatum; hoc conſtat, eum per 55. annos collegii medici membrum exſtitiſſe, citius ergo in illud receptus fuiſſe oportet. Ceterum non partem aliquam Medicinæ ſed univerſam Medicinam ob Medicorum raritatem auditoribus expoſuit, ipſeque gratioſum ordinem per complures annos ſolus ſuſtinuit, per 20. fere annos continuos Decanatum Med. adminiſtrans. A. 1529., cum Academia ob ſacrorum immutationem a pleriſque Profeſſoribus aliiſque Doctoribus deſereretur, ejus Rectoratum geſſit difficillimum, & ab eo providus Civitatis Magiſtratus Cal. Junii Academiæ archivum, fiſcum, ſceptrum argenteum a. 1516. reſtauratum, itemque ſigillum argenteum a. 1516. confectum, (a fundata Academia ad illum uſque annum ſigillum plumbeum erat) petiit, ſibique, ne quid a malevolis alienaretur, adſeruit. Abhinc per triennium fere Academia quaſi ſepulta jacebat, vacuis & docentium & diſcentium ſubſelliis. Anno vero 1532. rebus, Dei gratia, in melius converſis, prudentiſſimi atque optimi Magiſtratus cura etiam Academia reſurrexit, undique lautis ſalariis optimis doctoribus accitis. In his primarius erat Berus noſter, quem Magiſtratus denuo Medicinæ Profeſſorem, reſtauratæ Academiæ Rectorem ſimulque civitatis Archiatrum conſtituit, omnia ei reddens, quæ apud ſe depoſita habuit, Academiæ inſignia atque documenta, cum omnibus Privilegiis, Juribus atque immunitatibus, die ſc. 12. Sept. a. 1532. Rectoratum poſtea adhuc duabus vicibus ſuſtinuit laudabiliter, rudeque donatus in extrema ſenectute præclaram vitam finiit a. 1567. uti teſtatur hoc ei poſitum Epitaphium: *Heus viator: triſtis ſpiritus & mentem conſumit & oſſa.* Oſwaldus *ego* Berus *fui*, *non Cous ille ſenex*, *ſed urbis hujus Hippocrates. Vixi lætus*, *lætus obivi*, & *Domino vigilans Domino tandem obdormivi.*

Quid ultra? mortalitatis exuvio poſt VXC. *æt. an. heic depoſito cum Chriſto lætus reſurgam. An. Ch. 1567.*

Scripſit *commentaria in Apocalypſin*; l. *de veteri & novitio Deo*; *de veteri & nova fide*, vernacula lingua 1521. 4. in lat. transl. ab *Hartmanno Dulichio*, 4. *Catecheſin puerorum in fide*, *in literis & in moribus*, ex Cicerone, Quintiliano, Plutarcho, Angelo Politiano, Rod. Agricola, Eraſmo, Melanchthone atque aliis, tomis digeſtam quatuor; item *Programma* Cal. Nov. a. 1532. publica auctoritate editum, quo Academiæ Baſil. reſtaurationem ſolenniter indicavit, exteroſque ad eam frequentandam invitavit, quod hic ſubjungimus:

Rector Gymnaſii Baſilienſis ſtudioſo juveni S.

Si nihil (ut dicunt) in omni vita difficile magis eſt, quam rectum quod ſit, verumque, qualibet in re tueri, & medium, quum cætera circum omnia in errorem ducant, ſequi: magna admiratione dignus Senatus *noſter eſt, majorum veſtigiis, per quæ velut unam, veramque vivendi viam vulgo curritur, ſic inſiſtens, ut quum depravatam religionem ab illis acceptam declinaſſet, cætera præclara eorundem inſtituta omnia, ſumma cum veneratione ſervarit, nec (qui barbaris mos eſt), ad virtutem temere graſſando in vitium impegerit: late ſcilicet ab his diſſentiens, qui quicquid majores conſtituerunt, tanquam ſacrum amplecteruntur tenentque: multo vero ab illis maxime, quibus nihil quam quod ſit novum, ſatis hodie placet. Igitur ad fontes doctrinæ ſacræ ſic perventum nobis eſt, ut nihil ex omni laudabili majorum inſtituto perierit: præſertim vero ſtudia liberalia, artesque bonæ, majori privilegio, majori apud nos plauſu nunc coluntur: ſtatque ſuus literis honor, & vere debita Muſis ſceptra fulgent adhuc: adhuc ordines claſſeſque profeſſionum ſunt: adhuc tyrocinia, & ab his deinde ad majora gradus: adhuc laborum & diligentiæ teſtimonia tituli, jucunda ſtudioſis præmia, diſtribuuntur: idque ſine fraude, ſine quæſtu turpi omnia, omnia certo cum fructu: ac ut in ſumma dicam, adhuc non nomine tantum, ſed re γυμνασιον durat. Quæ quidem publice teſtari nihil neceſſe ſit, niſi fama ſparſa fuiſſet, gymnaſium & ſtudia literarum apud nos abolita eſſe. Neque enim baderam iſtam, lector bone, vino parum vendibili adornamus, fucumve tibi facimus: experiri modo velis. Lectiones dicam, dicam profeſſores. Vetus & novum inſtrumentum in ſua utrunque nativaque lingua, illud* Phrygio, *hoc* Myconius *ediſſerit, pari dexteritate, pari uterque fide: eſtque pro naniis Theologicis illis, in ſchola Chriſtiana audire nunc Moſen & Apoſtolos, oracula divina, vicibus pandem-*

pandentes. In jure professor Amerbachius *est, unus omni juri edisserendo par satis: qui ipse quoque veterum placitis crepundia Justiniani, per vices, tyronum gratia, prælegendo miscet interim, dum laborum socius (quod mox futurum est) aliquis adjungatur. Nos ipsi Medicinam sic profitemur hactenus, ut quum e fontibus ipsis, Græcis illis principibus Hippocrate & Galeno, purissimos latices exhibere nequiverimus, ex haud procul inde fluentibus rivis, latina illorum tralatione propinemus: ea plane spe, ut confidamus haud ita multo post his ipsis apud nos futurum locum. Linguas* Sebastianus Munsterus, Simon Grynæus, Albanus Torinus *docent, suis quisque lucubrationibus editis tibi lector non ignoti, nihil non facientes, dum consulant studiosis. Jam Mathematica θεῖον πρᾶγμα, Dialectica τὸν τῆς φιλοσοφίας ῥητορικὸν, conatu pari, pari diligentia, illa quidem* Guolphangus Vuisburgus, *hæc* Simon Sultzerus *tradunt, cum solertissimis disciplinis solertissimi homines haud frustra contendentes. Hæc ita quotidie procedunt, lector, boris hocisque suis distributa, ut auscultare singula possis, atque id nusquam pedem movens. Est enim domus eadem, in qua venientes commode rebus omnibus accipiuntur, & disciplinæ nectar studiosis, horis omnibus fluit. Taceo privatas interim, cum in linguis, tum in disciplinis exercitationes, consuetudinem & conversationem domesticam cum doctis: urbem puritate aurea, proximarum alpium flatu, meridiei plagam infestam felicissime temperante, pulcherrimoque flumine veterem novamque Basileam placidissime medias interlabente, saluberrimam: magno præterea divitiqué, propter vicini Brisgoi Elsaticique agri fœcunditatem, rerum omnium proventu beatissimam: ad hæc veteri civium humanitate mire hospitem. Quamquam quid attinet, Basileam inexhaustam tot jam annis Latinorum, nunc jam etiam Græcorum, ac mox, nisi fallor, Hebraicorum omnis generis librorum matrem, propter egregia beneficia nulli doctorum ignotam, bonis omnibus charissimam, commendare verbis? Ades igitur lector bone, dabimus operam, ut qua progenitrix librorum est, quaque revivíscenti vetustati obstetricatur tam feliciter, eadem domicilium (si fata sinant) Musarum fiat. Bene vale. Basileæ, Cal. Novemb. Anno* M. D. XXXII.

SENATUS CONSUL.

(L. S.)

(L. S.)

II. SEBASTIANUS SINCKELER, Medic. Doct. & Prof. Decanatum Med. geſſit a. 1532. & ab eo, ut & *Albano Torino*, Collega, *Conradus Geſnerus*, Tigurinus, Doctoratu medico inſignitus legitur. A. 1534. Theoreticæ Profeſſor fuit conſtitutus, hinc in matricula academica a. 1536. Medicinæ Doctor ordinarius vocatur. Eodem anno nomine Ordinis ſui conſilium dedit de emendando ſtudio Medico, quod cum iis, quæ *Andr. Caroloſtadius*, Theologus, & *Bonif. Amerbachius* atque *Petrus Pitrellius*, Jure conſulti, quod ad ipſorum Facultates adtinet, de eodem argumento compoſuerunt, hodie adhuc in Archivo acad. legitur. A Profeſſione autem Theoretica ad Practicam fuit vocatus an. 1545. Oſw. Bero honorifice ab officio dimiſſo. Quamdiu vero in docenda medicina practica fuerit verſatus, non liquet; hoc tradit Vrſtiſius in Mſ. Berum a. 1547. Seb. Sinckeleri ægrotantis vices ſuſtinuiſſe.

III. JOHANNES HUBER, Baſilienſis, primum hujus cœli ſpiritum hauſit a. 1507. patre genitus Martino, Ravensbergo Suevo, Baſileæ autem civitate donato. Puer in ludo patrio prima elementa didicit, poſtea Seleſtadium miſſus *Joh. Sapido* in diſciplinam eſt traditus; deinceps in patriam reverſus *Henr. Glareanum* audivit. A. 1525. augendæ eruditionis cauſa Lutetiam petiit, tantaque diligentia in literis verſatus eſt, ut Magiſtri artium titulum merens acceperit. Inde ad alias Galliæ Academias converſus Medicinæ incumbere cœpit, inprimis Montispeſſuli & Toloſæ, ubi etiam ob inſignem eruditionem, præcipue Linguæ Græcæ peritiam, Rector academiæ eſt deſignatus. Exactis tandem in Gallia annis XI. Medicique Doctoris gradu nacto, in patriam rediit a. 1536., & medicinam exercere incepit, eo ſucceſſu, ut non civibus modo ſed & nobilibus, comitibus, & vel ipſis principibus gratus eſſet & deſideratus; omnium horarum homo, qui & ſeria agere, & jocos ſpargere, prout res poſtulabat, didicerat, gravitatem comitate temperans. Proceres Academiæ a. 1544. profeſſionem Phyſices ei demandarunt, itemque mortuo, ut videtur, Sinckelero, a. 1549. profeſſionem Medicinæ practicæ, quam, vivo Bero, rude donato, vicario nomine, ipſo autem a. 1567. defuncto, ordinarius omni fide atque diligentia adminiſtravit, eodem anno & Archia-

Digitized by Google

Archiater conſtitutus. Ingenti vero bonorum luctu mortalitati exemtus eſt d. 10. Febr. a. 1571. ex chordapſo, relicta *Margaretha Wœlflin*, uxore, XVII. liberorum matre; filiiſque, *Joh. Rodolpho*, qui a. 1594. Conſul, & *Joh. Wernero*, Medico, qui Philoſ. pract. Profeſſor fuerat electus; præmiſſo vero *Martino* JC., Codicis Profeſſore.

Scripſit in Razis lib. IX. practicum *de vera ratione medendi.*

IV. FELIX PLATERUS editus eſt in lucem Baſileæ a. 1536. patre Thoma Platero, Gymnaſiarcha, matre Anna Dietſchin. Adoleſcentiam rei medicæ totam devovit, & in ea ita cito propria magis induſtria quam præceptorum inſtitutione profecit, ut jam a. 1557. ab Oſw. Bero Baſil. Medicinæ Doctor crearetur. Qui honores tantum abeſt, ut animum ſciendi cupidum expleverint, ut potius ad ſummam artis medicæ perfectionem accenderint, adeo ut in univerſa Medicina vix quicquam fuerit a plurimorum ſenſu remotum, quod ille non proprio marte, ingenii promtitudine judiciique acrimonia penetrarit, quo tantam nominis famam ſibi comparavit, ut poſt varias peregrinationes ſuſceptas a. 1570. Baſileæ profeſſionem Medicinæ Practicæ, eodemque adhuc anno munus Archiatri civitatis reportarit, quo utroque munere, raro exemplo, annis 57. fuit perfunctus; cumque hæc ejus ad cathedram medicam evectio fama ad oras exteras eſſet delata, repente magno numero ex variis, etiam diſſitis, regionibus Baſileam, ad eum tanquam alterum Hippocratem, certatim confluxerunt ſtudioſi, quorum ipſe plurimis, nempe CLX. tiaram doctoralem impoſuit. Non ſolum autem in cathedra docuit, ſed & ipſo facto exercuit Medicinam feliciſſime, civibus ideo atque peregrinis, principibus etiam deſideratiſſimus, potiſſimum chriſtianiſſimæ *Catharinæ*, magni *Henrici* IV. ſorori unicæ, nec non illuſtriſſ. ac potentiſſimis Saxoniæ, Lotharingiæ, Wurtembergiæ & Brandenburgiæ principibus, quibus ſæpe ſanitatem, & deploratam quidem, divina ope, artis ſuæ miniſterio reſtituit, a quibus utut ſæpe vocatus, rogatus, ampliſſimiſque præmiis ſollicitatus, maluit tamen in patria modice quam in aula ſplendide vivere, ut eſt patriæ fu-

mus alieno igne luculentior. Basileam a. 1564. & 1610. peste ita vastante, ut esset

-- -- -- -- -- *crudelis ubique*
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Felix Platerus ea remedia laboranti civitati adtulit, quibus plurimi ægroti sanitati restituti, plures a contagione fuerunt conservati, malumque ipsum mitigatum & tandem, Deo bene fortunante, penitus exstirpatum fuit. Præter hasce virtutes medico proprias in omni vita coluit innocentiam, quæ omnibus studuit, nocuit nemini; temperantiam, qua modico honorario fuit contentus, sæpius etiam liberalem & gratuitam operam iis, qui re minus erant lauta, impertitus; humanitatem, qua summis, mediis, imis facilem & amabilem se præstitit. Musica utraque, ea quæ voce & quæ instrumentis exercetur, mirifice capiebatur, utriusque peritissimus. Conjugem sibi accivit *Magdalenam Jeckelmann*, quacum LVI. annos, sine prole, pie atque honeste exegit. Splendidis, quas possidebat, ædibus junctum habuit hortum spatiosum, vere medicum, plantis indigenis atque exoticis satum, ipsiusque manu excultum. Cimeliarchum etiam rerum naturalium copia præclarum magno studio atque sumtu instruxit, nostra vero ætate, exstincta ejus familia, dissipatum. Academiæ fasces sexta vice gessit cum laude & sine exemplo. In terris, ut cœlo frueretur, esse desiit d. 28. Jul. a. 1614. hydropisi atque phthisi absumtus.

Edidit tractatum de *mulierum partibus genitalibus*, Bas. 1586. 4. Argent. 1597. fol. l. de *alimentis*; l. de *medicamentorum compositione*; tractatum de *corporis humani structura*, c. f. Bas. 1583. fol. ib. 1603. tract. de *functionum læsionibus* l. 2. Bas. 1602. 8. *Praxeos medicæ* Tom. tres, Bas. 1602. 1625. 1656. 1666. 4. *Observationum* L. III. ib. 1614. 1641. 1680. 8. tract. de *doloribus* l. 1. Bas. 1603. 8. Tract. de *vitiis, quæ corpori accidunt* l. 3. Bas. 1608. 8. l. de *Febribus*, adjunctis historiis 20. Francof. 1597. *Quæstionum medicarum paradoxarum & endoxarum centuria posthuma* prodiit Bas. 1625. 8. Paris. 1632. 8. itemque tract. de *origine partium, earumque in utero conformatione*, Lugd. Bat. 1640. 8. Nonnulla etiam scripsit, quæ hactenus non sunt edita.

V. Ca-

Digitized by Google

V. CASPAR BAUHIN in mundi hujus ſcenam intravit d. 17. Jan. a. 1560., matre *Johannâ Fontanea*, patre *Johanne Bauhino*, Ambiano, Medico-Chirurgo conſummatiſſimo, *Catharinæ* Navarræ Reginæ Medico ordinario, qui a. 1532. lecto Pariſiis N. T. ab Eraſmo edito pontificiam religionem deſeruit & ſecuritatis cauſa in Angliam trajecit; quem triennio poſt Lutetiam reverſum & per ſeſquiannum fere ob purioris religionis cultum vinculis conſtrictum atque jamjam comburendum, *Margarita Franciſci* I. regis ſoror precibus ſuis liberavit, & Medicum ſuum conſtituit, qui vero mox iterum nova Evangelii per totam Galliam oborta perſecutione, ſuadente ipſa Regina, primum Antverpiam, cumque nec hic ſatis tutus eſſet, deque vita periclitaretur, monente civitatis præpoſiti uxore, cui necis ejus conſilium innotuerat, Germaniam atque tandem anno æt. 32. Baſileam petiit, ob præclara merita civitatis jure donatus, obiitque a. 1582. æt. 71. Noſter Bauhinus difficillimo atque ſingulari partu natus a piis parentibus, ut Deo in eccleſia ſerviret, deſtinatus quidem fuit, ſed cum primos pueritiæ annos continuis febribus, oculorumque atque capitis doloribus tranſigere debuiſſet, eaque linguæ tarditate laboraret, ut vix anno ætatis quinto articulate loqui poſſet, ſententiam ſuam mutare coacti ſunt, alia tamen via, qua ſe Deo gratum proximoque utilem exhiberet, eum incedere juſſerunt. Puer ſexennis, quem alter fidei ſponſorum, *Caſparus Helletus*, Belga, tanto favore complexus fuit, ut eum totius bibliothecæ ſuæ omniumque mobilium bonorum hæredem ex aſſe inſtituerit, Gymnaſii noſtri claſſes intravit eaſque a. 1572. ad lectiones publicas promotus reliquit. Firmiſſimis in philoſophia jactis fundamentis, & utroque honoris gradu adepto, quadriennio poſt, natura & paterno exemplo invitante, Medicinæ ſe totum conſecravit, & ducibus patre aliiſque præceptoribus, accedente indefeſſa diligentia, ingeniique excellenti præſtantia, omnes ejus partes ſibi fecit notiſſimas, etiamque Anatomiam & Botanicam, quarum tunc neutra publice docebatur. His nondum contentus, ſed ſcientiam magis adhuc ditaturus, a. 1577. in Italiam profectus, Patavii ſubſtitit, ubi in Phyſicis *Franc. Picolhomineum*, in Medicis *Hier. Mercuriaſem*, *Hier. Capivaccium* alioſque audivit, præcipue vero anatomico atque botanico

ſtudio incubuit, hujuſque cauſa hortos nobiliores totius Italiæ fere omnes, agros monteſque non ſine periculo ſtudioſiſſimus obſervator luſtravit. Abſolutis cum fructu atque deliciis peregrinationibus italicis, ſuos iterum viſitare ſtatuit, ſed vix iis ſalutatis a. 1579. novum iter in Galliam inſtituit & per annum circiter Monſpelii verſatus peritiam ſuam haud parum locupletavit. Dein Montisbelgardi apud fratrem Johannem, principis Wurtembergici archiatrum commoratus per menſem, etiamque in Germaniam profectus Tubinga tandem a. 1580. a patre revocatur, & doctrina atque peritia medica prægnans rediit. Theſaurum autem eruditionis magno ſumtu atque labore comparatum ſibi ſoli retinere noluit, ſed eum mox aliis fruendum aperuit, Anatomiam atque Medicinam privatus docens atque exercens, etiam a. 1581. auctoritate Senatus Medici, cum a decennio nulla habita fuiſſet anatome publica, per dies complures cadaver virile ea dexteritate ſecavit atque demonſtravit, ut omnium votis Anatomicus ordinarius expeteretur; ſed nondum hujus Profeſſionis aderat maturitas. Eodem autem anno 1581. laurea Apollinea condecoratus fuit Medicus noſter, uxoreque optima beatus, *Barbara Vogelmann*, filia viri ordinis equeſtris atque Cancellarii Principis Wurtembergici, *Hectoris Vogelmanni*. Sequenti ſtatim anno novi honores ſecuti; nempe privato conſilio Senatus Medicus ei Anatomiam & Botanicam docendam commiſit, & d. 23. Apr. a. 1582. ordinariam linguæ Græcæ profeſſionem eidem decreverunt Academiæ proceres. Cui cum per ſexennium omni laude præfuiſſet, tandem decernente ſummo Magiſtratu tertia Medica profeſſio, Anatomiæ ſc. & Botanicæ, creata, noſterque Bauhinus primus ejus Profeſſor fuit conſtitutus, idque omnium votis atque adplauſibus, eam d. 15. Oct. 1589. auſpicatus erat publice. Hæc autem promotio exteros majori copia ad nos adduxit, fama ejus abſque publicis edictis atque programmatibus invitatoriis longe lateque ſeſe diffundente; tanta copia, ut Bauhinus Agonothetæ officio plus quam quadragies perfunctus, myſtas apollineos examinarit 698. & corona phœbea exornarit ultra ducentos. In hoc campo ſtrenuus fuit verſatus, donec d. 13. Oct. a. 1614. profeſſio Medicinæ practicæ ſucceſſionis jure ei obtigit; ſimulque eodem anno Magiſtratus eum ſui civiumque

que ſuorum Archiatrum conſtituit; nec non Dux Wurtemb. propoſito ſtipendio ampliſſimo inter primarios ſuos Medicos accenſuit. His cunctis muneribus fide perfecta perfunctus præmia a ſupremo accepit Brabeuta d. 5. Dec. 1624. Ex tertio demum conjugio ſuſcepit atque reliquit unicum filium, *Joh. Caſparum*, paternarum virtutum atque dignitatum hæredem.

Scripta ejus edita hæc ſunt præcipua: *Franc. Rouſſeti l. de partu cæſareo* e gallico in latinum tranſtulit & edidit, Baſ. 1586. 4. 1588. 8. 1591. 8. *Appendix ad Franc. Rouſſeti librum de partu cæſareo*, varias & novas hiſtorias continens, quibus quæ in illo tractatu continentur, comprobantur. Exſtat in Gynæciorum libris a Spachio editis p. 480. Arg. 1597. fol. *Anatomes l.* 1. *de humani corporis partibus externis*, Baſ. 1588. & 1591. 8. *Anatomes l.* 2. *partium ſimilarium ſpermaticarum tractationem per quatuor cauſas ex Hippocratis, Ariſtotelis, Galeni & recentiorum doctrina traditam continens.* Baſ. 1592. 8. *Notæ in Aloyſ. Anguillaram de ſimplicibus.* ib. 1593. 8. *De plantis Abſinthii nomina habentibus.* Montisbel. 1593. 8. *Phytopinax*, ſ. *enumeratio plantarum* 2460. *ab herbariis noſtro ſeculo deſcriptarum cum earum differentiis: cui plurimarum hactenus ab iiſdem non deſcriptarum* 164. *ſuccinctæ deſcriptiones & denominationes acceſſere; additis aliquot hactenus non ſculptarum plantarum vivis iconibus*, Baſ. 1596. 4. *Anatomica corporis virilis & muliebris hiſtoria.* Lugd. 1597. 8. Baſ. 1609. 8. *Animadverſiones in hiſtoriam generalem plantarum Lugduni editam; item catalogus plantarum in Lugdunenſi opere bis terve poſitarum.* Franc. 1601. 4. *Oratio de homine*, Baſ. 1614. 4. de *Hermaphroditarum monſtroſorumque partuum natura, Theologor., Jureconſultor., Medicor. Philoſoph. & Rabbinor. ſententia, libri* 2. *hactenus non editi, plane philologici, infinitis exemplis illuſtrati.* Oppenheim. 1614. 8. Franc. 1604. & 1629. 8. *Inſtitutiones anat. Hipp. Ariſt. Galeni auctoritate illuſtratæ.* Baſ. 1604. 4. Franc. 1616. 8. de *Locopoſitione medicamentorum ſ. medicamentorum componendorum ratio & methodus in prælectionibus publicis propoſita*, Offenbach. 1610. 8. Franc. eod. *de lapidis Bezoar orientalis & occidentalis, cervini item & germanici ortu, natura, differentiis, veroque uſu ex veterum & recentiorum placitis liber*, Baſ. 1613. & 1625. 8. *De remediorum formulis, Græcis, Arabibus, & Latinis uſitatis, exemplis ad pleroſque morbos accommodatis, illuſtratis, plurimis ratione inventis, experientia confirmatis, ſecretique loco habitis, & comprobatis l.* 2. Franc. 1619. 8. Πρόδρομος *theatri Botanici, in quo plantæ ſupra* 600. *ab ipſo primum deſcriptæ cum plurimis*

figuris proponuntur. Editio altera. Franc. 1620. 4. Baſ. 1671. 4. *De corporis humani fabrica* l. 4. *Methodo anatomica in prælectionibus publicis propoſita: ad Andr. Veſalii tabulas inſtituta, ſectionibuſque publicis & privatis comprobata, multis denique novis inventis & opinionibus aucta.* Baſ. 1590. 8. Franc. 1621. 4 *Theatrum anatomicum infinitis locis auctum ad morbos accommodatum & ab erroribus ab auctore repurgatum, obſervationibus & figuris aliquot novis æneis illuſtratum. Opera Joh. Theod. de Bry.* 1621. 4. *Catalogus plantarum circa Baſileam ſponte naſcentium, cum earundem ſynonymiis & locis, in quibus reperiuntur, in uſum ſchola Medica, quæ Baſileæ eſt.* Baſ. 1622. 8. *Pinax theatri Botanici ſ. index in Theophraſti, Dioſcoridis, Plinii & Botanicorum, qui a ſeculo ſcripſerunt, opera; plantarum circiter 6000. ab ipſis exhibitarum nomina, cum earundem ſynonymiis & differentiis, methodice ſecundum earum genera & ſpecies proponens, opus 40. annorum.* Baſ. 1596. & 1624. 4. ad Auctoris autographum denuo edit. Baſ. 1671. 4. *Epiſtolæ aliquot Medicæ exſtant cum ciſta Med. Joh. Hornungi.* Norimb. 1625. 4. & Lipſ. 1661. 4. *Jac. Theod. Tabernæmontani herbarium cum multis figuris &c.* germ. Baſ. 1625. fol. *Vivæ imagines partium corporis humani æneis formis expreſſæ & ex theatro anatomico Caſp. Bauhini deſumta,* Baſ. 1620. 4. itemque *opera & ſumtibus Matth. Meriani,* Franc. 1640. 4. *Theatri Botanici ſ. hiſtoriæ plantarum ex veterum & recentiorum placitis propriaque obſervatione concinnatæ* l. 1. Baſ. 1658 fol. *Stirpium aliquot obſcurius denominatarum explicatio exſtat cum Dionyſii Jonquet horto.* Par. 1659. *De monſtris Inſtitutiones anatomicæ* ſexto editæ. *Theatrum practicum non divulgatum. Petri Andr. Matthioli opera, quæ exſtant omnia,* Franc. 1598. fol. hoc eſt: *commentarii in 6 libros Pedacii Dioſcoridis Anazarbei de medica materia, adjectis in margine variis græci textus lectionibus ex antiquiſſimis codicibus deſumtis, qui Dioſcoridis depravatam lectionem reſtituunt, a Caſp. Bauhino poſt diverſarum editionum collationem infinitis locis aucti: Synonymiis quoque plantarum & notis illuſtrati: adjectis plantarum iconibus ſupra priores editiones plus quam 300.* (quarum quam plurimæ hic primum deſcribuntur) *ad vivum delineatis. De ratione diſtillandi aquas ex omnibus plantis, & quomodo genuini odores in ipſis aquis conſervari poſſint.* Item *apologia in Amatum Luſitanum, cum cenſura in ejuſdem enarrationes epiſtolarum Medicinalium* l. 5. *Dialogus de morbo Gallico, cum locupletiſſimis indicibus.* Editio 2. curante Joh. Caſp. Bauhino, fil. Baſ. 1674. fol. *Guil. Varignana ſecreta medicinæ ad varios curandos morbos veriſſimis auctoritatibus illuſtrata, cum additionibus C. Bauhini,* Baſil. 1597. 8. *Introductio pulſuum ſynopſin continens,* Baſ. 1602. 8. *Epiſtola*

la anatomica curiosa ad Voglerum patrem, inserta Ephem. Nat. Cur. Dec. 1. p. 596.

VI. THOMAS PLATER procreatus est d. 24. Jul. a. 1574. patre *Thoma Platero*, Gymnasiarcha, & *Esthera Grosi*. De hac memorabili nativitate hoc singulare refert a. 1614. Felix Platerus, Thomæ nostri frater: *Pareus meus p. m. Thomas Platerus defuncta prima uxore matre mea a. 1572. & ætatis suæ 73. secunda ducta uxore, sex ex illa liberos intra decemium procreavit, duos filios & quatuor filias, quarum ultima anno ætatis illius 81. biennio ante obitum ejus, nata fuit. Et quod memorabile est, inter duos ipsius filios me Felicem a. 1536. & Thomam a. 1574. natum intervallum intercurrit annorum 38. & tamen hic meus frater, cujus avus esse possem, capillos pluribus canis habens conspersos, forte quod patre sene natus sit, me senior videtur esse.* Puer 9. annorum patre orbatus, fratre Felice usus est patre, a quo filii loco habitus optimam educationem atque institutionem accepit. Studiis dicatus & a. 1590. Rectoris acad. matriculæ insertus philosophiæ diligentem operam navavit, & uno eodemque anno, 1592. & Laureatus & Magister fuit creatus. Arti medicæ omnibus viribus incumbens nihil intermisit, quo celebrem Fratrem Felicem, si superare non esset datum, saltem æquaret, ejusque vestigia legeret; ipsi etiam contigit adeo esse felici, ut sicut facultatum ejus hæres evasit, etiam ejus virtutes atque eruditionem adsecutus easdem dignitates obtineret. Medicinæ Doctor a. 1600. creatus medicinam gnavus felixque exercuit, magnumque ægris sese exhibuit auxiliatorem. Muneribus etiam Academicis adhibitus maximo fuit emolumento; d. 13. Oct. 1614. Anatomiæ & Botanices, & d. 10. Maj. a. 1625. Medicinæ Practicæ Professor, nec non eodem hoc anno Poliater constitutus, singulis munerum partibus ex asse satisfecit. In conjugio blande vixit cum *Christchona Jeckelmann* per 22. annos, liberosque sex suscepit, in quibus eminuerunt *Franciscus* J. V. L. cœlebs defunctus & *Felix*, Med. Doct. Physic. Prof. postea senator atque Archiater, de quo suo loco. Thomas autem iste obiit prid. Non. Dec. a. 1628.

VII. JOH. JACOBUS A BRUNN auram cœli nostri primum

mum captavit d. 30. Sept. a. 1591. illuſtriſſimis prognatus genitoribus, patre quidem *Bonaventura a Brunn*, Tribuno plebis, Conſulis homonymi filio, matre vero *Annæ Polybiæ*, *J. Jac. Grynæi*, Theologi conſummatiſſimi, filia. Annos quinque natum avus maternus nepotem ſuis laribus excepit, gymnaſioque addixit, illic pietatis hic eruditionis ſemina concepturum uberrima. Emenſo hoc ſtadio novum intravit a. 1606. & philoſophorum prælectiones publice privatimque ſedulus magno ſtudiorum incremento audivit; prima philoſophorum corona a. 1608. ornatus ipſa philoſophiæ penetralia acceſſit, in iiſque per triennium commoratus atque ſingula rimatus a. 1611. apicem honorum philoſophicorum attigit. Superior jam eligenda erat Facultas, ad quam ingenium ſuum conferret. Ad Medicinam invitabat natura, ad Theologiam majorum imago. Tandem, conſentientibus avo atque parentibus, natura vicit, quæ juxta aptos doctores aptumque ſtudiis locum, tempus, induſtriam atque inſtitutionem a puero, primum eſt atque primarium, cujus, Hippocrate judice, compos eſſe debet, qui Medicinæ ſcientiam vere & apte ſibi comparare velit. A tam felici ergo natura ceteriſque, quas modo nominavimus, facultatibus bene inſtructus Brunnius ſtudium medicum alacris adgreditur, nihilque vaſta ejus prolixitate deterritus ſtrenue proſequitur, optimis uſus præceptoribus, *Nic. Stupano*, *Caſp. Bauhino* & inprimis *Fel. Platero*, ſuo ex ſacro fonte ſuſceptore. Sed memor jam, Medicinæ patronos, Hippocratem atque Galenum, non inſtar teſtudinis patriis laribus adfixos hæſiſſe, ſed ad perficiendam ſcientiam orbem terrarum peragraſſe, idem conſilium cepit, & a. 1613. in Galliam ſe contulit, ſedem figens Montispelii, familiaritate uſus *Petri Morelli*, Medici clariſſimi, ibique primam in Medicina lauream accepit. Poſtea, relicta hac Academia, reliquam Galliam, Angliam, Belgium & Germaniam peragravit, & quicquid notatu ſcituque dignum erat, diligenter obſervavit, tandem vero rerum ſcientia multiplicique doctrina excellens a. 1615. felix fauſtuſque patriam iterum ſalutavit urbem, eodemque anno editis ſpeciminibus artis Medicæ Doctor publice fuit promotus. Jam ad gaudiorum complementum nihil reſtabat, niſi ut

legitimo

- - - legitimo caſtam ſibi fœdere Nuptam
Jungeret, - - -

Id fuit adſecutus, cum *Vrſulam Falkeiſen*, Ezechielis Paſtoris filiam, vitæ ſociam obtineret, ex qua filiolum *Joh. Jacobum*, ſuſcepit, quem vero triſtiſſimo fato jam a. 1622. ſibi ereptum deflevit. Interim civibus atque exteris opera ſua prodeſſe ſtuduit, profuitque plurimis. Academia autem ſibi inſignem iſtum Eruditum conjunctiorem reddere & ex vaſta ejus peritia utilitatem capere contendit, quo fine ei d. 21. Jun. 1625. profeſſio Anat. & Botan. poſteaque d. 21. Maj. a. 1629. profeſſio Medicinæ Practicæ fuit oblata; nec ſpe ſua excidit Academia, utramque enim hanc ſpartam Brunnius accepit atque ita per plures annos ornavit, ut academiæ honori ſtudioſæque juventuti commodo fuerit maximo. Poſtquam autem ſatis in terris laboraſſet atque profuiſſet, corpore conſumto, ſpiritu aſtra petiit d. 22. Jan. 1660.

Scripta ejus edita ſunt: *Manuductio ad conſultationem Medicam recte inſtituendam. Decas controverſiarum de temperamenti natura & ſpeciebus*, Baſ. 1616. 4. *Syſtema materiæ, repræſentans omnia medicamenta*, Baſ. 1630. 8. *Vita & mors J. Jac. Grynæi.* Baſ. 1618. *Morelli methodum præſcribendi formulas remediorum correctiorem edidit* Baſ. 1630. 8. Lipſ. 1645. 8.

VIII. JOH. CASPAR BAUHIN, Ludovici XIV. Galliarum regis medicus atque Conſiliarius, parentes habuit *Caſparum Bauhinum* Med. Doct. atque Prof. & *Magdalenam Burcard*, quæ hunc filium enixa eſt d. 12. Mart. 1606. Vnicum filium parentes nobiliſſimi ſollicite educarunt, muſiſque dicarunt. Rudimenta virtutis atque literarum accepit tam ab ipſis parentibus quam a gymnaſii noſtri præceptoribus; in numerum ſtudioſorum philoſophiæ a. 1619. receptus diſciplinas inſtrumentales atque reales ſuo quaſque ordine ſibi familiares reddidit; inprimis linguæ latinæ atque græcæ notitiam ſibi comparavit ampliorem, brevique, optimos auctores legendo atque relegendo, puri ſermonis terſique ſtili obtinuit facultatem. Quo ſtudio atque labore meruit, ut a. 1620. prima & a. 1622. ſecunda laurea coronaretur. Ex philoſophico veſtibulo recto pede ad Apollinis fanum feſtinavit, parentem, avum, patruum olim imitatione expreſſurus atque compenſaturus. Medicinæ elementa

feliciſſima

Digitized by Google

feliciſſima memoria ſanoque judicio adjutus, adhibita etiam ſingulari diligentia, biennii ſpatio ita addidicit, ut pater judicaret, eum jam cum fructu exteras academias poſſe adire. Anno igitur 1624. iter parat, non vagabundum, ſed vere literarium, nil quidquam volvens animo, quam ut ingenti cum ſtudiorum fœnore ad ſuos redire queat, undique formicarum more coacervaturus, quibus & ſibi olim civibuſque ſuis prodeſſe & gloriam a majoribus acceptam ſi non augere, ſaltem conſervare atque poſteris integram relinquere poſſet. Hoc conſilio iter in Galliam ingreditur & recto tramite Lutetiam Pariſiorum pergit, celeberrimorum Medicorum atque Chirurgorum conſortium quærens, quod & facile invenit. In ſtudiis autem medicis cum totus eſſet occupatus, mortis paternæ nuncius eum domum vocavit; hic autem non diu moratus, ſed rebus ſuis diſpoſitis, iterum Lutetiam petiit, quo anatomica atque botanica ſtudia, medico tam neceſſaria, omnibus viribus proſequeretur; tempore autumnali a. 1625. hinc profectus, opportune per hyemem ſectionibus anatomicis intereſſe potuit, nullamque occaſionem omiſit, quin avide quamque arripuit, in iſto ſtudiorum genere proficiendi, non intermittens tamen acquirere, quæ ad praxin medicam facere videbantur, experientiæque theſaurum inſigniter auxit, præcipue uſus familiaritate Regis Reginæque medici ordinarii, Domini *Guilielmi Yvelini*. Tempore æſtivo ſequentis anni 1626. cupido Noſtrum inceſſit, & Angliam videndi, Londinum ergo perrexit; hinc Oxonium atque Cantabrigiam, Londinoque denuo petito, poſt menſtruam commorationem in Belgium trajecit, ſedemque elegit Lugdunum Batavorum; hic moratus uſque ad vernum tempus a. 1628. botanici ſtudii cauſa tertia vice Lutetiam Pariſ. proficiſcitur, & per aliquot menſes hortos regios aliaque viridaria quotidie excurrens curioſis oculis luſtrat. Inde ejuſdem ſtudii cauſa Montiſpeſſulum ſe contulit, atque reditum in patriam parans illinc Maſſiliam, Avenionem, Valentiam, Viennam, Lugdunum atque Genevam perrexit, tandemque multiplici eruditione medica ditatus ſalvus patriæ redditur, eodemque anno 1628. Medicinæ Doctor creatur, poſtquam præter alia ſpecimina prius diſputationem de *peſte* & orationem habuiſſet de quæſtione: *cur hominum quam aliorum animalium corpora*

ra pluribus morbis ſint obnoxia? Ab hoc tempore Medicinam exercere incepit, tanto, fortunante Deo, adplauſu atque ſucceſſu, ut civibus gratiſſimus exteriſque deſideratiſſimus exiſteret; nec tantum vicini nobiliores ſed & principes remotiores ejus conſilio fuerant uſi, duxque Montisbelgardenſis atque Marchio Bada-Durlacenſis Medicum ſuum eum cooptarunt. Quin & ipſemet Galliæ rex, Ludovicus XIV. fama Bauhini per ipſius ad Helvetios Legatos, quibus ægrotantibus peritiæ ſuæ argumenta dederat certiſſima, ad eum perlata, Medicum ſuum ordinarium eundem conſtituit, exhibito annuo ſalario, honoribus, privilegiiſque, quibus regii Medici frui ſolent, conceſſis, ut diploma regia manu ſubſcriptum fidem facit. Nec praxin tantum feliciter ſed & theoriam diligenter exercuit, cujus inprimis anſa ei fuit oblata, cum d. 29. Maj. a. 1629. Anatomiæ atque Botanicæ Profeſſor ordinaretur. Huic autem cum magno ſtudioſorum fructu ſuique nominis fama per triginta annos & ſupra præfuiſſet muneri, ad aliud fuit vocatus, nempe d. 31. Aug. 1660. ad profeſſionem Medicinæ Practicæ, cui non minori fide atque diligentia, dum vixit, vacavit. Rectoratus acad. officium quinquies, Decanatus Med. decies novies adminiſtravit, & ſeptuaginta & uni Doctoratus Med. inſignia contulit. Inter hos labores connubium iniit duplex, primum d. 11. Jul. a. 1631. cum *Barbara Bitto*, quæ ſex filios & quatuor filias ei peperit, quorum filius unus duæque filiæ in prima infantia Creatori redditi ſunt; ex ſuperſtitibus filiis tres Medicinæ, duos Theologiæ addixit, *Johannem* vidit paſtorem Mullhuſinum, dein Mutteteníem, *Hieronymum* ſibi in Botanica profeſſione ſubrogatum & *Samuelem* in Palatinatu paſtorem. Sed hos poſteriores morte acerbiſſima ſibi ereptos luxit; ex Hieronymo duos oſculatus nepotes, *Joh. Caſparum*, Medicinæ & *Joh. Ludovicum* Juris Cultorem; ex nepotibus *Danielem Battierium*, filiæ *Magdalenæ*, Caſparo Battierio mercatori nuptæ, filium ipſe a. 1679. Medicinæ Doctorem renunciavit, paulo poſt vero Lutetiæ Pariſ. maligna febri exſtinctum. Hac uxore d. 9. Jan. 1649. defuncta, alteram duxit a. 1654. *Annam Mariam Meyer*, ex qua duos ſuſcepit filios totidemque filias, a filiorum altero, *Friderico*, Medic. Doct. negotiorum per plures annos

annos ſublevationem, altero, *Chriſtophoro*, S. M. C. plurima ſolatia tulit. Tandem

per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,

ad beatas ſedes pervenit d. 14. Jul. 1685. Maraſmo ſenili conſumtus.

Edidit opus a Parente inchoatum, *Theatrum* nempe *Botanicum*, ejuſque librum 1. a. 1658. reliqui ob negotiorum multitudinem non fuere ſecuti; diſſ. de *peſte* 1628. 4. diſp. *de morborum differentiis & cauſis*, 1670. diſſ. *de epilepſia*, 1672. *Matthioli opera* cum notis Patris, 1674.

IX. Joh. Rodolphus Burcard, Medic. Doct. & Practices Profeſſor, vir ingenio & judicio, ſi quis alius, pollens, integer præterea atque in arte ſua maxime circumſpectus, prognatus eſt d. 29. Jun. a. 1637. parentibus & majoribus de Republica & Academia præclare meritis. Pater ipſi contigit *J. Jac. Burcard*, Reip. Conſul, mater autem *Catharina Iſelin*, Joh. Lucæ, Senatoris, filia; qui ambo parentes filium hunc aliquot annis ſupervixerunt; ille enim d. 1. Nov. 1690. poſt 76. æt. annum apoplecticis inſultibus, hæc a. 1696. maraſmo ſenili aliquot etiam annis ſeptuagenaria major obiit. Avus paternus ei fuit J. Rod. Burcard, J. V. D. Philoſ. Pract. per XV. annos Profeſſor, dein Archigrammateus, poſt Senator, tandem Tribunus Plebis, qui, ut ſuo loco memorabitur, occubuit a. 1657. Poſtquam autem ſub ſollicita tantorum parentum cura adolevit Noſter, Gymnaſiique publici claſſes percurrit, lectiones philoſ. publicas frequentare cœpit a. 1651. hinc facto inſtrumentalis philoſophiæ curſu ad gradum primæ Laureæ promotus eſt a. 1653. emenſoque poſtea realium diſciplinarum ſtadio Magiſterii gradu, ſ. docturæ philoſ. lauro decoratus fuit a. 1654. Cum vero tum ad ſublimiora ſtudia accedendum eſſet, invitante ſic naturæ inclinatione, medicam artem ſibi addiſcendam elegit, inque ea fundamenta poſuit ſub manuductione Profeſſorum tum publice docentium, *Eman. Stupani*, *J. Jac. a Brunn* & *J. Caſp. Bauhini*; elapſis hinc aliquot annis, ſtudii magis excolendi gratia literarium iter ſuſcepit, atque Genevam, Pariſios, Lugdunum, Monſpeſſulum, ubi aliquandiu ſubſtitit, luſtravit, poſtea Maſſiliam petiit, unde maritimo itinere in Italiam tranſiit, portum primo Genuenſem

Digitized by Google

nuenſem ſubiens, deinceps vero Liburnum, Florentiam, Piſam, Bononiam, Romam, Neapolim, Venetias, Paduam aliaque loca vidit, donec tandem a. 1659. domum reverſus Medicinæ curriculum abſolvit, atque a. 1660. d. 26. Maj. gradum in Medicina Doctoralem recepit. Anno ſequente 1661. d. 13. Mart. a proceribus acad. Mathematum Profeſſor fuit electus; ſed non diu huic muneri vacavit, quin jam d. 17. Oct. 1664. Anatomicus & Botanicus, d. 30. Sept. a. 1667. Theoricus & d. 29. Dec. 1685. Practicus fuit conſtitutus, etiamque a. 1679. a ſummo Magiſtratu Poliatri officium ei fuit delatum; quibus muneribus omnibus magna fide, dexteritate atque prudentia erat perfunctus. A. 1662. uxorem duxit *Margarethan Schœnauer*, Theobaldi, ſenatoris, filiam, ex qua protulit filios quatuor, qui omnes in tenera ætate exſtincti, & totidem filias, quarum natu maxima, *Margaretha*, a. 1683. nupſit *Theodoro Zuingero*, Eloquentiæ primum, dein Phyſicæ ac porro Medicinæ Profeſſori. Triſti autem fato ex ardente febre d. 9. Febr. a. 1687. ex vita deceſſit.

Edidit diſſ. *de Melancholia*, 1660. exercit. de *dyſenteria*, eod. *poſitiones mathematicas*, 1661. diſſ. *de morbo hungarico*. Obſerv. *de Cultrivoro Baſileenſi*. Miſc. Cur. 1672. p. 333.

X. JACOBUS ROTH in vitam introiit 3. Non. Sept. a. 1637. pater ei fuit *Albertus Roth*, fori judicialis adſeſſor atque mercator, Alberti ſenatoris filius, mater autem *Catharina Gœtz*, Jacobi Gœtzii, conſulis, neptis. Pia parentum cura, genii quoque proprii impulſu, bonis literis animum a prima ætate adplicuit, in quibus tantum profecit, ut ſuperatis minus gratis Gymnaſii exercitiis a. 1653. in ſtudioſis academicis haberi meruerit; prima laurea a. 1655. Magiſterii vero axiomate a. 1656. decoratus, totum ſe ſtudio Medico mancipavit, uſus in patria Medicis experientiſſimis, *Eman. Stupano*, *J. Jac. a Brunn*, *Joh. Caſparo* & *Hieronymo Bauhinis*. Peregrinatione quoque ſtudii Medici provehendi gratia cum *Chriſtophoro Glaſero*, Chymico regio, ſobrino ſuo a. 1664. Lutetiam Pariſiorum inſtituta, & feliciter exacta, Baſileam redux a. 1665. Med. Doctor ſolenniter fuit renunciatus. Theoriæ praxin juncturus ægrotis ex voto induſtrie conſuluit, periculoſiſſimis inprimis temporibus,

dum dira peſtis a. 1667. & 1668. Baſileæ ſæviit, deinceps quoque a. 1674. & 1675. cum febris epidemia urbem infeſtavit, ſic ut haud raro inter vivos & mortuos medius ſteterit

ac ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

præcipue cum graſſante peſte ab ampliſſ. Magiſtratu juxta *Jacobum Enderlinum* & *Felicem Tſchientſchium* Medicus noſocomio præfectus periculoſum plenumque aleæ opus, divino fretus auxilio, intrepidus ſubiit, & utroque laborum ſocio ſub ipſis initiis ſublato, ſolus ea præſtitit, quæ vix in unum hominem cadere potuiſſe eſſet credendum. Deinceps ad curandam luem contagioſam in Noſocomio & Ptochotrophio, auctoritate publica, denuo vocatus eſt, decreta ei ex Senatus conſulto in laborum & periculorum præmium, proxime vacatura quavis conveniente Profeſſione. Hinc *Joh. Henr. Glaſero* fato ſuo functo Anatomiæ & Botan. Profeſſor a Senatu acad. VI. Cal. Apr. a. 1675. deſignatur. Anno vero 1685. d. 29. Dec. poſt mortem *Joh. Caſp. Bauhini* ad profeſſionem Theoret. & denique d. 18. Febr. 1687. ad profeſſionem Practicam eſt translatus. In qua triplici profeſſione exornanda, ſtudioſis inſuper officia ſua commodando, ægrotorum quin & deſideriis indefeſſe gratificando, quoad vires corporis animique conceſſerunt, verſatus eſt diligentiſſimus. Honores academicos quoſcunque dextre geſſit, inprimis Decani Medici nona & Rectoris bina vice ſuſtinuit cum laude officium. Matrimonium iniit duplex, prius quidem cum *Barbara Muller*, ex qua duas ſuſcepit filias, patri ſuperſtites; poſterius vero cum *Sara Paſſavant*. Denique quinquennii fere ſpatio, fractis ſenſim per plures apoplecticos catarrhos viribus, laboris erat impotens, tandemque fato fuit defunctus d. 23. Maj. a. 1703.

Edidit diſſ. *de elementis & temperamentis*, 1695. diſſ. *de venaſectione; theſes medicas*, 1665. diſp. *de calido innato*, 1673. *theſes rhet.* 1688. *Horatium* cum verſione Germ. Baſ. 1671. 8. Obſerv. de *cultrivoro Baſileenſi*, in Miſc. Acad. Nat. Cur. Dec. 1. Obſ. 179.

XI. NICOLAUS EGLINGER originem duxit a *J. Henr. Eglingero*, collegii ſalitorum ſecretario, & *Anna Herzog*, d. 29. Maj. 1645. Semina virtutis atque literarum

rum cepit in gymnasio patrio, quod cum a. 1658. ad lectiones publicas promotus reliquisset, philosophiæ studium diligenter excoluit, & absoluto triennali curriculo philosophico Magister artium fuit creatus. Disciplinis philosophicis eruditus, Medicinæ, cui illæ egregie famulantur, operam navavit, omneque illi tempus tribuit. Institutione inprimis usus fuit *J. Casp. Bauhini* Med. Doct. ac Prof. nec non avunculi sui *Bernh. Verzaschæ*, Med. Doct. archiatri atque senatoris. Eruditionis dein medicæ specimen edidit publicum, dissertatione inaugurali de *peste* a. 1666. habita, tumque Doctoris medici honores atque privilegia meruit atque obtinuit. His studiis ad finem perductis, peregre abiit in Galliam, Angliam, Belgium atque Germaniam, quæ domi didicit, perfecturus atque adaucturus. Præcipue Lugdunum Bat. sedem elegit, *Sylviique* publice ibi docentis lectiones magno cum fructu audivit. Majoribus apud exteros studii medici, chymici, botanici, anatomici atque philosophici acquisitis incrementis, domum rediit, & medicinam exercere cœpit. Academiæ autem patres ejus merita agnoscentes, eaque & remunerari, fructusque ex illis percipere studentes, d. 20. Sept. 1675. Physices Professorem ipsum denominarunt, quam provinciam integro decennio haud exiguo auditorum commodo administravit; præterquam enim quod in philosophia naturali fuerit versatissimus, facultate etiam pollebat insigni, cogitata clare atque perspicue exponendi. Ex ista autem cathedra ad altiorem adscendere fuit jussus d. 29. Dec. 1685. cathedram nempe Anatomicam atque Botanicam, ipsius eruditioni magis convenientem, in qua vero non diu sedit, jam d. 18. Febr. a. 1687. ad docendam medicinam Theoreticam vocatus; denique supremam etiam Medicinæ practicæ professionem nactus est d. 10. Jun. 1703. quam cum officio Poliatri, quod ipsi a. 1687. commissum fuerat, diligentissimus obiit. Uxores duxit duas, moribus utramque compositis, quarum vero neutra ipsi justa solvebat ultima. Primum iniit matrimonium d. 14. Aug. 1676. cum *Rosina Mangold*, ex qua unicam filiam sustulit; hac a. 1680. defuncta, d. 28. Jan. 1684. duxit alteram, *Juditham Burcard*, Christophori, Tribuni plebis, filiam, quæ ei duos filios totidemque filias peperit, filiola una in tenera ætate, filiorum alter J. V. L. ante patrem obiit; filiam alteram feliciter nup-

tam, filiumque alterum, *Chriſtophorum*, veſtigiis paternis diligenter inſiſtentem, Medicinæque Doctorem creatum maximo ſuo gaudio vidit, poſtea Rhetoricæ Profeſſor idem fuit electus. Noſter autem præclaram vitam ſubito finivit catarrho ſuffocativo d. 1. Aug. a. 1711.

Edidit diſſ. *in univerſam phyſiologiam*, 1660. diſſ. *de angina*, 1661. *poſitiones ex univerſa Medicina*; 1666. diſſ. *de peſte*, eod. diſp. *de meteoris*, 1675. *centuriam poſitionum botanico anatomicarum*, 1685.

XII. THEODORUS ZUINGER, nobili ſtemmate oriundus, natalem habuit d. 26. Aug. 1658. parentes vero *Johannem Zuinger*, Theologum, & *Eſtheram Burcard*. Ipſum ad ſtudia natum fuiſſe, prima jam ætate ex docili atque liberali ingenio, quo erat præditus, conjectu erat facillimum, ideoque & illis mature fuit devotus. Scholæ latinæ claſſes citius viſitare cœpit & ſingula penſa perfecte abſolvit, idque eo animo, qui non calcar, quo inſtigaretur, ſed frenum, quo cohiberetur, deſiderabat, adeo literarum erat avidus muſarumque cupidiſſimus. Fortuitus autem eventus ipſum duodecennem progreſſu arcebat; nimia enim, quam inter canendum adhibebat, vocis intenſione tantam raucedinem atque dyſpnœam ſibi adtraxit, ut per ſeſquiannum ſonora voce careret & univerſo corpore tabeſcere inciperet. Acidulis autem Sualbacenſibus, Deo benedicente, reſtitutus ad literarum ſtudium rediit, & a. 1672., habita in promotione vernali *de Sole* oratione, arctiorem cum muſis adfinitatem contraxit. Philoſophiæ itaque cultor omnem adhibuit operam in frequentandis publicis privatiſque lectionibus, optimisque etiam evolvendis auctoribus, has ſcientias pertractantibus, ſicque latinæ græcæque linguæ, Rhetoricæ atque Logicæ, Matheſeos, Phyſicæ, Ethicæ etiam, & omnium huc pertinentium ſcientiarum atque artium, tantam acquiſivit peritiam, ut profeſſoribus ejus progreſſus explorantibus ex aſſe ſatisfaceret, & ab iis digna ſtudio præmia referret, primam quidem Lauream a. 1673. artium vero Magiſtri titulum a. 1675. Jam altiora ſcanſurus ſtudium medicum fuit amplexus, Anatomiæ, Chymiæ, Botanicæ, Chirurgiæ, Theoreticæ atque Practicæ Medicinæ ſingularem operam navans; ex conſilio præceptorum ex ipſis præcipue hauſit fontibus, patres

Digitized by Google

patres atque principes ſacræ Medicinæ, Hippocratem atque Galenum, diligenter conſulens; non tamen neglexit evolvere & in uſum convertere, quæ recentiores vel invenerunt primi, vel quæ ad meliorem veterum intellectum fuere commentati. Poſitis fundamentis ſolidioribus, conſtituit & exteras regiones pervadere, illincque eruditionis theſaurum collectum domum adferre. Primum excurrit Scaphuſium a. 1678. & poſtquam per quindecim menſes clariſſimorum Medicorum, *Wepferi*, *Harderi*, *Hurteri*, *Scretæque* hoſpitio, inſtitutione, conſuetudine uſus fuiſſet, Tigurum perrexit a. 1679. ibi in *Muralti*, *Hoſpiniani*, *Wagneri*, inprimis *Conr. Geſneri* atque *Jacobi Johanniſque Scheuchzerorum*, heroum in Medicina atque hiſtoria naturali inſignium, notitiam venit atque familiaritatem, plurimum exinde utilitatis medicæ adeptus. Hoc adparatu medico inſtructus, a. 1680. Baſileam petiit, civibus ſuis communicaturus egregiam, quam multo labore atque ſumtu comparaverat, rei medicæ peritiam, eaque ipſis profuturus. Rite autem ut id faceret, prius artis magiſtris ſeſe examinandum exhibuit, ſimulque diſſertationem de παιδοτροφια publice defendit; quæ ſingula cum fauſte ceſſiſſent, eodem anno 15. Cal. Nov. Laurea Apollinea redimitus, privilegiiſque doctoralibus inſignitus fuit. His autem nondum uti, nec praxin medicam exercere voluit, ſed ampliorem adhuc eruditionem acquiſiturus primum Genevam petiit ibique per annum fere commoratus fuit; poſtea, ſicuti antea Scaphuſii atque Tiguri Matheſi, Botanicæ atque hiſtoriæ naturali inprimis incubuit, ita nunc Anatomiam præcipue exculturus Pariſios dein Argentoratum perrexit, ſectionibuſque C. H. frequens interfuit atque adtentus ſpectator. Hinc domum vocatus, bono cum Deo a. 1682. ſuis fuit reſtitutus, primumque curis animi nupturientis indulſit; invenit uxorem maxime convenientem a. 1683. *Margaretham Burcard*, filiam Joh. Rodolphi Burcard, Med. Doct. atque Prof., cum qua felix ei fuit atque fœcundum conjugium; liberos nempe ex ea procreavit XI., ſex filios & quinque filias, ex filiis duo eccleſiarum agri noſtri paſtores fuere conſtituti, treſque Medicinæ operam dederunt, ex quibus *Joh. Jacobus* Med. Lic. anno æt. 23. obiit Genevæ d. 9. Oct. a. 1708. *Joh. Rodolphus* vero atque *Fridericus* ad noſtra uſque tempora Med. Docto-

res atque Profeſſores ſacram hanc artem feliciter exercuerunt, magnoque fructu publice privatimque docuerunt, ut mox fuſius dicetur. Jam eruditione ſua proximo adflicto prodeſſe ſtuduit, praxinque clinicam cum in civitate tum in vicinia diligenter exercuit, ſucceſſu ut plurimum uſus felici, quo factum, ut brevi ſpatio domi foriſque a quibuslibet ſummis & infimis in magno pretio haberetur. Spem hinc cepérunt Academiæ proceres, & ſe ex tam eruditó viro emolumentum eſſe capturos, ſi eum ſibi vindicarent; hoc conſilio ei d. 21. Febr. 1684. Eloquentiæ & d. 18. Febr. 1687. Phyſicæ profeſſionem demandarunt; nec ſpe ſua fuerant fruſtrati patres conſcripti, quin ſpem eorum licet luculentam adhuc ſuperavit Zuingerus, qui tanto in hæc ſtudia erat fervore, ut & phyſicam experimentalem, antea inter nos nondum uſitatam, primus inſtituerit, ſumtibuſque ſuis haud exiguis inſtrumenta comparárit. Interim Æſculapius noſter in ſe expertus eſt, quod Celſus ſcripſerat, literarum diſciplinam animo quidem neceſſariam ſed corpori eſſe inimicam. Menſe nempe Auguſti 1693. ſtudiorum intemperie ſibi contraxit febrim continuam, acutam, malignam, in lentam tandem mutatam, cum qua per totam proximam hyemem ei erat conflictandum, donec adpropinquante vere a. 1694. arthritide vaga ſuperveniente præter opinionem ſed ex voto cunctorum priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus. Eodem anno menſe Septembri tam valetudinis curandæ quam negotiorum cauſa iter inſtituit in Germaniam, ex quo, Viennæ Auſtriæ per aliquot menſes commoratus, adituque ad S. Cæſar. Majeſtatem plus una vice impetrato, ſalvus domum eſt reverſus. Circa hæc tempora ingens ei honos obtigit, quo ab Academia Naturæ Curioſorum Cæſareo Carolina ſub nomine *Ariſtotelis* I. itemque regia Berolinenſi ſodalis fuit cooptatus. A. 1700. Curatores Academiæ Lugduno Bat. ad obeundam profeſſionem Medicinæ Theoreticæ, Landgravius Haſſia caſſellanus, ipſeque Fridericus I. rex Boruſſiæ a. 1703. ad ſanitatis ſuæ curam, loco ordinarii Medici, gerendam ſub ampliſſimis conditionibus eum gratioſiſſime vocarunt, neutri tamen, patriæ dulcedine ductus, paruit vocationi. Dux etiam Wurtembergenſis nec non Marchio Bada Durlacenſis tanto honore ipſum adfecerunt, ut eum in numerum conſiliariorum & Archiatrorum ſuorum receperint, quos

&

& Abbas Beinwilenſis, Magiſtratus Delemontanus, Capitulares vallis monaſterienſis aliique fuere ſecuti. Virum vel regibus atque principibus charum academia etiam patria, quantum in ea fuit, honoribus fuit proſecuta, eumque d. 18. Dec. 1703. profeſſorem Anatomiæ & Botanicæ conſtituit, quo duplici officio, per hyemem quidem ſectionibus atque demonſtrationibus, per æſtatem vero excurſionibus in agros, egregie fuit defunctus. A. 1710. cum graſſante Friburgi Briſgoviæ lue epidemica febris Petechialis, qua ſextidui ſpatio ſupra 500. homines correpti plurimique mortui ſunt, a magiſtratu noſtro Medicus illuc mittendus peteretur, iſtud officii Zuingero noſtro fuit delatum, qui nihil rei difficultate & periculo motus citra moram eo eſt profectus, ibique inſpectis omnis conditionis ægris, commune cum loci Medicis conſilium iniit, interdiu ægrotos viſitans, noctu ſcribens atque conſulens. Conſilium ex decreto typis mandatum parens hygiæ & panaceæ Deus ita proſperavit, ut intra menſis ſpatium illa lues propemodum omnis Friburgi ceſſaret. Poſtea Zuingerus noſter, die ſc. 26. Maj. a. 1711. Theoreticæ &, antequam hanc aufpicatus fuiſſet, d. 15. Sept. a. 1711. Practicæ Profeſſor, nec non d. 12. Aug. 1711. ab ampliſſ. Magiſtratu Baſil. Poliater ὁμοθυμαδὸν fuit electus. Legationem academicam, alia munera ſcientes præterimus, bina vice cum laude obiit ad Reverendiſſ. Epiſcopum Baſil. a. 1717. & 1722. Ita cum diu multumque proximo inſerviiſſet, animam Deo reddidit, corpore ex nephralgiæ paroxyſmis confecto, d. 22. Apr. 1724. *Ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam, quos recuſavit, nobis exemplar ævi prioris.*

Edidit diſp. de *ſynocho putrida*, 1677. diſp. *de pædotrophia*, 1680. *poſitiones miſc. e variis philoſophiæ partibus*, a. 1684. diſp. de *virtute heroica* a. 1686. *theſes philoſ. miſc.* eod. *oratiouum panegyr.* in obitum *Joh. Caſp. Baubini*, 1687. *Sichere und geſchwinde Arzt*, 1687. ſub nomine *Nathanaëlis Sforziæ*, & a. 1695. ac 1703. Baſ. addito ſuo nomine; *Verzaſchæ herbarium* c. f. Geſnerianis & Camerarianis auctius recudi fecit Baſ. 1696. fol. vires potiſſimum medicatas auxit, ſpecies non medicas cum medicatis enumeravit, varias icones addidit. *Scrutinium Magnetis* phyſico medicum, 1697. *lucubrationes de plantarum doctrina in genere, cum continuatione*, 1698. diſſ. *de vita hominis ſani*, 1699. *programmata invitatoria partim ad operationes partim ad collegium*

experimentale phyſico mechanico chymicum, 1699. 1700. 1701. *typum conſultationum medicarum*, 1699. *Weckeri* l. 17. *de Secretis cum additionibus*, 1701. diſp. *de acquirenda vitæ longævitate*, 1703. Germ. Nordhauſ. 1726. & 1727. 8. diſſ. de *Vromantias uſu & abuſu*, 1705. *Epitomen totius medicinæ*, 1706. *faſciculum diſſertationum medicarum ſelectarum*, quæ privata ejus cura, inſtitutione & auxilio publice ventilatæ ſunt, 1710. *theatrum praxeos medicæ*, 1710. *Examen & uſage de l'eau minerale dans le petit Champois de la Vacherie du Forthbourg, appartenente a la ville de Dellemont proche du Près de Voete*, 1711. diſp. *de methodo docendi medicinam mathematica*. 1714. diſp. *de plantis naſturcinis*; 1716. *Trigam diſſertationum medicarum*, Baſ. 1716. 4. *Pædoiatrejam practicam cum ſpecimine materiæ Medicæ & remediorum formulis*. Baſ. 1722. 8. In miſcellaneis Academiæ naturæ Curioſorum Dec. II. anni 2. *de excreſcentia carnea uterina*. Dec. II. anni 6. *Mercurii crudi effectus in colica ſpaſmodica, a fecum duritie alvum contumaciter obſtruente, oriunda*. Obſ 231. *Palpitatio cordis diuturna, a polypis in utroque cordis ventriculo enatis. producta lethalis*. Obſ. 232. *Caries maxillæ ſuperioris extruſum dentem ſubſecuta*. Obſ. 233. *Anatome Maniaci*. Obſ. 334. In Decur. II. anni 9. *Admirandi partus gemellarum vivarum umbilicotenus ſibi invicem connatarum*. Obſ. 134. *Ciliorum color nigerrimus ſubito in album mutatus*. Obſ. 135. *Hydrops ovarii muliebris ſtupendus, in exenteratione mulieris cujuſdam repertus*. Obſ. 136. *Calculi & arenulæ copioſæ in ſecundina humana repertæ*. Obſ. 137 *Grando palpebræ oculi feliciter diſcuſſus*. Obſ. 217. *Anatome pueri variolis malignis extincti*. Obſ. 218. In Dec. II. a. 10. *Tertiana febris ſpaſmodica*. Obſ. 199. *Grando palpebræ oculi feliciter & promte diſcuſſus*. Obſ. 200. *Puellus ſine cerebro natus ad momentum vivens*. Obſ. 201. In Dec. III. a. 1. *de hiſtoria & anatome ruſtici, hydrophobia ſecundo menſe poſt acceptum a cane rabido vulnus, correpti & extincti*. Obſ. 104. *De mira rabiei canis cauſa*. Obſ. 105. *De arthritide verminoſa in manu podagrici*. Obſ. 106. *De Mercurii vivi effectu ſecunda vice in eodem homine obſervato*. Obſ. 107. *De ſero lactis perpetuo lacteo in viro*. Obſ. 108. In Dec. III. a. 5. & 6. *De ſcabie cum tremore, ad tabem inclinante*. Obſ. 6. *de pudendorum muliebrium excoriatione & intumeſcentia, poſt partum difficilem*. Obſ. 7. *De anatome viri aſthmate & hydrope thoracis defuncti*. Obſ. 8. *De aſthmate lymphatico cum febri catarrhali feliciter curato*. Obſ. 9. *De fiſtula oſſis ſquamoſi, abſceſſum auris ſecuta. feliciterque ſanata*. Obſ. 10. *De febri maligna continua feliciter curata*. Obſ. 11. *De iſcburia per plures dies durante*. Obſ. 12. *De exenteratione cadaveris puelli, phthiſi & hydrope extincti*. Obſ. 276. *De fractura coſtarum, cum ſubſequente vulnere, ſyderatione, hydrope*

Digitized by Google

hydrope pulmonis atque morte. Obſ. 277. Anni 5. & 6. appendice. *De Chryſopœia, varia litteratorum epiſtolæ communicata per Dn. D. Theod. Zuingerum* P. P. Baſ. Acad. Cur. In Dec. III. a. 7. & 6. *De ſyrupo prophylactico ad prolongandam vitam & podagræ aliorumque morborum inſultus arcendos, mitigandoſque experto.* Obſ. 10. *De fractura oſſium cruralium multiplici, cum junctura tali dislocatione, feliciter curata.* Obſ. 11. *De hiſtoria fiſtulæ lumbaris, e rene dextro calculoſo ſcaturientis, & ſubtercutim, muſculoſque clunis dextræ reptantis, lethiferæ, cum cadaveris anatome.* Obſ. 12. *De ulcere antiquo, in meatu urinario, feliciter curato.* Obſ. 13. In Obſervationibus Phyſico Medicis Academiæ Naturæ Curioſorum. Cent. VII. & VIII. *De cardialgia hirudinoſa.* Obſ. 25. *De variis inſectis per vomitum excretis a virgine quadam faſcinata.* Obſ. 26. *De ſpaſmo periodico muſculorum cervicis.* Obſ. 27. *De hemicrania chronica euporiſto remedio tandem curata.* Obſ. 28. *De partu octimeſtri monſtroſo.* Obſ. 29. *De veſicæ ruptura lethali.* Obſ. 30. *De duplici pollice infantis recens nati & altero eorum feliciter extirpato.* Obſ. 31. *De menſibus e dorſi cute fluentibus.* Obſ. 86. *De hectica a ſcirrhoſitate pylori ac pancreatis proveniente lethali.* Obſ. 87. In actis Phyſico Medicis Acad. Nat. Cur. Vol. I. *Gemellæ, quarum altera nigra, altera alba.* Obſ 77. *Exenteratio cadaveris viri hydrope thoracis extincti.* Obſ. 78. *Maculæ ſcorbuticæ nigræ per univerſum corpus diſperſæ.* Obſ. 79. *Uteri prolapſi exſectio non lethalis.* Obſ. 80. In collectionibus Vratislavienſibus actorum nat. & medic. tentamine XIII. p. 274. *de febribus erraticis Baſilea graſſantibus* a. 1720. *Lexicon* porro edidit *Latino Germ. & Germanico Lat.* ſub nomine *Spieſeri*, Baſ. 1700. 8. *Specimen Phyſicæ eclectico experimentalis* Baſ. 1707. 12. ſub nomine *Jac. Zuingeri. Compendium medicinæ univerſæ* Baſ. 1724. 8.

XIII. JOH. RODOLPHUS ZUINGER, vir

\- - - - - - *qualem vix repperit unum,*
Millibus e cunctis hominum conſultus Apollo.

prognatus eſt parentibus nobiliſſimis, *Theodoro Zuingero*, Med. Doct. atque Prof. & *Margaretha Burcard*, d. 3. Maj. 1692. In puero adhuc tenero bonum ingenium nec non acre judicium acutiſſimus obſervavit genitor, eumque ideo citius muſis devovit atque gratiis, quas & ad extremum uſque halitum coluit junctiſſimas. Primis literarum atque ſcientiarum elementis quo imbueretur, ludo literario patrio fuit traditus, idque feliciſſimo cum ſucceſſu, non tantum enim commilitones

curſu æquavit, ſed & facile primus exſtitit, primaſque tulit, locum ſemper tenens principem. Ita omni ſuo merito ex pædagogio in Academiam, ſapientiæ officinam, a. 1704. promotus illud tritum: *dic, cur hic; hoc age:* ſtudioſiſſime obſervavit, & quem profeſſus eſt, philoſophiæ ſtudioſum, ipſo facto ſtrenue exhibuit. Præmia etiam a Profeſſoribus tulit digniſſima, Laureati gradum a. 1706. Magiſtrique artium dignitatem a. 1707. adſecutus. Ad Medicinam nunc, ſtudium patrium atque gentilitium, tranſiit, in qua addiſcenda omnem diligentiam adhibuit, paternamque præcipue inſtitutionem in rem ſuam omni ſtudio convertit. Inclinante anno 1709. Argentoratum petiit, per hyemem ſectiones anatomicas, quarum illic major quam in patria erat copia, frequentaturus. Acquiſita & hujus Medicinæ partis accuratiori peritia, domum reverſus, eximiæ ſuæ in Medicina eruditionis argumenta dedit certiſſima, tam in tentaminibus atque examinibus, quam in diſputatione d. 14. Jul. 1710. de *cerebri humani ſtructura naturali* habita; ſummi itaque in Medicina honores ipſi decreti & a Nicol. Eglingero collati fuere d. 30. Sept. 1710. Anni ſpatio Lauſannæ atque Genevæ transacto, d. 16. Febr. a. 1712. profeſſio Logica ei fuit adſignata, cujus auſpicia cepit ſolennia d. 3. Maj. a. 1712. prælectione, qua ex veteribus illos recenſuit, qui Logicam artem excoluerunt. D. 16. Apr. 1714. curarum vitæque ſociam ſibi junxit *Mariam Magdalenam Frey*, Joh. Ludovici Frey, ſenatoris, filiam, ex qua tres filias ſuſcepit, *Agnetem*, *Johanni Buxtorff*, Med. Doct. atque Poliatro, *Margarethan*, *Eman. Stückelbergero*, mercatori, quæ jam a. 1750. æt. 30. defuncta, & *Mariam Magdalenam*, *Jac. Chriſtoph. Beck*, Theologo, nuptam; filiarum natu maxima decem liberorum mater in aliis peperit *Joh. Ludovicum Buxtorff*, Med. Doct. atque Poliatrum, nec non *Joh. Rodolphum Buxtorff*, Rhetorices Profeſſorem, nepotes venerando Avo dilectiſſimos. Sed Zuingerus noſter non ſolum cathedram ſuam exornavit, ſed & ægrotis eruditione ſua prodeſſe ſtuduit, idque juvenis admodum; ipſi enim non accidit, quod novitiis Medicis fere accidere ſolet, ut, quantacunque ſcientia ſint inſtructi, pauci tantum ſpem ſuam in illis reponant, exſpectantes, donec fama experientia confirmetur. Statim nempe ab ægrotis divitibus pariter ac egenis fuit requiſitus,

ſitus, quorum numerus indies in tantum excreverat, ut eorum multitudine pene obrueretur. Noverant enim ſinguli, patrem ei eſſe Medicum perfectiſſimum, in cujus ſecreta conſilia admiſſus eruditionem multiplici experientia comprobatam jam acceperit, quemque adhuc ducem ac in dubiis caſibus conſultorem habeat optimum, ut filium qui elegit Medicum, ipſo etiam patre Medico uſus fuerit cenſendus. Non itaque mirum, Zuingerum noſtrum citius ad ægrotorum levamen frequentius vocatum atque expetitum fuiſſe. Hanc famam maximopere adauxit feliciſſimus ſucceſſus, quo in curandis morbis quam plurimum fuerat uſus. Apud plurimos etiam commendatiſſimus erat ſincera in Deum pietate, nec non humanitate atque adfabilitate prorſus ſingulari, quam utramque ad extrema uſque illibatam retinuit. Nec fama intra anguſtos civitatis atque ditionis noſtræ limites ſubſtitit, ſed & ad exteros promanavit; hinc non ſolum per literas conſilia medica majori copia ab eo fuere deſiderata, ſed & titulis atque honoribus principes etiam viri eum fuere proſecuti. In quibus fuit Marchio Bada Durlacenſis, qui eum præfecturæ Rœtelanæ Phyſicum nominavit a. 1720.; & triennio poſt membrum ſocietatis Naturæ Curioſorum Germaniæ ſub nomine Avicennæ II. fuit adoptatus. Academia etiam noſtra ex ſingulari ejus peritia Medica utilitatem capere deſideravit, eumque a cathedra Logica ad cathedram Medicam vocavit; primo quidem d. 16. Dec. a. 1721. Anatomia atque Botanica, & a. 1724. Medicina Practica publice profitenda ei fuit demandata, quam provinciam d. 30. Aug. 1724. prælectione de *Medici practici officio* capeſſivit, & per LIII. annos continuos maxima nominis ſui fama & auditorum utilitate adminiſtravit. Sceptrum acad. tenuit tribus vicibus; Medici ordinis Decurio fuit tredecies. Ab an. 1759. etiam fuit Inſpector Inſtituti Freyio-Grynæani. Hæc & alia munera geſſit ſumma fide, diligentia atque prudentia; exemplo omnibus imitando, paucis expreſſo. Maraſmo ſenili abſumtus terræ valedixit, ſideraque petiit d. 31. Aug. 1777. poſtquam ſupra LXV. annos Profeſſoris ordinarii vices ſuſtinuiſſet; cui ſimile exemplum non habemus.

Scripſit atque edidit: Diſſert. *de cerebri humani ſtructura naturali*, 1710. diſſ. *de uſu & functionibus cerebri, indeque dependente inclinatione atque ingeniorum diverſitate*, eod.

eod. *diatriben de præjudiciis mentis*, 1712. *artem cogitandi erotematicam cum præludio philoſophiæ*, 1715. 8. *paradoxon logicum*: quod omnis homo bene ratiocinetur, 1718. *Specimen inſtitutionum medicinæ ſecundum moderna principia mechanica. Hippocratis aphoriſmos*, Gr. & Lat. 1748. quibus addidit *ſpeculum hippocraticum de notis & præſagiis morborum*, quod ſeparatim excuſum Florentiæ 1760. diſſ. *de methodo medicinam docendi mathematica*, 1714. diſſ. *de divinitate medicinæ*, 1724. *problemata medica de prole cranii experte*, 1728. In obſ. phyſ. med. acad. nat. cur. Cent. 7. & 8. *de diſlocatione vertebrarum cum abſceſſu abdominis ſuccedente lethali*, obſ. 81. *hiſtoria quædam empyematis funeſti*, obſ. 82. *exenteratio puellæ phthiſi extinctæ*, obſ. 83. In actis phyſ. med. acad. nat. cur. V. 1. *proles puſtuloſa*, obſ. 81. *appendix præternaturalis cœca inteſtini ilei*, obſ. 82. *veſica bovis gemina*, obſ. 83. *fœtus circiter quadrimeſtris, abortu editus, cum ſterno concavo & regione umbilicali valde prominente* &c. obſ. 84. In actis Helvet. Phyſ. med. V. 1. *hydrocephalus cum defectu calvariæ. Miſſus cruentus cum veſica tota calloſa, in tabem deſinens. Lacertus aquaticus vivus a puella per alvum redditus poſt gravia pathemata convulſiva.* V. 2. *hernia umbilicalis incarcerata, ileo ſuperveniente, ſphacelata & exulcerata. Curationes electrica hemiplectticorum.* V. 3. *diarium phyſicomedicum* a. 1755. V. 4. *Dyſuria ex ulcere inteſtinali in veſicam pervio, in maraſmum deſinens. Vomitus puellæ diuturnus, hauſtu mercurii vivi ſublatus. Diariolum noſologicum*, 1759. V. 5. *hiſtoriola colicæ Cœnobialis Beinwilenſis*, nec non alia ibidem paſſim ſub *Anonymi* atque *Philiatri* nomine occurrentia. In epiſtolis Lat. ad *Hallerum* miſſis P. 1. V. 1. ep. 17. 18.

XIV. ACHILLES MIEG, ex erudita, præcipue in Palatinatu florente, familia oriundus, in lucem editus eſt d. 22. Jun. 1731. Puer admodum ſcholam frequentare juſſus, prima rudimenta literarum & utriuſque linguæ, Latinæ ac Græcæ, Grammaticam didicit. Adparuit in eo adhuc puero præclara indoles, & in tenera adhuc ætate ingenii vis & præſtantia inſignis, quæ patrem permovit, ut eum ſtudiis totum traderet. Ex voto hæc ceſſerant juveni, qui liberiori auræ academicæ permiſſus, ſtudiorumque amœnitate captus, magna quadam vi ingenii per omnia auctorum genera pervolitabat, Græcos, Latinos, poëtas, oratores, hiſtoricos, medicos, chirurgos percurrens, quaſi omnia ſimul animo eſſet complexurus. Impetravit autem laudabilis ſuæ diligentiæ præmia Philoſophorum decreto, primam nempe Lau-

ream

Digitized by Google

ream a. 1746. habita oratiuncula *de arte Cabbaliſtica*, dignitatem vero Doctoris philoſophiæ a. 1748. publica oratione *acui ingenium ſtudio, ſtudium præmio*, demonſtrans. Philoſophorum cancellis emiſſus prolixum Medicinæ ſtudium fuit adgreſſus; prima ejus præcepta accepit a patre chariſſimo, Chirurgo perito, his avide hauſtis, Medicinæ profeſſores ſedulo audivit Theoriæ atque Praxeos medicæ iſagogen tradentes, botanicas excurſiones fecit frequentiores, & anatomicas demonſtrationes, quibus inprimis delectabatur, frequentavit adtentiſſimus. Verbo, pro ingenii velocitate, diſcendi cupiditate & laboris incredibili patientia nihil intermiſit, quod medicum bonum formaret atque perficeret. Quo factum, ut ſumma laude tentamina atque examina medica, nec non diſputationem *de Flatibus* inauguralem ſuperarit, & Doctoris medici titulum meritiſſimus acceperit d. 4. Jun. a. 1756. Adſiduam dein ac indefeſſam operam poſuit in medicina exercenda, quæ praxis, Deo benedicente, feliciter ipſi hactenus ſucceſſit, utque plures adhuc in annos feliciſſime cedat, ex animo precamur. Ut vir eſt laborioſiſſimus, non contentus erat plurimorum, quos per civitatem habet diſperſos, ægrotorum viſitatione atque medicinæ alumnorum inſtitutione, ſed & variis occaſionibus Academiæ operam ſuam obtulit. A. 1753. d. 16. Jan. pro cathedra Anat. & Bot. edidit *Specimen I. obſ. Anat. Bot.*; a. 1771. d. 6. Sept. vacante cathedra Logica diſputavit *de origine Paralogiſmorum*, ſed optionis ternario injectus ſortem habuit renuentem; a. 1773. d. 21. Maj. pro ſede Rhetorica diſputavit *de requiſitis boni oratoris*. A. 1776. d. 19. Nov. edidit *ſpecimen II. obſervationum anat. bot. & phyſiol.* pro vacante cathedra Anat. & Bot. iterum ſorte adverſa; denique ſortem expertus eſt benignam d. 26. Nov. 1777. cathedram Medicinæ Practicæ ipſi adſignantem. Membrum porro cooptatus eſt Facultatis Med. Baſ., Societatis Phyſicæ Tigurinæ & Phyſico Medicæ Baſ. Primus & huc uſque unicus fuit, qui Baſileæ *inſitionem variolarum*, jam in centum circitér perſonis tentavit, idque felici hactenus ſucceſſu. Obſervationes autem proximi ſeculi docebunt, quid de audaciori iſta medicina ſit ſtatuendum.

Præter adlatas diſputationes edidit in Actis Helvet. Phyſ. Med. Vol. 3. *diatriben de ſectione cæſarea feli domeſtica adhibita*.

adhibita, qua undecimo poſt id factum die, vivum catulum per naturalem viam adhuc edidit. Obſerv. *de oſſis bregmatis fractura cum inſigni fiſſura, inde per ſuturam ſquamoſam, partem cognominem oſſis temporum, atque ejuſdem proceſſum petroſum propagata.* V. 4. *Homalocenchrum novum graminis genus.* V. 8. *Illuſtrationem quarundam Holci ſpecierum.* In epiſtolis ad *Hallerum* miſſis ejus ſunt P. 1. V. 5. 144. 163. 171. 182. 188. 192. 197. 198. 205. 223. 235. P. 4. V. 4. 2. 20. 21. 32. 35. 37. 41. 44. 46. 47. 49. 61. 71. 111. 115. 129. T. 6. ep. 334.

PROFESSORES MEDICINÆ THEORETICÆ.

I. Oswaldus Berus a. 1532. omnem medicinam, theoreticam atque practicam, ob medicorum raritatem, ſolus docuit atque exercuit. V. Prof. Med. Pract. n. 1.

II. Sebastianus Sinckeler Theoreticam Medicinam tradidit ab a. 1534. dein Practicam docuit. V. Prof. Med. Pract. n. 2.

III. Albanus Thorinus, alias *Thorer*, patriam habuit Vitodurum, annuſque natalis ei fuit 1489. Ad academica ſtudia domi rite præparatus, Baſileam venit a. 1516. nomenque eo anno Rectoris matriculæ inſeruit. Jam academiæ alumnus philoſophica ſtudia diligenter tractavit, & inprimis linguæ latinæ atque græcæ ſedulam operam impendit, quo factum, ut unanimi ordinis ſapientiſſimi voto Laureatus primum a. 1520., dein a. 1522. A. L. M. pronunciaretur. Victus comparandi & ingenii exercendi cauſa aliquamdiu ſcholæ Petrinæ præfuit, & juventutem in primis artium rudimentis optime inſtituit. Verum animus generoſus ergaſtulo hoc ſolvi cupiens ad ſublimiora adſpiravit, cœptisque reſpondit eventus, cum a. 1532. Profeſſor Rhetoricæ vocaretur, quod munus Latina docendo egregie adminiſtravit. Sed altius adhuc volare contendit, nec ſine ſucceſſu. Statuit nempe peculium ſcholaſticum in artem Medicam addiſcendam inſumere, hocque conſilio in Galliam abiit, ibique ſumma & incomparabili induſtria, brevi temporis ſpatio tantum ſibi comparavit eruditionis

Digitized by Google

nis & ſcientiæ Medicæ theſaurum, ut magno ſuo merito apollineam coronam adipiſceretur. Medicinæ Doctor Baſileam reverſus ibidem Medicinæ Theoreticæ Profeſſor conſtituitur a. 1537. & Medicinam docendo atque exercendo magnam non tantum apud ſuos auctoritatem, ſed & gratiam apud Principes & famam apud literatos acquiſivit, tribus ſimul illuſtriſſimis Germaniæ principibus a Medicina. Inter iſtos officii labores morbo longiori conflictatus tandemque oppreſſus fuit d. 23. Febr. 1550.

Publicis etiam ſcriptis fuit celebris, quæ ſunt: *Soranus Epheſ. Oribaſius*, *Plinius*, *Apuleius & Antonius Muſa de betonia*, quos in lucem edidit junctos, Baſ. 1528. fol. *P. Ægineta opera* verſa ab Alb. Torino, Baſ. 1532. fol. Interpretatus eſt & *Philareti* l. *de pulſibus* & *Theophili de urinis*, 1533. Pariſ. 1567. fol. Item *Polypi*, *Hippocratis diſcipuli*, *opuſcula Græca cum Hippocratis operibus*, 1544. it. *C. Apitii de re culinaria* l. X. edidit & *Platinæ l. de honeſta voluptate & obſoniis*, 1541. Latinitate donavit porro *Dioclis Cariſtii l. de tuenda ſanitate*; *Agapeti diaconi de officio regis libellum*, 1541. *Job. Damaſceni de febrium curatione diegema & ejuſdem aphoriſmos*, 1542.; *Epiphanii l. de Prophetarum vita & interitu* 1529.; *Chryſoloræ Grammaticam*, 1528.; *Alexandri Tralliani libros* XII. *de arte med. cum epiſtola apologetica ad Andernacum*, 1539. 8. & paulo ante mortem *Philothei commentarios in aphoriſmos Hippocratis*, 1550. transtulit etiam in germanicum magnum illud Veſalii opus anatomicum, Norib. 1551. fol. nec non *Theophili libellum de urinis*, lat. Pariſ. 1567. fol.

IV. Isaacus Keller, dictus *Cellarius*, a. 1530. Baſileæ fuit natus & in Academiæ gremium ſuſceptus a. 1546. Studia philoſophica diligenter excoluit, & utramque dignitatem philoſ. obtinuit, unam a. 1547. alteram a. 1550. Medicinæ jam ante gradum Magiſterii adeptum dedit operam, omnibuſque viribus tantam in ea acquiſivit eruditionem; ut Doctoris Medici titulum meruerit, & jam a. 1551. Profeſſionem Medicinæ Theoreticæ obtinuerit. Vir dicitur fuiſſe comis, facilis, jucundus, diſertus, multumque ipſum commodi ſtudioſæ juventuti adtuliſſe uſque ad a. 1580. quo ob male adminiſtratum patrimonium S. Petri Baſil. æreque alieno oppreſſus ex civitate exceſſit.

V. Theo-

V. THEODORUS ZUINGERUS, primus ex gente Zuingeriana, quæ hactenus Academiæ noſtræ 8. Profeſſores, Eccleſiæ in civitate & in agro Paſtores 6. in his duos Antiſtites & adhuc ſuperſtitem *Jacobum*, Paſtorem atque Decanum Lucisvallenſem, & Medicos 5. dedit omnes præſtantiſſimos, eruditorum choro adſcriptus, natus eſt parentibus *Leonhardo Zuinger*, pellione & *Chriſtina Herbſter*, Johannis Herbſteri, pictoris, filia & Joh. Herbſteri ſ. Oporini Profeſſoris atque Typographi ſorore, d. 2. Aug. a. 1533. Leonhardus, Noſtri pater, civitate noſtra donatus fuit a. 1526. & oriundus erat ex Epiſcopicella, oppido Thurgoviæ, familia nobili atque antiqua, ex qua *Johannes Speiſer*, dictus *Zuinger*, a. 1452. præfectum egit in cella Epiſcopi, vice Epiſcopi Conſtantienſis, *Jacobus* vero ob præclara in S. R. Imp. merita a Maximiliano I. nobilitatis inſignibus a. 1492. fuit decoratus, hicque 9. liberos inque illis Leonhardum, pellionem, genuit. Antiquitus etiam eandem gentem literarum ſtudia in deliciis habuiſſe, fidem faciunt documenta Academiæ noſtræ, quæ perhibent, *Pelagium Spiſerum*, Epiſcopicellanum, Magiſtrum Heidelbergenſem, Decanatu philoſ. a. 1464. & 1465. functum, aliumque *Johannem* a. 1511. Decret. Doctorem creatum fuiſſe. Puer quinquennis, Theodorus noſter, patre orbatus, ope tum *Joh. Oporini*, avunculi, tum *Conradi Lycoſthenis*, dicti *Wolfhart*, Theologi atque Hiſtorici eximii, cui mater Chriſtina poſt parentis obitum nupſerat, pie eſt adjutus, & pro rara, quæ in ipſo deprehendebatur, indole ſtudiis mature ſatis eſt adhibitus. Traditus fuit una cum *Baſilio Amerbachio* diſciplinæ *Thomæ Plateri*, in qua tantum profecit, ut facile cunctos commilitones ingenio, judicio, induſtria, eruditione anteverteret. Ut erat natura feſtivus, ſtatura mediocri, corpore agili, in dramate ſcenico a præceptore publice expoſito, *Cupidinis* perſonam gratioſa geſtuum varietate, actionis decentia, pronunciationis elegantia ita ſuſtinuit, ut omnium oculos, ora atque animos in ſe converterit, majorum imo maximarum rerum præſagia excitans. In academiam e gymnaſio a. 1548. translatus profeſſores publice docentes diligenter audiit, donec cupido eum invaſit, exteras academias viſendi. Iter ingreditur, librorum ſarcina preſſus, ſed levi viatico inſtructus, animo tamen alacri, confidens, ſe

ſe doctorum virorum liberalitatem carminibus ſuis provocaturum. Lugdunum Gallorum perveniens, biennium tranſegit apud typographum *Gothofredum Beringum*, cui operam ſuam locavit, vacuaſque horas literis impendit. Collecto ex labore viatico Lutetiam eſt profectus, ubi iterum biennium commoratus clariſſimis viris, præcipue autem *Petro Ramo*, profeſſori regio, innoteſcere & in deliciis eſſe cœpit, qui ipſum honorifice & liberaliter, *coronato aureo* dono dato, excepit. Quam ejus humanitatem Zuingerus abunde ſatis poſtea rependit, dum Ramum religionis cauſa Baſileæ exulem ſuſcepit. Per quinquennium integrum apud exteros pie atque honeſte verſatus & haud exiguum ſapientiæ theſaurum ſortitus, reditum in patriam paravit atque a. 1553. perfecit; ibi tamen non diu moratus, ſed auctore atque ſuaſore *Petro Perna*, Lucenſi typographo, apud Baſilienſes ob religionem exule, iter in Italiam ſuſcepit, & primo quidem Patavium, poſtea Venetias perrexit. Poſtquam per quinquennium in Italia ſubſtitiſſet, & eruditionis theſaurum acquiſiviſſet, tempus monuit, ut patriæ uſibus ſeſe redderet; accepta itaque Patavii Doctoris Medici dignitate, in patria ſoſpes advenit, & publica diſputatione admirandæ ſuæ eruditionis ſpecimen edidit. Amici, ne iterum alio tenderet, aureis catenis ligatum detinere ſtuduerunt, præcipue *Bonif.* atque *Baſil. Amerbachii*, JC. itemque *Joh. Huberus*, Medicus, qui procuraruntut *Valeriam Rüdin*, Lucæ Iſelii viduam, quam tum forte ditiſſimus mercator ambibat, uxorem duceret. Pater nolens jure ſuo uti, filiæ fecit optionem, malletne cum mercatore laute & ſplendide vivere, an vero cum Doctore pultem avenaceam ſorbere; hæc autem Doctori manum dedit; tum enim adhuc bonis literis ſuus conſtabat honos & pretium. Conſentiente etiam patre, *Jacobo Rüdino*, Tribuno plebis, nuptiæ fuerunt celebratæ, atque Zuingerus ducta uxore dotata, jam ab aliis curis liberior, amplioribuſque ſtudiorum præſidiis inſtructus, animum ad magna erexit. Ceterum conjugium hoc 8. liberis erat fœcundum, filia *Chriſtiana* primum *Wern. Hubero*, Med. Doct. & Ethic. Prof. dein *Mart. Chmielecio*, Med. Doct. & Prof. *Valeria Henr. Ryhinero*, Pharmacop. & *Dorothea Sam. Verzaſchæ* Med. Doct. fuerat nupta; filius *Bonifacius* æt. a. 21. obiit Paduæ a. 1588. & *Jacobus* Med. Doct.

Ling. Gr. Prof. erat deſignatus, de quo ſuo loco dicetur. Curis ergo domeſticis ſolutus Zuingerus, novo ſtudio in literas incubuit, eo ſucceſſu, ut nulla Philoſophiæ fuerit pars, quam ille non & ingenio penetraverit, & judicio accurato tractaverit, & ſingulari methodo reſolverit. In Medicina nil fuit tam abſtruſum, quod ille non planum fecerit, ſive quis Galeni ſequeretur artem, ſive Paracelſi novitatem tueretur. Hoc a nonnullis vitio datum fuerat Zuingero, quod animum maximarum rerum capaciſſimum ad Theologiæ quoque ſtudium adjunxerit, & falcem in alienam meſſem immiſerit; quaſi vero non cujuslibet eſſet Chriſtiani, Scripturas ſcrutari, fideique atque ſpei rationem reddere, proximoque prælucere non vita ſaltem ſed & literis atque ſermonibus. Interim Zuingerus academicæ juventuti eruditione ſua commoda maxima adferendi varias occaſiones obtinuit. Linguæ Græcæ nempe Profeſſor electus fuit a. 1565. dein a. 1571. philoſophiam practicam ſ. Ethicam publice docere cœpit, utrumque præſtitit magno diſcentium fructu & methodo ſingulari ac felici, vere enim erat διδακτικος, & exacte norat modum, quo ingenia varia ac diverſa excitanda, alenda & acuenda ſint. Denique a. 1580. ad Medicinam Theoreticam docendam fuit vocatus, quod diligentiſſime præſtitit, nec tamen intermiſit proporro omnis generis ægrotis conſilio prodeſſe; nam natura erat facillimus, & citra perſonarum reſpectum tam ſummi quam imi ſubſellii hominibus ſuppetias ibat; ita quidem, ut praxis medica certo ſenſu plus ei obfuiſſe quam profuiſſe a nonnullis judicaretur; pauperibus nempe non tantum medicinam gratis faciebat, ſed & beneficiis adſiſtebat lautioribus, pecunia atque pharmacis, quæ ipſe parabat, chymicam artem callens atque exercens. In hoſpites etiam admodum erat liberalis, domique ſuæ plures excepit. Pietatis, quæ ſumma laus eſt, eximius erat cultor; conciones & preces publicas crebro frequentavit, privatim ſtatis horis Scripturam S. alioſque libros theologicos cum domeſticis legit, Scriptaque N. T. in textu græco adſidue atque adtente in muſeo ſuo evolvit. Inter hæc pietatis atque muneris exercitia febre epidemica correptus mortem, quam ſibi in diem a decubitu XI. prædixit, non tam paſſus, quam conſtanti πληροφορια vitæ melioris adgreſſus eſt d. 10. Mart. a. 1588. elatuſque eſt honorifice univerſo civitatis comitatu & planctu.

Edidit

Edidit *Nautileum ſomnium*, 1560. 4. *Tabulas & commentarium in artem medicinalem Galeni*, *ejuſdemque librum de conſtitutione artis medicæ*, 1561. fol. *Theatrum vitæ humanæ* a 1565. 1571. 1586. 1596. & 1604. IV. T. fol. *Tab. in Ariſtotelis* l. X. *Ethicorum ad Nicomachum*, 1566. fol. & 1566. 4. *Leges Ordinis Medici Baſilienſis*, Baſ. 1570. fol. *Morum philoſophiam poëticam*, 1575. 2. T. 8. *Methodum ſimilitudinum*, 1575. 1595. & 1602. 8. *Methodum ruſticam Catonis & Varronis præceptis aphoriſticis per locos communes digeſtis*, 1576. 8. *Methodum apodemicam*, Baſ. 1577. 4. & Argent. 1594. 4. *Tabulas in 22. commentarios Hippocratis*, *nec non ſententias inſignes Hippocrateas per locos communes digeſtas*, 1579. fol. *de biſtoria*, eod. 8. *Argumenta*, *ſcholia & tabulas in l. X. Ethic. Ariſtot. ad Nicom.* 1582. fol. *Argumenta*, *ſcholia & tabulas in l. 8. Polit. Ariſt.* eod. fol. *Orationes gratulatorias*, Baſ. 1586. 4. *Cygneam cantionem*, 1588. 4. *Analyſin Pſalmorum Davidis*, *ſymboli apoſtolici & orationis dominicæ*, 1599. fol. *Phyſiologiam medicam*, 1610. 8. *Euſebii*, *epiſcopi*, *opera tabulis illuſtrata*, *conſilia & epiſtolas medicas*. Primum in lucem edidit a. 1563. *Franc. Catanei Diacetii opera*, *cum præfatione*, *in qua ſuum in platonica atque ariſtotelica philoſophia ſcientiam ex æquo probavit*; etiam cum Scapulæ lexico edidit *græcarum dialectorum hypotypoſin*, nec non *aliquot conſilia medica apud Scholzium*, Han. 1611.

VI. PHILIPPUS SCHERB, natus a. 1555. Epiſcopicellæ in Thurgovia Helvetiorum, patrem habuit *Melchiorem Scherb*, *Philippi* filium, Conſtantienſem, Epiſcopicellæ a. 1550. civitatis jure donatum ibidemque Poligrammateum conſtitutum, matrem vero *Annam Calhartiam*. Puer, ad omnes res lepidior, tempeſtivius literis initiatus fuit a parentibus, eaſdemque tum in Italia, tum præſertim Baſileæ ferviditſime excoluit, eoſque in philoſophia atque arte medica fecit profectus, ut d. 6. Sept. 1580. inſignia medica ſolenni cerimonia acceperit; publica oratione ſcrutatus, *utrum cryſtallinus humor primarium viſus ſit organum*, *an aliqua in oculo pars?* Adeo etiam academiæ Baſilienſis proceribus probata fuit ejus eruditio, ut ei non ſolum a. 1580. ordinariam Logicæ profeſſionem, ſed & a. 1581. vicariatum profeſſionis Organi Ariſtot. detulerint, quo ad a. 1583. fuerat functus. His non contenti a. 1584. ex cathedra Logica ad cathedram Philoſophiæ moralis eundem tranſtulerunt, quod officium dextre egit ad a. 1586.

quo Altorfium, Philoſophiæ & medicinæ docendæ ſparta ornatus, ſeceſſit, ubi etiam ad dies vitæ perſtitit, licet ei a. 1588. a Baſilienſibus profeſſio Medicinæ Theoreticæ decreta, & a civitatis Magiſtratu amplius, quam ſolvi ſolebat, ſalarium oblatum fuerit. Altorfii Scherbius maximo cum fructu provinciæ ſuæ præfuit, & omni laude ſuperiorem ſe præbuit doctorem. Graphice eum depinxit Caſp. Hoffmann, ejus diſcipulus, in epiſt. dedic. theſium medicarum Scherbii his verbis: *Diſſeream, ſi ulla oratio adſequi poteſt ſummam ingenii acrimoniam, conjunctam cum judicio ſubactiſſimo. Adparet hoc ex theſibus ipſius: ſed & ex lectionibus, quas hodie vocant, a diſcipulis exceptis. E quibus niſi quis ſubito agnoſcit, non ſapuiſſe illum vulgaria, ſed ad cotem Ariſtotelis & Galeni exacuta: næ ille parum ſalis in ſe habet. Has autem cum habebat, aut illas cum diſputabat, quanta erat corporis dignitate, vociſque ſuavitate! Tum vero quam pollebat* δυναμει, *quam illi dicunt* ερμενευτικη. *Nempe, tam erat utrobique perſpicuus, & tam poterat irrepere in animos audientium, miſtis opportuniſſime jocis cum ſeriis, ut, qui Scherbium non intelligeret, nihil intelligeret. Utebatur etiam ſermone, non exquiſito illo, quem faſtidioſi quidam Ciceroniani crepant; non etiam ſordido illo, quem Barbari ſectantur: ſed (uno verbo)* διδακτικω. *Cum enim latiniſſime alias loqueretur, non reſpuebat terminos artis, ut adpellant. Factum hinc eſt, ut frequentiſſimum haberet auditorium, cum ventitarent ad illum etiam ex illo hominum genere, quod alias philoſophos ex alto deſpicit, vel quia marſupium illi obolet, vel quia converſatio hæc indigna videtur eſſe genere & ſanguine ſuo. Factum hinc etiam eſt, quod quidam eo provecti ſint amoris, ut quidvis notare vellent, atque etiam publici juris facere. — Quo magis veniam merebitur* ο μακαριτης *noſter, ſi in politicis, quæ edita ſunt, non pauca ſint, quæ a tali viro non exſpectes.* Interea Scherbius nuptias celebravit Norimbergæ a. 1591. cum nobili virgine, *Helena Rotenburgia*, cum qua lætiſſimus vixit ad a. 1604. quo anno acerbiſſimo luctui ob eam ſibi morte ademtam indulſit; nec minori luctu poſtea fuerat adfectus ob filium unicum, non indoctum quidem, ſed adeo prodigum atque degenerem, ut coactus fuerit excubitorem diurnum agere ad portam. Parens vero, iſto jam nomine ſatis miſer, inſuper erat hæreditarius podagricus,

diuque

diuque & multum conflictabatur cum hoc morbo, poſtremis præſertim vitæ annis; tametſi priſtinum animi vigorem & academiæ inſerviendi ſtudium quodammodo retinuerit. Hujus teſtem adpellamus *Conr. Ritterhuſium* in epiſt. ad *Kirchmannum*, quæ exſtat in *Gudianis* p. 238. ubi dicit: *D. Scherbius noſter ex febre valde eſt debilis, ut metuat ſuæ ipſe vitæ; quamquam ad morbem præſenti eſt animo, vel ideo, ut brevi ſit cum conjuge, quam prænuſit. — Magnum lumen nobis exſtinguetur; quamvis enim jam ab aliquot annis id morbi nebulis obſcuratum quodammodo videri potuit, tamen domi adhuc ſplendebat, contractioribus quidem, ſed tamen ſatis dilucidis & illuſtribus radiis.* Tandem poſt longam moleſtamque ægritudinem ſecuta eſt beata ejuſdem analyſis d. 11. Jul. 1605. de cujus morte *Piccartus* ſcripſit: *ſi cum Catone virtus etiam mortua recte dicebatur, cum Scherbio pietas, medicina, philoſophia & virtus in cineres abiunt.* De faceto vero ejuſdem ingenio inſuper quædam ut commemoremus, id quidem ex variis ejus ſcriptis elucet, præcipue vero ex familiaribus ejus colloquiis atque epiſtolis, ex quibus nonnulla exempla adtuliſſe forſan haud erit ingratum: De patria ſua interrogatus jocularidictione ad Helvetiam, pecoribus præſtantiſſimis abundantem, adludens ſeſe *einen Küh-Melker* vocare conſueverat. Singulare etiam illius exemplum præbet titulus alicui diſſertationi præfixus, qui hic eſt: *De differentiis definitionum, ad quarum vel exotericam oppugnationem, vel acroamaticam expugnationem, Ph. Scherbius Proſtates, & Conr. Albinus Hypoſtates, in XIII. d. Nov. omnium ordinum academicos Epiſtatas, Paraſtatas, comiter invitant, officioſe vocant, amice provocant &c.* Etiam epiſtola aliqua ad amicum ſcripta idem oſtendit, cujus hoc eſt argumentum: *Relabor ad jocum: an liceat* baden *ei, qui eryſipelate laborat? Reſpondeo phyſice, metaphyſice, & mathematice, imo ne dubites, medice, ſed non feminine; licet, ſi non actu quis laboret, & valde licet, quia balneum aquæ dulcis (antegreſſa, aut purgatione, aut ſanguinis miſſione) bilis fervorem contemperat, hepatis quoque calorem mitigat. Sed obiicitur graviſſima auctoritas feminarum? Reſp. femina taceat, non ſolum in eccleſia, ſed & in ſchola Galeni, excipio morbos muliebres. De his malo ego quoque coram tecum loqui, quam longius ſcribere. Heic homines nihil aliud lo-*

Digitized by Google

quuntur quam Schopperitates. (adludit ad plauſus, quibus a. 1590. *Jac. Schopperus*, Theol. Prof. & Antiſtes exceptus fuit.) *Liceat enim mihi* (*ut Ciceroni* Lentulitatem & Appeitatem *fingere licuit*) *in rebus quoque novis novum vocabulum fingere. Sol, ut puto, propius ad nos accedet poſthac*, & *pro* Tannzapfen, *melle, lacte, vino abundabimus! o fortunatos agricolas! utinam modo ſpes non ſit ſomnium vigilantis. Bene vale*, & *concipe* Φρονημα νεανικον. *Tibi autem hoc ſoli. Vinum meum incipit proſpicere ad metam; per occaſionem quæras velim, quid jam forum vinarium ferat, auctame pretia?* wann ein gut Zeichen im Calender ſtehet zu kaufen? *credo*, wann einer Geld im Beutel hat &c. Æque autem promtum paratumque Scherbium ad ſeria proferenda, quam ad jocoſa fuiſſe, tot ejus commentationes, medici pariter ac philoſophici argumenti, ſane perquam graves ac ſeriæ, luculenter oſtendunt. Animi vero ſingularem moderationem ipſe probavit in controverſia, propter *ariſtotelicam philoſophiam*, habita cum *Ramiſtis*; quorum quidam, *Henningus Rennemannus*, geminato magna protervitate ſcripto, Franc. 1595. edito, adoriens Scherbium, ab hoc, bonitate cauſæ ſuæ confiſo, nequicquam reſponſi tulit. Nugas tamen & ineptias hominis pro merito confutavit, & ab iis tam Galenicæ medicinæ, quam peripateticæ familiæ, ſcholarumque Germaniæ dignitatem, tum etiam ſeorſim Scherbium, indigne tractatum vindicavit *Andr. Libavius*, peculiari ſchediaſmatum medico philoſophicorum, ſale & pipere ſat liberaliter conſperſorum volumine, quod prodiit Francof. 1596.

Scripta ejus edita hæc fere ſunt: Δοξαι *e philoſophia humana deſumtæ*, Baſ. 1585. *de differentiis analytices & dialectices*, ib. eod. *Theſes Medicæ* Lipſ. 1614. *Commentarius in Politicam Ariſtotelis*, ib. 1617. *Theſes philoſ.* Helmſt. 1619. *Theſes philoſ. in unum corpus redactæ*, *n.* 18. Amberg. 1623. Helmſt. 1659. quæ editio tribus diſputationibus auctior eſt. Diſſertatio *pro philoſophia peripatetica adverſus Ramiſtas*; hæc exſtat in Philoſophia Altorfina per *J. Paul. Felwingerum* edita, & de ea *Morhofii* in Polyh. p. 62. judicium hoc eſt: *Elegantiſſima eſt Scherbii diſputatio pro philoſophia peripatetica adverſus Ramiſtas, adeo brevis, nervoſa & elegans, neque ſine flore eloquentiæ, ut vel vaſto libro accuratius aliquid ſcribi non poſſet. Oratio de idoneo judice earum controverſiarum, quæ in artibus naſci ſolent, ex ſententia Galeni*, a. 1592. primum edita, poſtmodum ea acceſſit ad eandem Philoſ.

Philoſ. Altorf. *Diſcurſus politici in Ariſtotelis de Republica libros*, Francof. 1610. 8. *Theſes medicæ* 19 *collectæ & editæ a Caſp. Hofmanno*, Lipſ. 1614. 8. ad calcem harum theſium acceſſit *examen Panaceæ Amwaldinæ*, habitum ad inſtantiam magnorum virorum a Phil. Scherbio. *Epiſtola ad Sigiſm. Schnitzerum*, exſtat in *ciſta medica Joh. Hornungi* p. 343. *Epiſtola ad Andr. Libavium* præfigitur hujus medico philoſophicis ſchediaſmatibus, Francof. 1596. 8. *præfatio epiſtolica ad Erneſtum Sonerum, in Andreæ Cæſalpini de Metallicis libros*, Norimb 1602. editos. *Sylva medicamentorum compoſitorum per C. Hofmannum* Lipſ. 1617. 8. edita, ab aliis Scherbio, ab aliis alii, tribuitur. Diſſ. *de morbis colliquativis* a Scherbio conſcripta lucem publicam nunquam vidit. Sed ejus liber *de natura politica & recta juvenum inſtitutione* prodiit Francof. 1608. 8. *epiſtola Scherbii ad Theoph. Maderum* exſtat in Cent. Epp. philolog. ex *Bibl. Goldaſti*, Lipſ. 1674. 8. p. 334.

VII. Joh. Nicolaus Stupanus, magni Ariſtotelis atque Galeni felix interpres atque æmulus, natione fuit Rhætus, ex antiqua eaque nobili familia oriundus. Procreatus fuit Pontraſini, ſuperioris Engadini civitate a. 1542. d. 9. Dec. patre *Nicolao Stupano*, ſenatore atque judice, matre *Vrſina*. Majorum exemplo, quorum tres quatuorve ſummos Philoſophos atque medicos numeravit, excitatus, itidem camœnarum amore captus a. 1557. Baſilienſem earum ſedem petiit, & publicum gymnaſium frequentare cœpit. Fato autem ſiniſtro hic fuerat uſus; cum enim hoſpiti convictus pretium aliquanto ſerius, quam ſperaverat, ſolveretur, is moræ impatiens Stupanum Gymnaſio temere exemtum opificio ſartorio adhibuit, ſtudiiſque valedicere juſſit. Quam primum autem id reſcivit *Barthol. Sylvius*, quem in patria fidum habuit præceptorem, muſis redditus & denuo gymnaſio fuit illatus. Triennio poſt ex pulvere ſcholaſtico in ſolem Academiæ perductus philoſophicas artes atque diſciplinas diligenter addidicit, inprimis *C. S. Curionis* inſtitutione uſus, eo ſucceſſu, ut philoſophica brabea, primam quidem lauream a. 1563., magiſterii vero honores a. 1565. digniſſimus acceperit. Majorum exempla imitaturus, poſtquam philoſophica ſtudia, inprimis linguæ latinæ atque græcæ cognitionem, fundamenti loco poſuiſſet, ſtudium medicum feliciter eſt exorſus, ſummaque diligentia, quam ei adhibuit, tantos in eo

fecit progreſſus, ut non ſolum a. 1569. ſummos in Medicina honores obtineret, ſed & Academia, perſpecta omnigena & ſingulari ejus eruditione, variis profeſſionibus obeundis ipſius operam depoſceret. Etenim d. 1. Febr. 1571. ad Logicam docendam a ſenatu acad. rite fuit vocatus, cui muneri dextre ſatis ſupra quadriennium præfuit; hinc d. 10. Oct. 1575. ad profeſſionem Organi ariſtot. traductus eandem pari ornamento atque emolumento adminiſtravit, donec d. 24. Febr. a. 1589. ſuperiorum juſſu Medicinam Theoreticam profiteri cœpit; in hoc munere ob malevolorum nonnullorum ſenatorum calumnias, *Caſp. Bauhinum*, in illud intrudere cogitantium, quod vero Bauhinus minime adprobabat, demum d. 30. Jun. a Senatu fuit confirmatus. Theoretico autem huic ſtudio Stupanus totum ſe dedit adeo, ut ejus faſtigium ſupremum conſcenderit. Ipſius etiam fama pellecti myſtæ apollinei undique adcurrebant, eumque magno cum fructu audiebant. Præterea ſtudio tenebatur diſciplinarum mathematicarum, quarum callentiſſimum fuiſſe ſcripta publica teſtantur. Continuis tandem atque graviſſimis laboribus frangi cœpit, unde ad tempus filio *Emanueli*, ne quid publico decederet, vices ſubeundas, adprobante ſenatu acad. commiſit uſque ad a. 1620. quo exhibitis literis ſupplicibus, quibus petiit, ut ob tot annorum merita & ſenectutis infirmitates filius iſte a ſexennio vicarius ſibi in Profeſſione medica ſucceſſor conſtitueretur, deſideriis ejus ſatisfactum, filiuſque Emanuel d. 26. Febr. ipſi fuit ſuffectus, ſicque vivi parentis hæreditatem filius adiit. Ipſe vero ſenectutis ſarcina preſſus anno ſequente, qui fuit 1621. d. 11. Aug. diem ſuum obiit. Ceterum conjugium iniit geminum, alterum cum *Regula Frey*, unica, alterum cum *Catharina Iſelin*, duodena prole fœcundum.

Scripta ejus ſunt ſequentia: Oratio de Cœlii Secundi Curionis vita ac obitu, Baſ. 1570. 4. *Pandulphi Collenutii hiſtoriæ Neapolitanæ* l. VI. latine translati a Nic. Stupano, Baſ. 1572. 4. forſan eſt idem opus, quod infra ſub nomine *Collectionis hiſt. Neap.* occurrit. *De Holometri fabrica & uſu, inſtrumento geometrico ab Abele Fulvio* invento, & Stupani opera ſermone latino explicato, Baſ. 1577. fol. *Novum Galeni theatrum*, ib. *theſes de morbo ejuſque differentiis in genere*, ib. 1592. *theſes de ſymtomatibus*, ib. eod. *theſes de vera & genuina cerebri ſtructura*, Baſ. 1594. 4. theſes *de variolis & morbillis*,

morbillis, ib. 1596. *medicina theorica in theſes contracta*, 1614. *Binæ epiſtolæ medicæ.* Ex italico in latinum tranſtulit *Patricii dialogos de legenda ſcribendaque hiſtoriæ ratione.* 1570. 8. *Collectionem hiſtoriæ Neapolitanæ* l. 6. ib. 1572. 4. *Alexandri Piccolomini de ſphæra* l. 6. Baſ. 1588. 4. Ejuſdem *compendium de ſtellis fixis, & de magnitudine terræ & aquæ. Joh. Petri Contareni hiſtoriam de bello Veneto a Selimo* 2. illato. Baſ. 1573. 4. *Nic. Machiavelli de principe & diſcurſus de Republica.* Baſ. 1580. 8. *Petri Pitati opus de ortu & occaſu ſtellarum fixarum* revidit & caſtigavit, Baſ. 1568. 4.

VIII. EMANUEL STUPANUS parentibus natus optimis d. 13. Dec. a. 1587. patrem quidem habuit *Joh. Nicolaum Stupanum*, Med. Doct. ac Theoret. Profeſſorem, matrem vero *Catharinam Iſelin*, qui ipſum bonis literis cura non minus quam voto conſecrarunt. Abſoluto curſu Gymnaſii a. 1603. in ſtudioſorum philoſophiæ numerum fuit adlectus; ſequenti anno Genevam miſſus non ſolum linguam gallicam ſed & ſtudium philoſophicum adeo diligenter excoluit, ut a. 1607. Baſileam redux primum privatim Baccalaureus & paulo poſt A. L. M. publice fuerit renunciatus. Ex hoc tempore non modo voluntate parentis ſed & proprio incitante genio, paterna lecturus veſtigia, Medicinæ operam dedit, uſus non tantum privata atque publica parentis optimi, verum & clariſſ. ejuſdem collegarum, *Caſp. Bauhini*, & *Fel. Platteri* fida inſtitutione, quibus tam præclaris adjumentis, accedente indefeſſa induſtria tantum profecit, ut poſt peregrinationem in Italiam ſuſceptam 4. Non. Nov. a. 1617. inſignia Doctoris medici magno ſuo merito fuerit conſecutus. Uti philoſophiæ & utrique philologiæ, græcæ & latinæ, juxta ſtudium medicum, operam haud vulgarem impendit, ita omnigenæ eruditionis ſuæ varia & egregia edidit pro temporum occaſione ſpecimina, trium profeſſorum philoſophiæ ſucceſſive vices ſuſtinens, a. 1611. *Jac. Zuingeri*, Græci, itemque *Henr. Juſti*, organi ariſtot. Profeſſoris, & a. 1614. *Frid. Caſtellionis*, Rhetoris. Quantum & in Medicina valeat, oſtendit publice, cum parenti ſeni ac debili opera ſua adſtitit, ejuſque cathedram vicario nomine, primum privata voluntate parentis ab a. 1614. dein publica ſenatus acad. auctoritate ab a. 1617. conſcendit. Qua promta officiorum ſuorum exhibitione,

hibitione, magnoque per eam in academicam juventutem collato commodo ita ſe ſenatui acad. commendavit, ut, petente id parente, d. 26. Febr. 1620. ejus ſucceſſor fuerit conſtitutus; quam provinciam d. 28. Mart. 1620. prælequio de *fraudibus Paracelſiſtarum* adiit, laudabilique diligentia adminiſtravit, magna Hippocratis & Galeni nomina, ut par eſt, inprimis veneratus, in quibus quicquid eſt præcipuum vaſta, qua pollebat, memoria eſt complexus, ſic ut, ubi opus, vel ipſiſſimis eorum verbis non minus græce quam latine, prolixe & ad ſtuporem reſponderet. Præterea non publicis modo exercitiis, legendo, diſputando, ſed & privatis inſtitutionibus, dum ætas vireſque permittebant, ſedulus & fidus vacavit, inde nomen & apud exteros ſortitus. Muneribus ac dignitatibus acad. cunctis ſæpe riteque eſt defunctus; ordinis ſui decurio XII. Rector III. Uxorem duxit *Juditham Zærnlin* 10. Cal. Febr. a. 1617. ex qua 14. ſuſcepit liberos. Seſquianno ante obitum in via ad concionem & ſynaxin ſacram lapſum eſt paſſus, ut a publico abſtinere neceſſe haberet. Omnibus curis mundanis in uxorem & primogenitum devolutis, ſupernis unice fuit intentus, quæ patienti deſiderio exſpectavit & ad 4. Cal. Mart. a. 1664. eſt ſortitus.

Edidit *Aphoriſmorum Hippocratis enarrationes & commentaria aphor.* 1615. 8. *Leonh. Fuchſii Inſtitutionum med.* l. V. correctiores & auctiores edidit Baſ. 1618. 8. *prælequium in profeſſionem medicam pro Hippocratis Medicina*, 4. *orationem de vita & obitu Caſp. Bauhini*, ib. 1625. 4. *Lexicon medicum Græco lat. a Barthol. Caſtello inchoatum*, ab ipſo vero illuſtratum atque perfectum 1628. 8. *J. Riolani Syſtema artis medicinalis Theor. & Pract.* nova forma adornavit, emendavit & indice auxit, 1629. 8. Ejuſd. libr. *de ratione curandorum morborum* correxit & locupletavit, eod. 8.

IX. HIERONYMUS BAUHIN primam diem habuit 4. Cal. Mart. a. 1637. genitores vero *Joh. Caſparum Bauhin*, Med. Doct. & Practicæ Profeſſorem, & *Barbaram Bitton*. Huic benigniori naſcendi ſorti in prima ætate acceſſit ſollicita & prudens parentum cura, qui eum non modo domi erudierunt, ſed & præceptoribus publicis erudiendum tradiderunt, quorum ductu virtutis & literarum elementa ipſe adſiduus auditor probe percepit, & a. 1650. ex gymnaſii pomœriis in Academiæ caſtra tranſivit.

Digitized by Google

transivit. Hic sub signis philosophorum strenue militavit, præterque reliquas artes atque scientias inprimis Dialecticam, linguam græcam atque philosophiam naturalem, disciplinas futuro medico præsertim utiles atque necessarias, diligenter excoluit. Exacto autem triennio studio philosophico destinato a. 1653. d. 26. Jul. titulo Philosophiæ Doctoris ornatus Medicorum scholam intravit, & sub auspiciis *Em. Stupani*, *Jac. a Brunn* & præsertim optimi parentis ex veterum Medicorum Hippocratis & Galeni fontibus, laudabili majorum exemplo, medendi artem didicit, nec prius in neotericorum scriptis vagandum censuit, quam ex horum medicinæ principum placitis solida fundamenta posuisset. Omnes licet Medicinæ partes excussisset, sibique familiares reddidisset, præ ceteris tamen studio Botanico delectatus legitur, qua herbarum peritia & commilitonibus suis magno eorum emolumento præivit. Postquam autem integrum quinquennium in studium medicum impendisset, animumque eximia rerum medicarum scientia imbuisset, superatis cum laude consuetis speciminibus, d. 3. Aug. a. 1658. Doctoris medici titulo fuit condecoratus. Cum jam ea esset continentia judiciique maturitate, ut vitia hujus seculi cavere, & quæ studiis honestisque moribus plenius efformandis apta seligere posset, in Italiam fuit missus, Patavii primum subsistens, ubi exercitia medica, inprimis anatomica, frequentavit, & a celeberrimis viris, *Frisimelica*, *Molineto*, *Marqueto*, *Ferrario*, *Rhodio*, *Offredo* aliisque prolixa favoris officia accepit. Patavio valere jusso Romam, Bononiam, Florentiam, aliasque ejus regionis civitates salutavit, non tam ædificiorum splendorem stupens, quam eruditorum virorum amicitiam quærens. Basileam cum rediit, patrem in cadaveris fœminei dissectione occupatum invenit, cujus ad ducem Wurtembergicum Montisbelgardi ægrotantem vocati atque profecti statim vices obiit, illamque dissectionem dextre perfecit. Hisce peractis & Galliam visitavit, Lugduni præcipue commoratus atque Lutetiæ, ubi *Patino*, *Mentelio*, *Sponio* quin & illustrissimo Domino *Caumartin*, regis olim ad Helvetios legato familiariter usus & ab isto perquam hospitaliter exceptus fuit. Domum cum petiit, & aliis, quæ magno labore atque sumtu camparaverat, communicare, praxinque medicam exercere cœpit, idque celerrime

lerrime atque felicissime. Studia etiam philosophica continuavit, ejusque specimen publicum edidit vacante cathedra Logica, de *Syllogismo* disputationem defendens d. 22. Apr. 1659. Sed majoribus erat destinatus, quæ mox fuere insecuta. Non tantum nempe rex christianissimus eadem qua patrem complexus est gratia filium, huicque diploma misit, quo erat sancitum, ut consiliarius atque medicus regius post fata parentis existeret, quæ vero res inverso fatorum ordine ceciderat; sed & Academiæ Bas. senatus d. 31. Aug. a. 1660. communibus suffragiis professionem Anat. & Botanicam ei decrevit, quam duplicem spartam, in locum laudemque parentis succedens, maximo cum fructu administravit, donec d. 17. Oct. a. 1664. ad medicinam theoreticam docendam fuit vocatus, quam provinciam non minori fide atque industria obiit. Negotiis quam plurimis atque gravissimis obrutus adjutricem quæsivit atque invenit optimam, *Annam Fæsch*, quæ sancto vinculo ei juncta fuit mense Martio a. 1664. & ex qua duos filios fuscepit, *Joh. Casparum* & *Joh. Ludovicum*, ille moriente patre 18. menses natus, deinceps Medicinæ operam dedit, quam Montisbelgardi apud ducem Wurtembergicum, cujus medicus erat atque consiliarius, diligenter exercuit, & d. 19. Mart. a. 1705. diem suum obiit; hic vero 18. hebdomadas natus, cum pater morte defungeretur, studia dein juridica fuit profecutus & J. V. L. atque Reip. nostræ Senator, antea etiam prætor, obiit a. 1735. Sed felicitas Bauhini nostri in terris fuerat brevissima; morbo hungarico enim correptus d. 23. Jan. a. 1667. vitam hanc clausit, ad cœlestem atque perennem felicitatem translatus.

Edidit *Tabernæmontani librum de re herbaria* multis additamentis auctiorem, quam olim ab avo, Casparo Bauhino, fuerat editus, Bas. 1664. fol. diss. *de peripneumonia*, 1658. *Prolegomena medica in succinctas theses redacta*, 1665. 4. *theses medicas de peste*, Bas. 4.

X. Joh. Rodolphus Burcard, Medicinæ Doctor, a cathedra Anat. & Bot. ad cathedram Medicinæ Theoreticæ fuit vocatus d. 30. Sept. a. 1667. eamque occupavit, donec d. 29. Dec. a. 1685. ad docendam Medicinam Practicam transferretur. V. Prof. Med. Pract. n. 9.

XI.

XI. JACOBUS ROTH, Med. Doctor ex cathedra Anat. & Bot. in cathedram Medicinæ Theoret. fuit translatus d. 29. Dec. a. 1685. eamque poſſedit ad d. 18. Febr. a. 1687. ad Medicinæ Pract. profeſſionem promotus. V. Prof. Med. Pract. n. 10.

XII. NICOLAUS EGLINGER, Med. Doctor, prius Anat. & Bot. Profeſſor, Theoretices Profeſſor fuit deſignatus d. 18. Febr. a. 1687. hancque ſpartam ornavit, dum d. 10. Jun. a. 1703. Medicinæ Pract. profeſſionem obtinuit. V. Prof. Med. Pract. n. 11.

XIII. JOH. JACOBUS HARDER lucem ortumque vitalem accepit d. 7. Sept. a. 1656. debuitque poſt Deum parentibus, *Joh. Conr. Harder*, Archigrammateo atque Scholarchæ, poſt ſenatori atque Reip. Quæſtori & *Annæ Mariæ Gemuſæus*. Abſoluto penſo ſcholaſtico a. 1668. philoſophorum inſtitutioni traditus pro ingenii felicitate atque multa, quam adhibuit, diligentia eo eſt progreſſus, ut a. 1670. unam, & a. 1671. alteram lauream philoſ. reportarit. Hiſce ſcientiis atque titulis ornatus ad magis realia ſe convertit, & ſtudium Medicinæ elegit, quod omnibus velis egit remiſque, indefeſſam in Anatomiam, Botanicam atque univerſam medendi artem impendens aſſiduitatem. Auctorus apud exteros ſcientiam Genevam, Lugdunum atque Lutetiam Pariſiorum abiit, hic per annum fere ſubſtitit, & Anatomiæ præſertim atque Chirurgiæ diligentem operam navavit. A. 1675. in patriam reverſus ſtatim d. 9. Jun. diſſertationem *de anima ſentiente* edidit ac defendit, vacantem profeſſionem Phyſices ambiens. Sequenti anno 1676. conſuetis editis ſpeciminibus d. 10. Cal. Jun. ſummos in Medicina honores fuit adſecutus. Ab iſto tempore male adfectis ægrotantibus ſolatio atque auxilio eſſe ſtuduit, itemque philoſophiæ cultoribus opera ſua profuit. Mox vero amplior campus ei fuit apertus, occaſioque data, eruditionem ſuam inſignem declarandi atque ea ſtudioſorum conatus promovendi. Die nempe 19. Febr. 1678. Rhetorica & d. 5. Jan. 1686. Phyſica profeſſio ei fuit delata, quam utramque diligenter adminiſtravit, donec ad altiora fuit evectus, quod factum, cum d. 18. Febr. 1687. Anatomiæ & Botanicæ, & denique d. 10. Jun. a. 1703. Theoreticæ Medicinæ Profeſſor

Profeſſor conſtitueretur. In majoribus peragendis non minorem fidem adhibuit atque ſedulitatem quam in minoribus, quin ſe ipſum ſuperare & magis magiſque proximo ſervire continuo contendit. Nec intra paterna mœnia fama ejus ſubſtitit, ſed longe lateque fuit diffuſa, ejus conſilia medica etiam a principibus viris avide atque frequenter expetita, honoreſque in eum undique fuere effuſi. Jam a. 1681. in academiam S. R. Imp. Naturæ Curioſorum ſub nomine *Pæonis* receptus, ejuſdemque Præſidis *Adjunctus* a. 1689. fuit deſignatus. A. 1682. a Marchione Bada-Durlacenſi Medicus familiaris, a. 1684. Phyſicus provincialis & a. 1707. conſiliarius intimus fuit conſtitutus. Archiatrum ſuum a. 1699. dux Wurtembergicus, a. 1700. præfectus Altſchhauſenſis, a. 1701. comites Leiningenſes, a. 1705. comes Haſſiæ Caſſell. nec non dux Holſatiæ atque comes Hanovienſis ipſum denominarunt honorifice, lautiſque præmiis adfecerunt; præterea a. 1683. in academiam *Recuperatorum* cooptatus & denique a. 1694. ab Imperatore *Leopoldo I. Comes Palatinus Cæſareus* creatus & ampliſſimis privilegiis fuit donatus. Vitæ ſociam ſibi adlegit junxitque d. 23. Oct. a. 1679. *Barbaram Burcard*, ſedecim liberorum ex ipſo factam matrem, ex quibus duo tantum filii filiæque quinque eum luxerunt, in illis fuit *Joh. Rodolphus*, Phil. & Med. Doctor. Vitam ipſe explevit d. 28. Apr. a. 1711. febri peripneumonica intra ſex dierum ſpatium exſtinctus.

Libri ejus editi ſunt: Επιχειρησις *phyſiologica in animæ humanæ ſeu intellectivæ naturam inquirens*, Baſ. 1671. 4. diſſ. *de Ictero nigro*, ib. 1673. 4. diſſ. *de Aſthmate*, Baſ. 1676. 4. diſſ. *de noſtalgia* (*Heimwehe*) 1678. *prodromus phyſiologicus naturam explicans humorum nutritioni & generationi dicatorum*, 1679. 8. *Examen anatomicum cochleæ terreſtris domiportæ*, ib. eod. 8. *Pæonis & Pythagoræ exercitationes anatomicæ & medicæ bis* 50. 1684. 8. *Epiſtolæ aliquot de partibus genitalibus cochlearum, generatione item inſectorum ex ovo ad Ant. Fel. Marſilium & Luc. Schröckium*, Aug. Vind. 1684. 8. diſſ. *viſcerum præcipuorum ſtructuram & uſum adumbrans*. Baſ. 1686. 4. *Theſaurus obſervationum medicarum*, 1736. fol. *Apiarium*, obſervationibus medicis centum & phyſicis experimentis refertum, ib. 1687. 8. In Ephemeridibus Acad. Nat. Cur. *de puella rene dextro cum ſuccenturiato carente*, 1682. *de rupicaprarum interaneis & Ægagropylis: de Molæ generatione & differentiis*, 1683. *de noxiis*

Digitized by Google

noxiis cicutis terreſtr. 1684. *de viperarum morſu & anatome muris alpini*, 1685. *de mingendi difficultate cum urina purulenta.* 1687. *Glandulæ ventriculi ſcirrhoſæ cum pylori & pancratis ſcirrho inſigni: Enterocele ex inteſtini coli prolapſu: de corpuſculis in duodeno conſpicuis: de dyſenteria poſt febrem continuam malignam: anatome erinacei terreſtris. Meſenterii tumor in cervo*, 1688. *Sinus frontalis in vitulo: polypus Gelatinæ ſimilis: Lien magnus: cor & pericordium monſtroſa: de glande ſclopeto emiſſa pulmonis lobum alterum cum œſophago perforante, cui natura felicem medelam paravit*, 1690. *de glandulis inteſtini duodeni*, 1693. *de polypo cordis portentoſo: de motibus epilepticis in primipara: de motibus convulſivis alternis diebus recurrentibus: de fluore albo mulierum ſeu lympha varii coloris e naturalibus copioſe fluente: de muliere vermivoma: de puella novenni prægnante, & de uvula defectu*, 1694, *de funeſta uteri ruptura ipſo partus tempore*, 1697. In Ephemeridibus Germanicis: *Conſtitutiones epidemicæ Baſilienſes*, a. 1699. 1701. & 1702.

XIV. THEODORUS ZUINGER, antea Anat. & Botan. Profeſſor, ad Profeſſionem Medicinæ Theoreticæ fuit evectus d. 26. Maj. a. 1711., quam vero non eſt adgreſſus, ad Profeſſionem Medicinæ Practicæ d. 15. Sept. a. 1711. vocatus. V. Prof. Med. Pract. n. 12.

XV. EMANUEL KOENIG exorſus eſt hanc vitam d. 1. Nov. a. 1658. parentibus uſus *Eman. Kœnig*, typographo & *Anna Cathar. Schart.* Inter libros natus & educatus incredibili librorum flagrabat ſtudio, eorumque lectione quam maxime delectabatur. Hoc obſervantes pii parentes, puerique ingenium feliciſſimum animadvertentes, deſideriis ejus adnuerunt, muſiſque eum conſecrarunt. Exacto feliciter a. 1674. Gymnaſii penſo, curſuque philoſophico dimidia ex parte abſoluto, a. 1675. primos in philoſophia honores, quos Lauream adpellare mos eſt, obtinuit, cumque & altera curriculi philoſophici parte laudabiliter fuit defunctus, a. 1677. honores & dignitates Magiſterii ſeu doctoræ philoſophicæ ceu teſtimonia præmiaque laborum accepit. Ad Medicinam animum adplicans omnibus viribus in medendi ſtudium incubuit, nocturniſque impalleſcens Hippocratis, Galeni ſuique ævi Æſculapiorum chartis, tantam in hac ſaluberrima arte ſibi comparavit notitiam, ut jam d. 31. Oct. a. 1682. ob ſtrenue navatam operam doctoratus medici gradum, dignitatem atque privilegia obtine-

ret.

Digitized by Google

ret. Sequenti abhinc anno peritiam medicam domi acquisitam apud exteros insigniorem reddere statuit, & iter literarium in Galliam atque Italiam instituit. Genevæ a *Theoph. Bonneto*, Lugduni *Sponiis* patre ac filio, Montispessuli *Petro Magnoto*, *Barbeyracio*, *Chiraco* & *Vieussenio*, Florentiæ a *Redio* & *Bellino*, Bononiæ a *Malpighio*, Patavii a *Dominico de Marchettis* & *Car. Patino*, qui filiam suam ei uxorem obtulerat, quem favorem vero deprecatus erat, aliisque viris primi ordinis comiter exceptus magnoque honore habitus fuit. Comparata cum præstantissimis Galliæ atque Italiæ Medicis, Anatomicis atque Botanicis amicitia, captaque ex eorum consuetudine insigni utilitate ac in rebus medicis peritia, exteris quidem regionibus valedixit, sed veterem usum cum exteris eruditis sancte atque constanter servavit, & non solum cum plerisque modo nominatorum sed & cum *J. J. Wepfero*, *Tob. Hollandero*, *Conr. Peyero*, *Car. Drelincourtio*, *Bohnio*, *Schræckio* & *Wedelio* commercium literarium habuit & diligenter exercuit. Amicitia etiam, quæ inter Wedelium & Kœnigium interceserat, effecit, ut Kœnigius a. 1682. a præside Academiæ Nat. Cur. Leopoldinæ, *Mich. Febrio*, ejusdem academiæ socius, sub nomine *Avicennæ*, denominaretur. Patriæ jam eruditione sua variis modis prodesse contendit, & in cathedra docendo & ægrotos visitando. Primo quidem d. 19. Dec. a. 1695. Professio Linguæ Græcæ & d. 18. Dec. a. 1703. Professio Physicæ ei fuit demandata. Hac provincia bene administrata, alia ei fuit commissa, nempe professio Medicinæ Theoreticæ, quæ ei fuit decreta d. 15. Dec. a. 1711. quamque d. 8. Febr. Salomoni sacra a. 1712. lectione *de Medicina Regis Salomonis philosophiæ Chaldæorum & sanguinis circulationi innixa ex Ecclesiast. 12.* solenniter fuit auspicatus. Ex *Ursula Weiss*, uxore, præter sex alios liberos, sustulit filium *Emanuelem*, Med. D. & Prof. de quo mox dicetur. His omnibus pie atque feliciter peractis, podagra excruciatus, terræ valedixit d. 30. Jul. a. 1731.

Scripta ejus sunt sequentia: diss. *de adfectibus*, 1677. diss. *de regno animali*, 1682. *Regnum vegetabile*, 1680. 1688. ejus T. 2. 1696. ambo tomi 1708. 4. *Regnum animale*, 1682. 1708. 4. *Regnum minerale*, 1686. 1703. 4. *Logicæ inutilis Helmontianæ tripes*, 1686. 4. *Pyramis logica*, 1689.

Scholia

Scholia in observationes chirurgicas & medicas Joh. Muralti, 1691. 8. *Chymia physica circa corporum naturalem & artificialem statum*, 1693. 4. *aureus thesaurus medicamentorum novorum &c.* germ. 1703. 1723. 8. *spicilegium botan. & anat.* 1703. *Georgica helvetica curiosa*, germ. 1705. 8. *Exercitatio medica curiosa, vere curiosa, de eo quod summum est in medicina*, 1711. In Miscellaneis & Ephemeridibus Nat. Cur. a. 1682. *Cerebrum pomi magnitudine e cranio carcinomate exesо protuberans*, obs. 167. *Morsus lupi rabidi talismate Saturnino sanati*, obs. 168. *Radicis Carlinæ vis defatigans*, obs. 169. a. 1684. *Alimentorum assumtorum cita per vomitum ejectio*, obs. 94. *Ileosus in agone mortis Celotomia restitutus*, obs. 95. *Insomnium de apris, ex rasuræ dentis apri præscriptione*, obs. 96. a. 1685. *de fragaria botryformi uno petiolo novem fraga gerente*, obs. 30. *de cerasis botryformibus*, obs. 31. *de stridoris seu cantus Gryllorum organo*, obs. 32. *de motu cordis post abscissos omnes nervos spiritus, ipsi communicantes per 42. horas persistente*, obs. 33. *de noctua anatome, ejusque mira oculorum fabrica*, obs. 34. a. 1686. *Empyema thoracis caseosum*, obs. 98. *alexipharmaca lumbricos necantia*, obs. 99. *Sanguis tertianarii venenosus*, obs. 100. *Lupi piscis & mugilis ventriculi conformatio*, obs. 101. *decoctum febrifugum certissimum*, obs. 102. a. 1687. *Amuletum e cranio hominis violenta morte extincti, adversus atrophiam paralyticorum*, obs. 37. *Pomum helleboratum certum remedium adversus contumaciſſimam febrem quartanam*, obs. 38. *Post nuclei cerasi crusta lapidea obducti e pectore excretionem rejuvenescentia*, obs. 39. a. 1688. *de vitrificatione metallorum*, obs. 66. a. 1689. *de Glossopetris in Helvetia repertis*, obs. 143. *de iride solari in planitie terræ figura hyperbolica conspecta*, obs. 144. *Gemelli sibi invicem adnati feliciter separati*, obs. 145. *de modo exaltationis metallorum*, obs. 146. a. 1690. *Vicus fistulosum ani sanatum*, obs. 128. *homo caudatus*, obs. 129. *phantasia depravata periodica*, obs. 130. *Vesicatorium in febre maligna abusus*, obs. 131. *signorum cœlestium certis corporis partibus dominantium veritas*, obs. 132. *hydrops post febrem malignam sanatus*, obs. 133. *epistola de elixire Sophorum*, obs. 150. a. 1691. *Urina non nisi emulgendo per urethram reddita*, obs. 113. *Processus cornuformis digiti longitudine e pollice pedis enascens*, obs. 114. *nova radicis exotica Hipecocanna dicta, virtus antidysenterica*, obs. 115. *Calculus sub lingua excisus*, obs. 116. *apostema hepatis diarrhœa sanatum*, obs. 117. a. 1691. *de Topico antiquartio Helmontiano*, obs. 148. *de spiritu Bezoardico Dn. D. Bussii*, obs. 149. *de radicis & herbæ Caryophyllatæ vi ophthalmica*, obs. 150. *de Antihydropico Helmontiano vero*, obs. 151. a. 1694. *de rana piscatricis anatome*, obs. 139. a. 1697. &

Digitized by Google

1698. *de tinctura corallorum veriore*, obſ. 140. *de tinctura antimonii veriore*, obſ. 141. In Ephemeridum Centuria III. *Vera & philoſophica auri diaphoretici Poteriani præparatio*, obſ. 52.

XVI. Joh. Rodolphus Mieg primordia hujus vitæ cepit d. 3. Jul. a. 1694. Studiis puer, perſpecta ejus bona indole atque ingenii velocitate, mature a parentibus fuit dicatus, atque Gymnaſii præceptoribus erudiendus miſſus. Perceptis primis literarum elementis, atque ad academica ſtudia tractanda animo ſatis præparato, a. 1707. ad lectiones publicas, biennio poſt ad gradum primæ Laureæ & a. 1711. ad Magiſterii dignitatem magna cum laude fuit promotus. Rite poſito ſublimiorum ſcientiarum omnium fundamento, ſana philoſophia, ſtudio Medico ſe devovit, & illi totus vacavit. Contigit ei adeo eſſe felici, ut non publica ſaltem ſed & privata inſtitutione frueretur viri in arte Medica ſummi, *Theod. Zuingeri*, avunculi ſui optimi, quo duce plurimum in hac arte progreſſus ſub ejuſdem præſidio eruditam diſſertationem *de plantis Naſturcinis* publice cum laude defendit. Auctore atque ſuaſore eodem avunculo inprimis Anatomiæ atque Chirurgiæ operam dedit, hancque Medicinæ partem ſcitu maxime neceſſariam magis exculturus menſe Decembri a. 1714. Argentoratum eſt profectus, ubi *Scheidium*, *Henningerum*, *Saltzmannum*, *Bæclerum* alioſque diligenter audivit, anatomicis demonſtrationibus atque chirurgicis in noſodochio ſuſceptis operationibus frequens interfuit, nec non varias ſectiones atque operationes ipſe peregit. Heidelbergam dein perrexit, & clariſſ. *Nebelii* fuit auditor; hinc Argentoratum priſtinumque ſtudium repetiit. Ineunte a. 1716. domum rediit, mox vero Tigurum atque Scaphuſium, itemque tertia vice Argentoratum viſit atque reviſit. Per Burgundiam atque Lotharingiam in patriam redux tentaminibus atque examinibus Medicorum ſeſe ſubjecit, iiſque nec non publica diſputatione feliciter ſuperatis d. 16. Apr. an. 1716. ſummos in arte apollinea nactus eſt honores. Quæ magno labore atque ſumtu ipſe didicit, jam alios docere incepit, collegia privata melampodis filiis aperiens; nec non ægrotis auxilio eſſe morboſque propulſare ſtudioſe laboravit. Anno 1721. d. 3. Oct. pro cathedra Anat. & Bot. & d. 4. Mart. 1722. pro cathedra

thedra Logica ſpecimen edidit diſputatorium; a. 1724. pro obtinenda profeſſione Anat. & Bot. iterum diſputavit eandemque d. 19. Dec. obtinuit. Eam autem auſpicatus eſt d. 22. Jan. a. 1725. oratione inaugurali *de uſu Anatomes in Medicina atque Chirurgia.* Diligentia etiam atque eruditio, quam in ſecando C. H. monſtravit, ampliſſ. civitatis Magiſtratum commovit, plura, quam hactenus factum erat, cadavera theatro anat. permittendi, hybernumque auditorium Med. reſtaurandi, quo nomine Miegius oratione publica, ſic volente Ordine Medico, Magiſtratui gratias egit ſolennes. Ipſius anno 1728. ægrotantis vices egit *Albr. de Haller*, quem d. 12. Dec. 1777. humanis ereptum tota luxit Europa. Ab iſta vero cathedra Miegius tranſiit ad profeſſionem Medicinæ Theoret. d. 13. Sept. a. 1731. cui, licet a. 1732. profeſſio Medica Herbornenſis amplis conditionibus ei fuiſſet oblata, ad finem vitæ diligentiſſimus vacavit. Eodem anno 1732. Archiater Naſſovienſis honorifice fuit denominatus. D. 25. Apr. 1720. uxorem duxit *Eliſabetham Biſchoff*, Chriſtophori, ſenatoris, filiam, quæ ipſi tres filios, totidemque filias peperit; illos creatori reddidit, has ſibi ſuperſtites habuit. Ipſe vero uxori, filiabus, neceſſariis, mundo valedixit d. 7. Mart. a. 1733.

Edidit a. 1725. *orationem panegyricam* in obitum *Theod. Zuingeri*, Medici, nec non diſſ. *de mundo*, 1710. diſp. *de Naſturcinarum plantarum ſtructura, viribus & uſu in vita humana ſalubri*, 1714. *examen theoretico practicum medicum plantarum naſturcinarum*, eod. *theſes medicas*, eod. *theſes medicas*, 1721. *theſes philoſ. miſc.* 1722. *theſes medicas*, 1724. *theſes anatomicas*, 1726.

XVII. EMANUEL KOENIG, Med. Doct. & Theorices Profeſſor, rudimenta lucis accepit d. 14. Oct. an. 1698. pater ipſi fuit *Eman. Kœnig*, itidem Med. Doct. & Theor. Profeſſor, mater vero *Vrſula Weiſs.* Cum vivaci, veloci atque docili fuit ingenio, eum literis probe imbuendum una mente & voce decreverunt parentes. Ludo itaque literario fuit immiſſus, iiſque, quæ ibi tradi ſolent, rite perceptis, ex umbra prodiit in lucem, academiæ civibus a. 1710. adſcriptus. Neocomum linguæ gallicæ addiſcendæ ergo eodem anno profectus præter linguam gallicam & græcam atque latinam ulterius fuit proſecutus, optimoſque auctores legendo & ſtilum formavit

mavit & hiſtoricarum atque philoſophicarum rerum acquiſivit peritiam. Reverſus domum ſtudia philoſophica diligenter tractavit atque continuavit, ut a. 1712. ad gradum primæ Laureæ & a. 1714. ad gradum Magiſterii pro jure atque merito fuerit promotus. Medicinæ jam ex profeſſo, veſtigia paterna ſecuturus, diligenter operam dedit, ſedula atque fidiſſima parentis optimi opera uſus, & in iſta humano generi ſaluberrima arte tam cito profecit, ut poſt ſolennia tentamina atque examina, itemque publicam diſputationem de *ſtimulis villorum corporis humani*, jam d. 13. Jul. a. 1718. Medicinæ Doctor fuerit creatus. Amplam ſcientiam ampliorem redditurus ad Batavos fuit profectus, & Lugduni præſertim moratus magnum *Boerhavium* cum fructu audivit. Hinc Lutetiam Pariſiorum abiit, Anatomiæ præcipue cauſa, & demonſtrationibus anat. itemque chirurgicis operationibus in noſodochio frequens atque adtentus interfuit. Patriæ redditus inſigni eruditione ſua non tam Medicinam exercendo quam docendo eidem prodeſſe ſtuduit. Ut enim magna ſanctitate omnia gerebat, ita circa vitam hominis, qua nihil in terris pretioſius homini datum eſt, paulo erat ſcrupuloſior, veritus, ne aliquo modo detrimentum ei inferret; ut adeo pauciſſimi ejus conſiliis optimis fuerint uſi. Eo autem erat avidior, privatim atque publice Medicinæ ſtudioſos informandi, Medicoſque optimos fingendi. Academiæ etiam operam ſuam aliquoties obtulit, ſed per ſortem iniquam aliquamdiu ea fuit repudiata. Nempe a. 1721. pro Anatomia, a. 1722. pro Logica, a. 1724. iterum pro Anatomia, a. 1727. pro Phyſica atque Philoſophia morali diſputavit. Sed hæc omnia fruſtraneo conatu. Nondum tamen deterritus poſt fata parentis denuo ſpecimina edidit pro cathedra Anatomica & Botanica, quam tandem d. 1. Febr. a. 1732. obtinuit, idque officium iniit d. 10. Mart. a. 1732. prælectione publica, qua *Anatomen ad veram cognitionem morbiferarum cauſarum manuducere* oſtendit. Hanc autem cathedram jam d. 3. Jun. 1733. cum profeſſione Medicinæ Theoreticæ commutavit. Demandatum hoc munus, ut cetera omnia, quæ ei fuerant commiſſa, ſingulari fide, dexteritate atque prudentia adminiſtravit. Bina etiam vice legationem ad celſiſſ. principem, Epiſcopum Baſilienſem, Vniverſitatis Baſilienſis Cancellarium, Academiæ nomine cum gravi-

gravitate ſuſtinuit. Apoplectico autem fulmine perculſus vir iſte forma, adfabilitate, eruditione, pietate præſtantiſſimus meliorem vitam adiit d. 12. Sept. a. 1752.

Edidit in Actis Helvet. Phyſico Medicis Vol. I. a. 1751. *obſervationem de ore & proboſcide vermium cucurbitinorum.* Inter epiſtolas ad Alb. Hallerum ab Eruditis miſſas P. 1. V. 1. occurrunt & Kœnigii epiſtolæ n. 53. 59. 92. 109. 132. 185. diſſ. *de ſtimulis villorum corporis humani*, 1718. *theſes medicas*, 1721. *conſiderationes logicas*, 1722. *adverſaria medico botanica & anatomica*, 1724. *theſes phyſicas*, 1727. *cogitata de jure naturali & moribus hominum*, 1727. *theſes medicas*, 1732. *Praxi Medicæ Fel. Platteri a.* 1736. editæ *præfationem præmiſit.*

XVIII. FRIDERICUS ZUINGER, Med. Doct. Theorices Prof. Marchionis Bada Durlacenſis Conſiliarius aulicus & Medicus, nec non Societatis Phyſico Medicæ Baſilienſis membrum, Societatiſque germ. Baſil. ſodalis, ortum duxit a *Theodoro Zuingero*, Med. Doct. atque Praxeos Profeſſore & *Margaretha Burcard* d. 11. Aug. a. 1707. Hi parentes cum in filio adhuc puero non obſcura indolis egregiæ indicia animadverterent, pro pietate ſua ipſum bonis literis, ut per ætatem fieri potuit, mature ac diligenter imbuendum curarunt. Cum prima primarum artium rudimenta feliciter percepiſſet, ac certiora jam indolis ingeniique ſigna dediſſet, a. 1719. Philoſophiæ ſtudioſus creatus animum ad linguarum eruditarum univerſæque philoſophiæ ſtudium adplicuit; in ſingulis autem philoſophiæ partibus tam cito profecit atque excelluit, ut a. 1721. primam & a. 1723. ſecundam lauream philoſophicam a præceptoribus obtineret, & A. L. M. omni ſuo merito ſalutaretur. Ad Facultatem, ut vocant, ſuperiorem ſcanſurus elegit Juriſprudentiam, ſedulamque operam dedit juri interpretando. Quod enim is fuerat adgreſſus, id non primis tantum deguſtavit labris, ſed pro ingenii acumine atque velocitate in intima ſemper rerum penetravit penetralia. Defuncto autem a. 1724. parente optimo, ſubito vela dedit retrorſum, & Medicinæ ſtudium arripuit. Ducem inprimis hic fuit ſecutus fratrem conjunctiſſimum *Joh. Rodolphum*, Medicinæ profeſſorem, parentis vices erga Noſtrum ſuſtinentem. Medicæ autem artis præcepta ſingulari induſtria adeo cito cognovit atque perſpexit,

ut anno ſtatim ſequente, 1725., exemplo vix æquali, idque menſe Aprili, Profeſſoribus ſeſe examinandum exhibere potuerit, eique ab illis Licentia Medica fuerit conceſſa. Sed majorem adhuc comparare ſtuduit peritiam, idque apud exteros; ideo primum Tubingam abiit, & aliquot menſibus ibi commoratus Belgium petiit, atque Lugduni ſedem fixit. Hic *Boerhavium* atque *Albinum* habuit præceptores, fautores atque amicos. A. 1731. domum fuit reverſus, & ſequenti anno pro doctoratu medico itemque pro cathedra Anatomica ſpecimen diſſertationis edidit ac erudite defendit. Summi autem in arte medica honores ei publice fuerunt collati d. 22. Apr. a. 1732. qua occaſione publice de *Veris ſalubritate* diſſeruit. A. 1737. d. 8. Jul. ambiit cathedram hiſtoricam, poſitiones de hiſtoria defendens. D. 7. Febr. a. 1741. lucubrationes edidit ad obtinendam cathedram Rhetoricam. Inter hos labores Medicinæ cultoribus privata inſtitutione, ægrotiſque conſilio prodeſſe ſtuduit, Deoque benedicente, uterque labor feliciter ſucceſſit, adeo, ut a pluribus ægrotantibus expeteretur, quibus omnibus pro viribus, ſæpe ſupra vires, adſtitit atque religioſus cautuſque admodum conſuluit. Celſiſſ. princeps, Marchio Bada Durlacenſis, d. 1. Apr. a. 1743. honore atque favore eximio eum proſecutus, miſſo diplomate, Conſiliarium atque Medicum ſuum nominavit atque conſtituit. Matrimonio ſibi d. 22. Aug. a. 1745. junxit *Dorotheam Battier*, unicamque filiam, *Margarethan*, *Hieron. de Lachenal*, mercatori, nuptam, ex ea ſuſcepit. Tandem Academia ſibi favente ſorte eximium hunc virum vindicavit d. 10. Maj. a. 1751. Anatomiæ atque Botanicæ Profeſſorem electum, quam ſpartam adiit d. 13. Jul. a. 1751. prælectione *de utriuſque hujus ſcientiæ utilitate ac neceſſitate*. Hanc autem cathedram vertente anno mutavit cum cathedra Medicinæ Theoreticæ, quam novam provinciam auſpicatus eſt d. 21. Nov. a. 1752. lectione ſolenni *de medicina præcipue theoretica & Medicis Academiæ noſtræ illuſtribus*. Præter negotia conſueta Rectoratum acad. III. & Decanatum med. XI. adminiſtravit fidus ac ſedulus, nec ſine gravitate, fructu atque prudentia. Excelluit autem doctrina, judicii dexteritate ac pietate in Deum atque proximum ſingulari. Fuit enim in eo non ſolum artis, quam profitebatur, ſolida cognitio, ſed & ſingularis fides, adſi-

adſiduitas, morum integritas, in Deum pietas & erga pauperes beneficentia. Obiit bonorum luctu ex maraſmo ſenili d. 1. Aug. a. 1776. *Luc. Legrand*, J. V. D. ac Logices Profeſſor, epitaphium, characterem ejus exacte exprimens, ei ex pietate fecit, quod hoc eſt:

Σεμνος ανηρ κειται πολυδακρυτῳ δ' ενι τυμβῳ,
Ιητρος σωφρων δεξιος ηδ. ακακμας·
Ζβινγηρον τοδε σημ', αυτῳ μακαρεσσι μετειναι
Ασμενῳ ην κλειτων κἀν γ' αεικητι Φιλων.

Auctius edidit a. 1744. *herbarium paternum*, nuperis medicamentis additis, iconibuſque novis bene multis, partim paſſim conquiſitis, partim ad plantas horti Carlsruhenſis conchinatis; itemque *Medicum ſecurum atque celerem* a patre editum a. 1748. recudi curavit locupletiorem. *Quæ in deſcriptione territorii Baſilienſis Bruckneriana occurrunt Botanica*, pleraque diligentiæ Zuingerianæ debentur. Actis etiam Helveticis Phyſico Medicis varia inſeri curavit, ut V. 1. *caſum de ſuffocato puero a ſemine Phaſeoli in aſperam arteriam illapſo.* Obſervationem de *riſu involuntario vehementi & convulſivo, quem febri purpura rubra & alba ſequebatur.* Obſ. *botanicam de fungo peculiari, autumni tempore reperto.* V. 2. Obſerv. *de febri miliari ſ. purpura alba & rubra.* V. 3. *obſervata nonnulla litbologica* cum adjectis iconibus, quæ in germ. converſa leguntur in *delectationibus mineralogicis* (*mineralog. Beluſtigungen*) Lipſ. 1770. 8. V. 3. p. 45. diſſ. *de paraphrenitide*, a. 1731. *poſitiones biſtoricas*, a. 1737. *poſitiones anatomico botanicas*, a. 1731. *Lucubrationem rhetoricam*, a. 1745.

XIX. Joh. Rodolphus Stæhelin, Societatis Phyſico Medicæ Baſil. h. t. Præſes, bono publico atque academiæ Baſilienſis ornamento natus eſt d. 8. Oct. a. 1724. In latinis literis primarumque artium ſtudiis a publicis privatiſque magiſtris ſedulo eruditus in caſtra academica tranſiit & ſub ſignis profeſſorum philoſ. animo ſtrenuo militavit, delectatus inprimis ſtudiis phyſicis atque mathematicis, viam præſertim ad medicinam, cujus ſtudium jam metam ſuam propoſuerat, feliciter pandentibus. Poſtquam diligentiæ ac eruditionis ſuæ publica teſtimonia atque præmia, nempe a. 1740. primam lauream, & a. 1741. ſummum, quem Philoſophi dare poſſunt, honorem accepit, medicinæ cultorem ſe profiteri cœpit, ipſoque facto præſtitit, non contentus,

prima tantum artis medicæ delibaſſe rudimenta, ſed multas etiam res in naturæ obſcuritate abditas eruere fuit conatus. Jactis in patria peritiæ medicæ fundamentis ſolidioribus, Germaniam, Belgium Galliamque peragravit, & ſalutatis quamplurimis in arte medica viris præcipuis, atque in una alteraque Academia, Berolin. Lugduno Batava ac Pariſ. paulo longiori mora facta, ſcientia medica multum ditatus rediit, patriæque utilis eſſe contendit. D. 3. Sept. a. 1748. pro vacante cathedra Mathematica ſpecimen edidit publicum *de Elaſticitate aëris in variis atmoſphæræ locis*; ſed ſortem tum expertus eſt novercam. Poſtea exhibitis pro Doctoratu medico conſequendo ſolennibus ſpeciminibus eundem publice magna cum laude accepit d. 1. Jun. a. 1751. habita oratione in quæſtionem: *An amplum Botanices ſtudium medico qua tali ſit neceſſarium?* Vacua ſede Anat. & Bot. ejuſdem candidatus exſtitit a. 1751. habita diſputatione atque demonſtratione publica, idemque fecit biennio poſt, eadem ceſſante cathedra, quæ &, declinato illuſtriori paulo ante ipſi oblato apud exteros munere, feliciori ſorte ei fuit adſignata d. 26. Jan. 1753. hanc vero d. 22. Oct. 1776. cum profeſſione Medicinæ Theoreticæ commutavit, ſolenni prælectione de *conſuetudinibus quibuſdam noſtratium ſanitati noxiis.* Cum Theoria, quam publice docet, jam dudum conjunxit Praxin, quam feliciter exercet per univerſam civitatem etiamque in noſodochio, cujus Medicus ordinarius eſt conſtitutus, alternis vicibus ejus curam gerens.

Hactenus edidit in Actis Helv. Phyſ. Med. V. 2. *Obſervationem botan. de floribus Peloriæ, naſcentibus in Elatine foliis ſubrotundis*, C. B. V. 4. Obſerv. *de fractura oſſis Bregmatis*. V. 8. Obſerv. *de Jecinore dilacerato*, it. *Obſ. de ſuffocatione a botulo.* diſſ. *de pulſibus* 1749. *ſpecimen obſ. anat. & bot.* 1751. *in quo characterem Hypopitydis & Orchidis fucifloræ expoſuit.* Theſes *anat. & botan.* 1753.

PROFESSORES ANATOMIÆ ET BOTANICÆ.

EXTRAORDINARIUS.

ANDREAS VESALIUS, Caroli V. Imp. & Philippi II. Regis Hiſpan. Archiater, Phyſicus atque Anatomicus conſummatiſſimus, ex familia aſclepiadea duxit originem

nem & vitæ initium ſumſit Bruxellis d. 19. Dec. a. 1500. Patrem habuit Andream, Carolo V. a pharmacis, qui eum liberaliter educari & Lovanii in philoſophia peripatetica inſtrui curavit. Puer jam phyſicis atque anatomicis ſtudiis delectatus, & mures, talpas, glires, canes & feles diſſecans eorum viſcera rimatus legitur; naturæ itaque genio obſecutus ad artem medicam ita ſeſe adplicuit, ut ante ſe in anatomicis parem vix ullum, ſuperiorem certe neminem habuerit. Fundamenta autem peritiæ ſuæ medicæ poſuit partim Coloniæ partim Lutetiæ Pariſiorum, ubi præſertim viro ſummo, *Jac. Sylvio*, Anatomico atque Botanico eximio, præceptore fuerat uſus. Anno 1537. Patavii Anatomiæ Profeſſor conſtitutus magna nominis fama & ſpectatorum auditorumque fructu munere ſuo fuit functus. Uni autem ſedi adfixus eſſe noluit, ſed eruditione ſua & aliis profuturus totam Italiam peragravit & etiam Helvetios inviſit; Baſileæ advenit a. 1542. & in Academia Anatomiam fuit profeſſus publice. Hinc eandem artem Piſis traditurus a duce Florentino fuit vocatus, illincque Venetias perveniens cum legato Veneto a. 1546. ad comitia Ratisbonenſia profectus eſt. Antequam autem Baſileam reliquit, artis & induſtriæ ſuæ ſpecimen dedit illuſtre; civis nempe Baſilienſis ob uxorem lethaliter percuſſam d. 12. Maj. a. 1546. decollati cadaver artificioſe paratum erexit, iſtudque ſceleton academiæ in ſui memoriam donavit, quod in auditorio Medico cum inſcriptione auctorem muneris docente adhuc conſpicitur. Veſalius poſtea, cujus fama jam per totam Europam volavit, ab Imperatore Carolo V. & Philippo II. Rege Hiſpaniarum Archiater electus & ab iſto a. 1559. in Galliam miſſus fuit, ut Henrico II. regi, in certamine equeſtri ludicro, vulnere ad mortem adfecto adeſſet; ſed ſerius advenit, rege jam d. 29. Jun. fato defuncto. Poſtquam tam in Auſtria quam in Hiſpania ſtupenda artis ſuæ documenta dedit & plures extreme laborantes vitæ reſtituit, in Palæſtinam eſt profectus, cujus itineris non una ratio redditur, aliis perhibentibus, illud ex voto atque religione, aliis ex deſiderio regionis hujus naturam perſcrutandi, aliis ex pœnitentiæ ipſi demandatæ obedientia fuiſſe ſuſceptum. Commiſſus nempe fuerat ejus curæ vir quidam nobilis in Hiſpania, quem cum obiiſſe exiſtimaret, nec ſatis percepiſſe cauſam morbi ſibi videretur,

deretur, petiit a propinquis defuncti, ut ſibi liceret cadaver diſſecare. Conceſſum eſt ei, quod petebat, cumque pectus aperuiſſet, reperit cor adhuc palpitans. Cognati mortui non contenti eum accuſare factæ cædis, accuſant etiam impietatis apud inquiſitionem; exiſtimantes, ſe ibi ſeveriorem ultionem conſecuturos. Cum conſtaret de cæde, nec facile excuſaretur error tam periti Medici, voluit omnino Inquiſitio de eo ſumere ſupplicium, vixque potuit rex ſua auctoritate, vel potius ſuis precibus eum periculo tanto eripere. Tandem conceſſus eſt regi & toti aulæ, pro eo deprecanti, ea conditione, ut ad expiandum illud ſcelus proficiſceretur Hieroſolymam & ad montem Sinai. Hieroſolymis redux in Zazyntho inſula morbo correptus & ope omni deſtitutus inter barbaros e vita diſceſſit Idib. Oct. a. 1564. Adeo fortuna eſt volubilis!

Edidit anno æt. 28. opus admirandum *de humani corporis fabrica*, Baſ. 1543. & 1555. fol. germ. converſ. ab Alb. Torino, Norimb. 1551. fol. Baſileæ etiam ſcripſit *paraphraſin in l. 9. Razis de adfectuum ſingularum corporis partium curatione*. Baſ. 1537. *epiſtolam, qua docet, venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam*, Baſ. 1539. 4. aliam, *qua docet rationem propinandi radicis chinæ decoctum*, Baſ. 1546. Venet. 1546. 8. ib. 1566. Emendavit etiam translationem Anatomicorum aliquot Galeni librorum. *Chirurgiam* ejus *magnam*, recognitam & emendatam edidit in lucem *Proſper Borgarutius*, Venet. 1568. 8. ib. 1569. 8. *Anatomicarum Gabr. Fallopii obſervationum examen*, Venet. 1564. 4. *Epitome* ejus *anatomica* prodiit 1582. 8. c. not. & comment. *P. Pauw*. Lugd. Bat. 1616. c. f. 4. & cum notis *Nic. Fontani*, Amſt. 1642. c. f. fol. *Inſtitutionum anatomicarum ſecundum Galeni ſententiam l. IV.* 1585. 8. *aliquot conſilia medica apud Scholzium*, Han. 1610. *Opera omnia anatomica & chirurgica* cura *Boerhavii & Albini*, Lugd. Bat. 1725. fol.

ORDINARII.

I. Casparus Bauhin, Med. Doct. & Linguæ Græcæ Profeſſor, is fuit vir eximius, quo incitante atque demerente, Profeſſio Anatomiæ atque Botanices ab ampliſſ. civitatis Magiſtratu, conſtituto ſalario, primum fuit inſtituta, iſque, qui aliquot annis ante privato motu

motu Anatomicas demonſtrationes inſtituit, primus fuit, qui publica jam auctoritate idem facere fuit denominatus. Eam provinciam publice adiit d. 15. Oct. a. 1589. & commodo publico adminiſtravit, donec d. 13. Oct. a. 1614. ad Medicinam practicam docendam fuit vocatus. V. Prof. Med. Pract. n. 5.

II. THOMAS PLATER a d. 13. Oct. a. 1614. ad d. 10. Maj. 1625. hanc cathedram ornavit, Practices tunc Profeſſor conſtitutus. V. Prof. Med. Pract. n. 6.

III. JOH. JACOBUS A BRUNN d. 21. Jun. a. 1625. Anatomiæ & Botanices Profeſſor electus huic muneri vacavit, donec d. 20. Maj. a. 1629. ad cathedram Medicinæ Pract. transferretur. V. Prof. Med. Pract. n. 7.

IV. JOH. CASPAR BAUHIN huic profeſſioni præfuit a d. 29. Maj. a. 1629. ad d. 31. Aug. a. 1660. quo ad Practicam tranſiit. V. Prof. Med. Pract. n. 8.

V. HIERONYMUS BAUHIN Anatomicam atque Botan. cathedram conſcendit d. 31. Aug. a. 1660. eamque occupavit, dum ad Theoriam docendam fuit promotus, quod contigit d. 17. Oct. a. 1664. V. Prof. Med. Theor. n. 9.

VI. JOH. RODOLPHUS BURCARD., Med. Doct. & Matheſeos Profeſſor Anatomiæ & Botan. cathedram obtinuit d. 17. Oct. a. 1664. in eaque ſubſedit ad d. 30. Sept. a. 1667. Theorices Profeſſor deſignatus. V. Prof. Med. Pract. n. 9.

VII. JOH. HENRICUS GLASER patre *J. Henr. Glaſero*, matre *Maria Spæthina*, lucem adſpexit d. 6. Oct. a. 1629. Gymnaſii diſcipulus factus, omnes claſſes paucis annis feliciter emenſus & in numerum philoſophiæ ſtudioſorum cooptatus eſt. Depoſita puerili prætexta, & adſumta toga virili, infantiam ars ipſa excepit atque formavit. Philoſophica ſtudia diligenter tractavit, primamque Lauream a. 1646. Magiſtri vero artium titulum a. 1648. fuit conſecutus. Medicina vero ea fuit ſcientia, quæ ipſi ex ſuperioribus inprimis adriſit, & huic jam totus vacavit. Hujus cum haud contemnendam acquiſiviſſet peritiam, ejus porro augendæ cauſa

cauſa iter inſtituit literarium. Genevam primo contendit, dein Heidelbergam; inde petiit Galliam, diuque hæſit Pariſiis, Anatomicorum ſecandi ſolertiam, Chirurgorum promtam manum & horti regii amœnas divitias contemplatus atque miratus. Commoratus dein aliquamdiu fuit Sedani atque Lugduni, & quæ artis medicæ ſunt diligenter obſervavit. Comparato magno eruditionis theſauro, novem annos peregrinatus, in patriam reverſus eſt, & a. 1661. examina medica ſubiit. Exploratus placet atque laudatur, itemque, præmiſſa de *Rheumatiſmo* erudita diſſertatione, eodem anno d. 6. Aug. Medicinæ Doctor publice proclamatur, qua occaſione *de ſimilitudine & differentia, quæ proli cum parentibus intercedit*, publice verba fecit. Adepta poſt pulverem corona, praxin medicam multorum laborantium ſolatio auſpicatus fuit atque profecutus. Philoſophiæ etiam ſtudia non neglexit, ſed diligenter continuavit, ejuſque cultoribus inſtitutione ſua profuit. Quid & hic valeat, oſtendit tum vacante cathedra Mathematica a. 1664. tum d. 10. Mart. 1665. diſſertatione publica, qua, vacante cathedra Græca, theſes ex artibus inſtrumentalibus deſumtas exhibuit, itaque placuit ſenatui acad., ut d. 21. Apr. a. 1665. ομοδυμαδον linguæ Græcæ Profeſſor conſtitueretur, quam provinciam poſtr. Cal. Maj. 1665. lectione inaugurali, qua *ſtudii græci utilitatem atque neceſſitatem* demonſtravit, auſpicatus eſt. Eodem anno d. 28. Aug. iniit honorabile illud apud omnes conjugium cum *Dorothea Burcard*, Theodori Burcardi tredecimviri & Scholarchæ filia. In Græca vero cathedra, quam eximie ornavit, non diu ſubſtitit, ſed jam d. 30. Sept. a. 1667. ab ea ad profeſſionem Anat. atque Botan. fuit vocatus, quam novam provinciam adgreſſus eſt 5. Id. Dec. a. 1667. prælectione, qua oſtendit, *laudabilem eſſe morem apud nos hactenus fere receptum, quo per profeſſionem Anatomicam ad ceteras profeſſiones Medicas adſcenditur.* Hoc munus, ut & Rectoratum acad. Decanatum med. legationem a. 1672. ad Reverendiſſ. Epiſcopum Baſil. academiæ nomine ſuſceptam, aliaque officia fide ſumma geſſit atque adminiſtravit. Sed vitæ curriculum, quod laudabiliter fecit, nimis cito lue epidemica fuit abruptum d. 5. Febr. a. 1675.

Habuit

Habuit *orationem funebrem in obitum Hieron. Baubini*, Med. Doct. & Theoriæ Prof. 3. Id. Jun. a. 1667. quæ typis fuit expreſſa; edidit porro d. 30. Nov. 1664. *theſes opticas*; d. 10. Mart. 1665. *theſes ex artibus inſtrumentalibus deſumtas*; diſſ. *de ſimilitudine & differentia, quæ proli cum parentibus intercedit*, 1661. diſſ. *de rheumatiſmo*, eod. diſſ. de *reſpiratione*, 1667. *caſum medicum de menſium ſuppreſſione, eorumque per aures excretione, ut & febre tertiana noſha*, Baſ. 1673. 4. *tractatum de cerebro*, Baſ. 1680. 8.

VIII. JACOBUS ROTH deſignatus fuit Anat. & Bot. Profeſſor d. 26. Mart. a. 1675. & ad profeſſionem Medicinæ Theor. evectus d. 29. Dec. a. 1685. V. Prof. Med. Pract. n. 10.

IX. NICOLAUS EGLINGER Anatomicus d. 29. Dec. a. 1685. Theoricus vero d. 18. Febr. 1687. factus, prius Phyſicæ denique Medicinæ Pract. fuit Profeſſor, ut & Poliater. V. Prof. Med. Pract. n. 11.

X. JOH. JACOBUS HARDER ex cathedra Phyſica evocatus ad cathedram Anat. & Bot. d. 18. Febr. a. 1687. in ſtationem Medicinæ theor. profeſſoris ſucceſſit d. 10. Jun. 1703. V. Prof. Med. Theor. n. 13.

XI. THEODORUS ZUINGER, antea Phyſices Profeſſor, Anat. & Bot. Profeſſor fuit denominatus d. 18. Dec. a. 1703. hinc ad Theor. Profeſſionem tranſire juſſus d. 26. Maj. a. 1711. V. Prof. Med. Pract. n. 12.

XII. JOH. HENRICUS STAEHELIN hanc vitam exorſus eſt d. 1. Maj. 1668. pater ejus fuit *Benedictus Stæhelin*, ſupremus curiæ miniſter, mater vero *Catharina Kiſſelbach*, J. Henr. Kiſſelbachii, Profeſſoris Phyſices, filia. Ab iſtis parentibus pie fuit proſpectum, ut puer egregia indole liberalibus diſciplinis innutriretur atque a præceptoribus gymnaſii ad vitam academicam præpararetur. Rite hoc peracto in Academiam fuit translatus, & ita diligenter ſcientiis philoſophicis vacavit, ut a. 1683. Laureatus, & a. 1685. A. L. M. publice & cum laude fuerit renunciatus. Suadente avunculo, *Balth. Kiſſelbachio*, Med. Doct. & Collegii alumnorum præpoſito, nec non proprio animo eo inclinante, ſaluberrimam corpori humano artem addiſcere cœpit, præter

ter ordinarios Medicinæ profeſſores præſertim ſtudiorum duce uſus modo dicto avunculo, quorum diligenti inſtitutione & adhibita propria adſiduitate eo fuit progreſſus, ut ſuperato a. 1690. examine in numerum Medicinæ candidatorum fuerit receptus. Anatomicum atque Botanicum ſtudium proſecuturus atque perfecturus Pariſios petiit, & biennii ſpatio Domini *Marchal*, Chirurgi regii, hoſpitio uſus amplam occaſionem, in Anatomia atque Botanica proficiendi, avide eſt amplexus. Conſuetudinem inſuper habuit cum Medicis atque Botanicis celeberrimis, Domino *Tournefort* & Domino *Duvernay*, ex qua amplos fructus percepit. Sub finem a. 1692. patriam repetiit & d. 6. Jun. a. 1693. laurea apollinea fuit coronatus. Ab hoc tempore medicas artes exercuit, multiſque ſolatio fuit atque levamini. Curas vero domeſticas diviſit cum *Margaretha Birr*, quam ſibi fœdere conjugali junxit d. 5. Mart. a. 1694. quæque 7. filios ei peperit ac 5. filias, ex filiis *Benedictus*, Med. Doctor, Phyſices Profeſſor magno ſuo merito fuit electus. Academia patria merita Profeſſoris noſtri agnoſcens ea remunerari atque remunerata adaugere ſtuduit. Hoc conſilio ei Profeſſionem Eloquentiæ d. 19. Oct. a. 1706. decreverunt academiæ antiſtites, & quidem unanimi conſenſu, eamque is d. 26. Nov. a. 1706. prælectione de *veræ eloquentiæ præſtantia* ſolenniter auſpicatus eſt. Huic autem cum per quinquennium laudabiliter vacaſſet, ad negotia magis convenientia obeunda fuit vocatus, nempe d. 13. Oct. a. 1711. profeſſio Anatomiæ & Botanices ei fuit delata, cujus auſpicia eodem anno, d. 18. Dec. publice cepit & oratione inaugurali *Botanici & Anatomici ſtudii dignitatem, utilitatem & jucunditatem* oſtendit. Hanc novam ſpartam pro viribus adornavit, ſed non ſupra decennium, phthiſicus enim diem obiit 19. Jul. a. 1721.

Commercium literarum habuerat cum magni nominis *Scheuchzero*, cui multas plantas tranſmilit. Edidit *theſes rhetoricas* 1696. diſſ. *de oſſibus eorumque morbis*, 1693. theſes *de variis epochis & annorum periodis*, 1706. *theſes anat. & botan.* 1711.

XIII. Joh. Rodolphus Zuinger, Med. Doct. & Logices Profeſſor cathedram Anat. & Bot. ſorte obtinuit d. 16. Dec. a. 1721. eamque reliquit a. 1724., ejuſdem anni

anni d. 30. Aug. professionem medicinæ pract. auspicatus. V. Prof. Med. Pract. n. 13.

XIV. Joh. Rodolphus Mieg electus Anat. & Bot. Professor d. 19. Dec. 1724. nactam hanc spartam exornavit usque ad d. 13. Sept. a. 1731. cum Medicina Theoretica docenda ei fuit commissa. V. Prof. Med. Theor. n. 16.

XV. Emanuel Koenig Anat. & Bot. Professor constitutus d. 1. Febr. a. 1732. muneri huic præfuit anni tantum spatio, & d. 3. Jun. 1733. illud cum cathedra Medicinæ Theor. permutavit. V. Prof. Med. Theor. n. 17.

XVI. Daniel Bernoulli, maximi Patris maximus Filius, natus est d. 29. Jan. a. 1700. Groningæ Frisiorum, patre *Johanne Bernoulli*, Med. Doct. & Matheseos tum quidem Groningæ, postea vero Basileæ, Professore publico eximio, & matre *Dorothea Falckner*. Cum parentibus a. 1705. iter fecit in patriam, Basileam, & publicum gymnasium frequentavit. Ex hoc a. 1713. ad Academiam emissus philosophiam diligenter tractavit, mathematicis præsertim scientiis summopere delectatus. Primam Lauream a. 1715. ex ipsius Parentis, Brabeutæ designati, manibus accepit, habita oratiuncula in quæstionem, *utrum Nobilis genere vel munere, Nobili virtute & eruditione sit præferendus?* Magister autem Artium promotus fuit a. 1716. a *Joh. Buxtorffio*, Ling. Hebr. Prof. & publice disseruit in thema præscriptum *de insulsitate illorum, qui mathematica studia spernunt eo nomine, quod Mathematici quondam maleficis fuerint adnumerati.* Filium parentes destinarunt Mercurio mercatori, ille autem majori adfectione prosequebatur Mercurium literatorem, & Apollini medico nomen dans, prima artis medendi præcepta ab Æsculapiis Basiliensibus accepit. Anno vero 1718. Heidelbergam profectus *Nebelium* Medicinam docentem audivit. Sequenti anno Argentoratum abiit, Anatomiam & Chirurgiam prosecuturus. Basileam reversus, a. 1721. examen medicum subiit & Medicinæ Candidatis fuit adscriptus. Mathematicas vero atque physicas scientias non sepositi, sed ex professo & indefesso studio eas tractavit, patremque

eas

eas exponentem adtente audivit. Anno 1723. iter fecit Venetias, & in medica arte usus inprimis est institutione magni *Michelotti*, quem, ipso permittente, non solum in nosodochia sed & ad lectos nobilium fuit comitatus. Hic & familiariter usus fuit Mathematicis atque Physicis insignibus, *Rizetti* & *Ricatto*, ex quorum consuetudine multum profecit. A. 1724. adoptatus fuit sodalis instituti Scientiarum Bononiensis, & a. 1725. obtinuit præmium illustre ab academia Scientiarum Parisiensi ob optimam clepsydrarum conficiendarum ostensam rationem. Patavium dein perrexit, desiderans, celeberrimi Anatomici *Morgagnii* lectiones frequentare, quem vero scopum quominus adsequeretur febri ardente fuit impeditus. Hoc tempore Genuenses Bernoullium nostrum a Marchione *Pallavicini* de meliori commendatum Academiæ Scientiarum præsidem expetierunt, quorum vero precibus ipse non adnuit. Curatoribus vero Academiæ Petropolitanæ Physiologiæ Medicæ & Matheseos sublimioris Professorem eum vocantibus operam suam ad quinquennium condixit. Petropoli cum fratre natu majore, *Nicolao*, J. V. L. itemque designato Matheseos Professore Petropolitano, d. 26. Oct. a. 1725. advenit, & commissum munus diligentissime, omnium plausus ferens, obiit. Cum autem modo dictus frater jam d. 26. Jul. a. 1726. febri lenta occubuisset, ipseque valetudine infirmiore uteretur, elapso desponso quinquennio dimissionem petiit, sed non obtinuit. Precibus nempe atque promissis detentus triennii adhuc spatium ibi explevit. Promissa autem fuerant salarii augmentum, honorarium ad dies vitæ continuandum, tituluſque Professoris atque Socii Academiæ illius honorarii atque perpetui, quibus posterioribus etiam num gaudet. Magno ipsius gaudio accidit, ut fratrum alter, *Johannes*, J. V. D. & Matheseos nunc apud nos Professor celeberrimus, ipsum ibi a. 1732. inviseret, cum quo a. 1733. periculosa navigatione superata, per Dantiscum, Belgium atque Galliam salvus in patria advenit, eodemque anno, postquam a. 1722. pro cathedra Logica, a. 1727. pro Physica, a. 1731. iterum pro Logica, & a. 1732. pro Anat. & Botan. frustraneo conatu partim specimina edidisset, partim absens candidatorum turbæ sese immiscuisset, d. 19. Sept. professionem Anat. & Bot. reportavit, quam, Medicinæ Doctor biduo post proclamatus, d. 18. Dec. a. 1733. publica-

publica prælectione ingreſſus eſt. Hoc munere dum fungeretur, phyſica atque mathematica ſtudia non neglexit, quin adſidue tractavit, ut ſcripta plurima ab illo tempore edita, nec non præmia ob ſolutionem phyſicarum quæſtionum accepta affatim teſtantur; ab academia nempe regia Pariſienſi a. 1734. duplicati præmii alteram partem ipſius pater, alteram ipſe, a. 1737. 1740. 1743. 1745. 1746. 1747. 1751. & 1757. præmium Noſter vel totum vel ex parte obtinuit. A. 1743. accepit præmium ſcripto *de modo optimo conſtruendi acus Magneticas inclinatorias.* a. 1745. & 1747. ſcripto de *methodo optima mari inveniendi temporis.* 1742. 1744. 1746. ſcripto de *theoria magnetis.* A. 1751. præmium duplicatum *ſur la theorie des courans & la meilleure maniere la plus avantageuſe de ſuppleer à l'action du vent ſur les grands vaiſſeaux.* A. 1757. *ſur la meilleure maniere de diminuer de roulis & le tangage d'un navire.* Porro d. 4. Febr. a. 1747. *Boruſſicæ*, & a. 1748. Academiæ Scientiarum *Gallicæ*, in quam octo tantum extranei recipiuntur, membrum fuit electus. A. 1750. in academiam *Londinenſem*, a. 1762. in ſocietatem œconom. *Bernenſem*, a. 1764. in ſocietatem œconom. *Tigurinam*, & a. 1767. in academiam Electoralem *Manheimenſem* fuit cooptatus; nec non ſodalibus ſocietatis Phyſico Medicæ *Baſilienſis* adſcriptus. Cum a. 1750. cathedra Phyſica profeſſore ſuo privaretur, a ſummo Civitatis Magiſtratu ea d. 16. Nov. 1750. Bernoullio noſtro fuit oblata, addito honorario 130. librarum, quod præter ſalarium Phyſici ordinarium eſſet accepturus. Extraordinariam hanc invitationem, ſervato tamen inter Medicos ordine, ſede ac voto, nec non canonici Petrini honore, ſecutus, Phyſicam profeſſionem accepit atque ſummo ſtudioſorum commodo nominiſque ſui decore diligentiſſime adminiſtravit, donec ingraveſcente ſenectute vires, nondum quidem animi, ſed corporis debilitari inciperent, ipſeque a. 1777. a ſenatu Acad. veniam petiiſſet, vices ſuas in ſuum ex fratre Johanne nepotem, *Danielem Bernoulli*, Medicinæ Doctorem, transferendi, quod ei haud difficulter, cum honorum atque gratiarum teſtificatione, fuit conceſſum. Ceterum vir iſte egregius non ſolum ſcriptis eruditiſſimis, quæ ſtatim indicabimus, ſed & aliis operibus præclaris memoriam ſui extendit atque ad immortalitatem conſecravit; in quibus & hocce poni-

mus, quod jam a. 1762. *quinquaginta Ludovicos aureos* ærario academico ea lege commiserit, ut Rector Academiæ ex reditibus eorum pauperes studiosos peregrinos hac iter facientes viatico instrueret, eorumque inopiam aliquo modo sublevaret. Nec non Bibliothecæ Acad. nummos Moscoviticos varios atque rariores, aureos, argenteos ac æneos a. 1734. in sui memoriam tradidit.

Scripta ejus edita sunt: diss. de *Respiratione*, d. 2. Sept. 1721. *theses anat. & bot.* d. 24. Oct. 1721. *Theses logicæ sistentes methodum examinandi syllogismorum validitatem*, 1722. *Exercitationes quædam Mathem.* Ven. 1724. 4. *Hydrodynamica.* Arg 1738. 4. *Sermo in promotione Garmani* Med. Doct. habitus, Bas. 1737. fol. In Commentariis Academiæ Petrop. T. I. *Examen principiorum Mechan. Tentamen novæ de motu musculorum theoriæ. Experimentum circa nervum opticum.* T. 2. *Theoria nova de motu aquarum per canales quoscunque fluentium Demonstrationes geometricæ de centro virium oscillationis & gravitatis. De actione fluidorum in corpora solida & motu solidorum in fluidis.* T. 3. *Methodus universalis determinandæ curvaturæ fili a potentiis extensi. Observationes de seriebus recurrentibus & earum insigni usu pro inveniendis radicibus omnium æquationum algebraicarum. Dissertationis de actione fluidorum in corpora solida, & motus solidorum in fluidis continuatio.* T. 4. *Problema astronomicum novum inveniendi altitudinem poli, una cum declinatione & culminatione stellæ incognitæ ex observatis tribus ejusdem stellæ altitudinibus & duobus temporum intervallis brevissimo calculo solutum. Theorema novum de motu curvilineo corporum, quæ resistentiam patiuntur velocitatis suæ quadrato proportionalem una cum solutione problematis in Act. Lipsi. M. Nov.* 1728. *propositi. Experimenta coram Societate instituta in confirmationem novæ theoriæ pressionum, quas latera carnalis ab aqua transfluente sustinet.* T. 5. *Notationes de æquationibus, quæ progrediuntur in infinitum, earumque resolutione per methodum serierum recurrentium, ut & de nova serierum specie; cum continuatione. De motibus corporum reciprocis oscillatoriis in medio resistente, quæ ubique resistentiam patiuntur quadrato velocitatis suæ proportionalem. Specimen theoriæ novæ de mensura sortis.* T. 6. *Theoremata de oscillationibus corporum filo flexili connexorum & catenæ verticaliter suspensæ.* T. 7. *Demonstrationes theorematum de oscillationibus corporum, &c.* T 8. *De legibus quibusdam mechanicis, quas natura constanter affectat, nondum descriptis earumque usu hydrodynamico. Ej. diss. continuatio.* T. 9. *De motu corporum a percussione excentrica, una cum theoria motuum in corporibus rotando se invicem impellentibus.* T. 10. *Commentationes de immutatione & extensione principii*

cipii conſervationis virium vivarum, quæ pro motu corporum cœleſtium requiritur. De ſtatu æquilibrii corporum humido inſidentium. Tomis ſequentibus inſertæ ſunt diſſertationes *de motibus oſcillatoriis corporum humido inſidentium. Specimina calculi integralis. De oſcillationibus compoſitis. De vibrationibus & ſono laminarum elaſticarum. De ſonis multivariis, quas laminæ elaſticæ diverſo modo edunt. De legibus motus mixti variati, quo corpus ſphæricum ſuper plano aſpero progreditur.* A. 1767. *de uſu algorithmi infiniteſimalis in arte conjectandi. De duratione media Matrimoniorum, pro quacunque conjugum ætate, aliiſque quæſtionibus affinibus.* A. 1768. *commentatio de utiliſſima ac commodiſſima directione potentiarum frictionibus mechanicis adhibendarum.* A. 1769. *Diſquiſitiones analyticæ de novo problemate conjecturali. Menſura ſortis ad fortuitam ſucceſſionem rerum naturaliter contingentium applicata. Commentationes Phyſico Mechanicæ de frictionibus variis illuſtratæ exemplis.* A. 1770. *Continuatio argumenti de menſura ſortis ad fortuitam ſucceſſionem rerum naturaliter contingentium applicata. Examen Phyſico Mechanicum de motu mixto, qui laminis elaſticis a percuſſione ſimul imprimitur.* A. 1771. *De ſummationibus ſerierum quarundam incongrue veris earumque interpretatione & uſu. De vibrationibus chordarum, ex duabus partibus tam longitudine quam craſſitie ab invicem diverſis compoſitarum.* A. 1772. *De indole ſingulari ſerierum infinitarum, quas ſinus vel coſinus angulorum arithmetice progredientium formant, earumque ſummatione & uſu. Expoſitio theoretica ſingularis Machinæ hydraulicæ, Tiguri Helvetiorum exſtructæ.* A. 1773. *Theoria elementaris ſerierum, ex ſinibus atque coſinibus arcuum arithmetice progredientium diverſimode compoſitarum, dilucidata. Nova determinatio centri oſcillationis in corporibus qualibuſcunque filo flexili ſuſpenſis, ejuſque a regula communi diſcrepantia.* A. 1774. *Commentatio Phyſico Mechanica generalior principii de coëxiſtentia vibrationum ſimplicium haud perturbatarum in ſyſtemate compoſito. Commentatio Phyſico Mechanica ſpecialior de motibus reciprocis compoſitis, multifariis, nondum exploratis, qui pendulis bimembribus facilius obſervari poſſunt, in confirmationem principii ſui* (Dan. Bernoullii) *de coëxiſtentia vibrationum ſimplicium.* A. 1775. *Adverſaria analytica miſcellanea de fractionibus continuis. Diſquiſitiones ulteriores de indole fractionum continuarum.* Actis Academiæ Scientiarum Pariſienſis hæ ejus lucubrationes fuere inſertæ: *Diſcours ſur la maniére la plus parfaite de conſerver ſur mer l'egalité du mouvement des clepſidres, ou ſablíers.* 1725. *De l'inclinaiſon mutuelle des planetes.* 1733. *Quelle eſt la meilleure maniére d'eprouver les Ancres.* 1737. *Sur le flux & le reflux de la mer.* 1740. *Sur la meilleure maniére de conſtruire les bouſ-*

ſoles d'inclinaiſon. 1743. *Sur la meilleure manière de trouver l'heure en mer.* 1745. & 1747. *Sur la cauſe phyſique de l'Aiman.* 1746. *Eſſai d'une nouvelle analyſe de la mortalité cauſée par la petite Vérole, & des avantages de l'inoculation pour la prevenir*, a. 1760. p. 1. *Recherches phyſiques, mécaniques & analytiques, ſur le ſon & ſur les tons des tuyaux d'Orgues différemment conſtruits*, a. 1762. p. 431. Actis Eruditorum Lipſienſibus hæc inſeri curavit: *Annotationes ad Jac. Riccati animadverſiones de æquationibus differentialibus ſecundi gradus.* Suppl. T. 8. S. 2. Art. 5. *Explanatio Notationum, quæ exſtant Act. Erud. Suppl. T. 8. S. 2. Solutio problematis Riccatiani. In Act. Erud. T. 8. p. 73.* — — — In hiſtoria Academiæ Scientiarum regiæ Berolinenſis hæc Ejus occurrunt: *Problème de déterminer généralement le mouvement variable d'un tuyau mobile au tour d'un point fixe & chargé de tant de corps, qu'on voudroit. Nouveau probleme de Mecanique.* A. 1745. *Remarques ſur le principe de la conſervation des forces vives pris dans un ſens general.* A. 1748. *Reflexions & Eclairciſſemens ſur les nouvelles vibrations des Cordes expoſées dans les Memoires de l'Academie* de 1747. & 1748. a. 1753. *Sur le mêlange de pluſieurs eſpeces de vibrations ſimples iſochrones, qui peuvent coëxiſter dans un même Syſtème de corps.* Eod. *Memoire ſur les vibrations des cordes d'une epaiſſeur inégale.* A. 1765. Actis helvet. Phyſico Medicis hæc inſeruit. V. 1. 1751. *Diverſes reflexions ſur la phyſique générale.* V. 2. 1755. *diverſes reflexions, concernant la phyſique générale, ſecond mémoire.* V. 3. 1758. *Memoire ſur les nouvelles aiguilles d'inclinaiſon, faites a Bâle par Mr. Dietric.* In deſcriptione ditionis Baſil. Bruckneriana T. XIII. occurrit Ejus *dimenſio montis altioris ope Barometri facta, cum obſervationibus iſtam menſurandi methodum illuſtrantibus.* Sed hæc & alia egregia hujus Viri opuſcula ex votis Eruditorum olim juncta adparebunt.

XVII. FRIDERICUS ZUINGER nactus eſt profeſſionem Anat. & Botan. d. 10. Maj. a. 1751. eamque anno elapſo cum cathedra Medicinæ Theor. permutavit, quam primum conſcendit d. 21. Nov. a. 1752. V. Prof. Med. Theor. n. 18.

XVIII. JOH. RODOLPHUS STAEHELIN ſorte favente electus eſt Anat. & Bot. Profeſſor d. 26. Jan. a. 1753. in hoc munere omni diligentia fuit verſatus, donec ei aditus ad Medicinam Theor. aperiretur, quam publice docere incepit d. 22. Oct. 1776. V. Prof. Med. Theor. n. 19.

XIX. WER-

Digitized by Google

XIX. WERNERUS DE LACHENAL, ſocietatis phyſico medicæ Baſil. ſodalis, in hunc mundum editus eſt d. 23. Oct. 1736. In patrio ludo puer literas primum imbibit; ex eo egreſſus philoſophos docentes audivit, idque tanto ardore animi tantaque alacritate, ut pro liberali ac felici ingenio, quo erat ornatus, & indefeſſa, quam adhibuit, induſtria, in ſtudiis philoſophicis inſignes cito fecerit progreſſus. Primum academicum gradum, cui a Laurea nomen eſt, adſecutus eſt a. 1753. ſermone habito *de eloquentiæ præclaris quibuſdam effectibus*; ſecundum autem gradum, qui in philoſophia ſummus eſt, obtinuit a. 1755. publiceque tum *laudes hiſtoriæ naturalis* expoſuit. Linguarum itaque ſcientia variarumque artium diſciplinis probe inſtructus Medicinam, vitæ humanæ præſidem, excolendam præ reliquis ſublimioribus ſibi ſumſit ſcientiis; huc eum impellebat genius; huc eum invitabat artificium paternum; pater enim cum eſſet pharmaceutices peritiſſimus & pharmacopolium poſſideret inſtructiſſimum, occaſio ipſi erat exoptatiſſima omnis generis pharmaca exactius cognoſcendi, eorumque præparationem, uſum atque applicationem accuratius addiſcendi. Tanta etiam fuit felicitate, ut Medicorum longe excellentiſſimorum, *J. Rodolphi & Friderici Zuingerorum* fratrum, magnorum avunculorum ſuorum venerandorum, privata atque publica inſtitutione fidiſſima fuerit uſus; ex qua fructus tulit optimos atque largiſſimos. His præſidiis inſtructus, ingentem rei medicæ acquiſivit peritiam, nulli parcens labori, perdius & pernox libris atque meditationibus incumbens. Theoriam Medicam ſibi fecit notiſſimam, Anatomiæ ſtuduit eandemque excoluit diligenter, Praxin junxit utrique, inprimis vero ſtudium Botanicum habuit in deliciis, hoc tractavit ſedulo, non tantum libros botanicos diligenter legendo, herbaria viva inſpiciendo & prata noſtra viſitando, ſed & ejus præcipue cauſa plura, pretioſa quin periculoſa in remotas etiam regiones inſtituit itinera. His tantum cognitionis herbarum acquiſivit theſaurum, ut, mortuo *Hallero*, ejus amico ac patrono, Botanicis noſtri ſeculi principibus par poſſit haberi, paucique reperiantur admodum, qui ipſum antecellant. Sed jam labores ſecuti ſunt honores. Exhibitis conſuetis ſpeciminibus d. 4. Febr. a. 1763. honores Doctoris Medici a gratioſo ordine ei decreti fuere

atque collati. Ab eo inprimis tempore omnium ordinum civibus salutari suo consilio, in periculosissima sæpe valetudine, opem tulit, morbos, Dei auxilio, depulit, & sanitatem pristinam pluribus restituit, ad lectulos ægrorum non confidentiam & audaciam, sed præter pietatem rationem & experientiam adferens. Verum alius illi successit honos. Sodalis nempe fuit adlectus Societatis Physico Medicæ Basilienſis, cujus acta lucubrationibus suis adhuc exornavit. Denique postquam specimina varia, botanicum, anatomicum, disputatorium, cum laude edidisset, d. 29. Nov. a. 1776. Anatomiæ atque Botanices Professor rite fuit electus, quod officium adiit publice d. 4. Mart. a. 1777. habito sermone *de utilitate, præstantia & dignitate Anatomiæ & Botanicæ.* Commemorari hic conveniens est nobile institutum, quod a. 1777. fuit adgressus. Petiit a summo civitatis Magistratu, ut domus hortulani medici, horto medico adiacens, restaurata atque amplificata ipsi singulisque ejus in professione Anat. & Botan. successoribus habitanda concederetur, promittens, se, dum vivat, hanc cathedram Anat. & Bot. servaturum, mille thaleros gallicos majores in istud ædificium impensurum, & bibliothecam suam Botanicam, quæ instructissima est ac pretiosissima, in perennes successorum suorum usus solenni & irrevocabili pacto destinaturum. Benignissimus magistratus, musarum patronus optimus, petitioni adnuit, conditiones accepit, & tria millia Thalerorum gallicorum ex ærario publico, huic domui amplificandæ atque exornandæ, ipsi, ædificii directori, solvit munificentissimus.

In lucem edidit *nonnullas observationes bot.* d. 30. Mart. 1759 *observationes botanico medicas* d. 26. Nov. 1770. c. f. Actis helvet. Phys. Medicis inseruit sequentia: V. 4. *Observationes nonnullas Botanicas.* V. 7. a. 1772. iterum *observationes nonnullas Botanicas.* 1. 2. 3. & V. 8. a. 1777. *Observationes nonnullas Botanicas.* In epistolis Eruditorum ad Albr. Hallerum missis ejus sunt T. 3. 81. 84. 85. 86. 90. 91. 95. 99. 103. 106. 109. 113. 114. 116. 118. 120. P. 1. V. 5. 135. 140. 147. 157. 203. 238. 248. 250. 251. 258. 260. 263. 267. 269. 272. 277. T. 6. 257. 298. 308.

PROFESSORES PHILOSOPHIÆ.

I. JOHANNES CREUTZER, de Gebweiler, A. L. M. Canonicus & Prædicator eccleſiæ Baſ. primus fuit ordinis philoſophici Decanus a. 1460. V. Prof. Theol. n. 2.

II. JOHANNES DE GENGENBACH, A. L. M. S. Theol. Baccalaureus, & Juris Pontificii interpres, divinæ Poëticæ fuit Ordinarius, nec non Academiæ Rector a. 1481. V. Prof. Juris, n. 13.

III. HENRICUS LORITUS de Glarus, ſ. Glarona, Helvetiæ pago oriundus, a quo, ſive a parentum domicilio in Mollis, *Glarea* dicto, vulgo *Glareani* nomen obtinuit, natus fuit d. 28. Maj. ſ. Mart. a. 1488. Ex patria egreſſus varias Academias adiit, & omnis generis artibus diligentiſſime incubuit. Inprimis Viennæ Auſtriæ, ubi *Vlr. Zuinglium*, *Vadianum*, *Joh. Fabri*, *Eccium*que condiſcipulos habuit, & dein Coloniæ Agrippinæ Philoſophiæ operam dedit, ubi & Magiſterii titulum obtinuit. Ei domum reverſo a. 1510. paſtoratus eccleſiæ in *Mollis* deferebatur, quem vero non accepit & Lucernam abiit, ubi aliquamdiu commoratus *Zuinglii* & *Myconii* cauſam fortiter egit. In arte præſertim poëtica ita excelluit, ut a. 1512. a Maximiliano I. Cæſare laurea poëtica fuerit donatus. Ut a. 1514. Baſileam venit, *Eraſmo*, *Budæo* atque *Zaſio* familiariſſimus evaſit. Dein a. 1521. Lutetiam fuit profectus, ubi per triennium, regio uſus ſtipendio, ſubſtitit, & quæ adhuc deerant ſublimioris eruditionis, ingenii felicitate & induſtria ſibi comparavit, ut doctiſſimis etiam viris compararetur. Lutetiæ degens amicitiam contraxit cum *Jac. Fabro* Stapulenſi, & præter literas hebraicas inprimis græcas exactius didicit a *Joh. Laſcari Rhyndaceno*, natione græco. Eruditioni Glareani eximiæ acceſſit vitæ integritas, & ſingularis modeſtia, qua principum aulas, in quas ſæpe fuit invitatus, faſtidiebat, bonis literis unice ſe natum exiſtimans. Temperantiſſimus

rantiſſimus fuit in victu, unde cum in convivio a quodam ad potum importunius urgeretur; *ecquem tu me putas?* inquit; cum is virum probum & doctum dixiſſet; *ergo ne cane meo ſim indoctior, quam diu ſitio, tam diu bibendum eſſe ſcio.* Ab alio interrogatus, *quomodo viveret?* reſpondit: *bene, vivo more principum*; tunc alteri; *quid hoc ſit*, interroganti reſpondit: *Habeo cibum & potum, & multa debeo.* Lutetia Baſileam cum rediiſſet, in Profeſſorum numerum adlectus & philoſophorum ordini fuit adſcriptus, Poëticam præcipue & Matheſin, quam reſtauraſſe dicitur, publice profeſſus. Oeconomus quoque in Collegio fuit conſtitutus, ubi publice privatimque docendo de juventute pulchre imo optime eſt meritus. Decanatum etiam philoſ. geſſit a. 1526. Baſileæ etiam duxit uxorem, filiam civis haud ignobilis. Operæ pretium eſt audire Eraſmi de eo teſtimonium; occurrit hoc in epiſtola ad Vrbanum Regium, Ep. l. 18. & hujusmodi eſt: *Eſt apud nos* (Baſileæ) *Henricus Glareanus, Cæſarea laurea inſignis, quod equidem decus inter tot juvenis ornamenta multo infimum eſſe duco. In omnibus diſciplinis, quas mathematicas vocant, eximie doctus, neque vulgariter exercitatus. In omni, quæ nunc in ſcholis traditur, Ariſtotelica philoſophia eo progreſſus, ut cum ſummatibus etiam congredi poſſit. Magnam inſuper Theologicæ rei partem aſſecutus. In Geographia, in hiſtoriis abſolutus. Denique nullum eſt genus literarum, in quo ille non ſit feliciſſime verſatus. Græce quoque doctus uſque ad mediocritatem, & hic brevi abſolvendus, quæ eſt hominis tum induſtria tum dexteritas. Adde huc ætatem maxime tempeſtivam huic negocio. Ad trigeſimum accedit annum, quæ ætas ut grandior eſt, quam ut contemtui ſit obnoxia: ita laborum omnium longe eſt tolerantiſſima. Eſt autem Glareanus præter ætatem peculiari quadam naturæ dote literarii laboris & appetens & patiens. Quod neſcit, diſcit avide, quod ſcit, docet libenter & candide. Moribus alacribus ac feſtivis, ac prorſus omnium horarum homo. Addam extremum calculum, quem ego vel in primis æſtimandum arbitror. Ingenium integritati natum. Abhorret a compotationibus iſtis temulentis, abhorret ab alea, a turpiloquio, a ſcortis ita, ut harum rerum ne mentionem quidem ferre poſſit. Scio quem commendem - - -* Baſ. non. Mart. 1516. De hac tamen benigna æſtimatione Eraſmus poſtea aliquid

quid remiſiſſe videtur, vel paululum æmulus, quod ſe in ſtudio hiſtoriæ, antiquitatum atque Critices a Glareano ſuperatum videret, vel aliquantum offenſus, quod Glareanus ſententiam ſuam de linguæ græcæ pronunciatione ſalſius derideret. Certe Eraſmus in teſtamento omnium amicorum vel Baſileæ vel in vicinia habitantium memor ſolius Glareani immemor fuit; hoc ne exacerbaretur, hæres *Bonif. Amerbach* Glareano ex ſupellectile Eraſmiana vas argenteum haud exigui pretii dono miſit, Eraſmi amicitiam ita in mentem ipſi revocaturus. Inprimis vero jucundum, quod *Brandmuklerus* in laudatione funebri *Bernh. Brandii* de Glareano refert, nempe cum audiviſſet, Nobiles quoſdam ex Italia ipſum *videndi* cauſa adveniſſe, juſſit, ut cras redirent, qui cum reverſi eſſent, Glareanus laurea indutus & aurea torque ornatus conceſſit in conclave quoddam elegans & amplum, ubi ſe in hemicyclum recipiens juſſit eos ingredi; Nobiles ingredientes Glareanum ſalutabant, tum ille ſedebat, immotus, perinde quaſi illos non videret, quos etiam ita abire patiebatur. Hoc cum Itali mirarentur, hancque inhumanitatem per nuncium quendam Glareano exprobrarent: *Cur illis inhumanus videar, quum ſolum ad me* videndum *venerint?* reſpondit: at poſtea ab illis invitatus totus dies jucundiſſimis colloquiis fuit conſumtus, ut ita ipſius humanitatem, prudentiam, eruditionem, faceta dicta, ſervata tamen gravitate, Itali cognoſcerent. Sed ruſticos proderet mores, ſi vera eſſent, quæ *Gaſp. Ens*, Jeſuita, de eo perhibet; rem ita narrat: „ Magna fuit olim inter Profeſſores Baſilienſes controverſia, ecquis Henrico Glareano in Profeſſorum numerum cooptato in publicis „ conſeſſibus locus eſſet adſignandus. Etenim quum „ illuſtris eſſet poëta, & commentariis aliquot in lucem „ editis clarus, Magiſtrorum ſubſelliis videbatur ſuperior; quia vero doctoralibus inſignibus non erat ornatus, inter ejus ordinis homines non admittendus „ videbatur. Itaque bonus Glareanus vel inter ſcholaſticos deliteſcere, vel magiſtris extremus adhærere „ cogebatur. Tulit quidem id moleſtiſſime, diſſimulavit tamen, futurum ſperans, ut ſibi honeſtior aliquando aſſignaretur locus; verum poſteaquam rem „ exitum nullum habere vidit, rationem aliquam comminiſci inſtituit, qua certum inter Profeſſores locum

„ inveniret. Itaque cum Doctores nonnulli creandi eſ-
„ ſent, aſinum conducit, & conſcendit, & in gymna-
„ ſium ſic invehitur, & ſcholaſticorum cœtui immiſtus,
„ ſic aſino inſidens omnium oculos in ſe convertit.
„ Variæ tum erant pro cujuſque ingenio ſpectatorum
„ cogitationes. Erant, qui ſubverebantur, ne homo e
„ mentis poteſtate exiiſſet: alii vero riſu prope rumpe-
„ bantur, quoties aſinus vel ruderet, vel calcitraret;
„ alii denique putabant fieri hoc ab eo, ut doctorandis
„ medium oſtenderet digitum, eorumque inſulſitatem
„ perſtringeret. Quid multa? Cœpit ad extremum
„ ejus Scholæ Rector e Glareano ipſo percontari, quam-
„ obrem jumento iſto ſic in panegyrin hanc deferri
„ voluerit? Ut, reſpondit ille, certa mihi ſit & ſta-
„ bilis ſedes; tot enim nunc menſes dubitatis, inter
„ Doctores ne an Magiſtros mihi locus adſignandus ſit;
„ quamobrem ut & vobis hunc ſcrupulum evellam, &
„ mihi ipſe non deſim, conſtitui deinceps huic aſino
„ inſidere & ex eo vos audire. Quid fit? Non Rec-
„ tor modo ſed & univerſus ſenatus acad. ſummo eum
„ opere rogat, ut aſino valere juſſo ſuam porro inter
„ Doctores ſedem ſibi ſumat. Quod quidem quum im-
„ petrari tum a Glareano non poſſet, actum hunc in
„ ſequentem diem reiicere coacti ſunt, ad quem Gla-
„ reanus honorifice in Lycæum introductus, ſolenni-
„ terque in Doctorum ſubſelliis collocatus fuit". Sed facta Baſileæ religionis mutatione a. 1529. cum aliis Friburgum Briſgoiæ commigravit, identidem, ut ipſe ad amicum ſcripſit, cantillans: - - - *veteres migrate coloni*, & hiſtoricam atque poëticam profeſſionem ibi magna cum laude obiit; hic in *Zuinglium*, cujus eccleſiæ reformandæ conatus olim probaverat atque defenderat, graviter fuit invectus; tandem cum rem literariam diu voce & ſcriptis adjuvaſſet, ætate & laboribus exhauſtus fatis conceſſit d. 28. Maj. a. 1563.

Ejus ſcripta edita ſunt: *Helvetiæ deſcriptio cum* IV. *Helvetiorum pagis ac XIII. urbium panegyrico*, Baſ. 1514. 1515. 1519 4. & 1554. 8. Inſertum eſt hoc opuſculum Freheri Collect Script. Germ. T. 2. Schardio redivivo, T. 1. Theſauro Hiſt. Helv. ejuſque nomine honorario amplo ab Helvetiæ civitatibus fuit adfectus. *De ratione ſyllabarum brevis ſagoge*, Baſ 1527. 8. *de figuris compendioſa lucubratio*, & *elegiæ quædam*, Baſ. 1516. *Iſagoge in Muſicam*, ib. eod. *Annotationes*

tiones in T. Livium & in totam Romanam historiam cum chronologia, ib. 1531. 1535. 1540. 1542. fol. Lugd. 1542. 1555. 8. Franc. 1568. fol. de *Geographia* liber, Baſ. 1527. 4. Franc. 1532. fol. ab ipſo auctore tertio recognitus, Frib. 1533. iterum ib. 1539. & Col. 1581. 8. *Annotationes in Dionyſium Halic.* Baſ. 1532. Franc. 1586. fol. *Annotationes in Saluſtii hiſtoriarum fragmenta*, Baſ. 1538. 1569. Franc. 1607. Amſt. 1690. 8. *Iſagoge in Arithmeticam*, Frib. 1539. *Annotationes in Horatium*, Pariſ. 1533. 4. Frib. 1535. 8. & 1540. cum ipſius Horatii operibus; ſeorſim ib. 1539. & Baſ. 1540. 1543. 1545. & 1580. fol. *Annotationes in Cæſaris commentarios*, Frib 1538 8. Lugd. 1540. Frib. 1544. Franc. 1569. 8. Baſ. 1583. 8. *Judicium in Terentii carmina*, Lugd. 1540. 8. *Annotationes in Ciceronis librum de Senectute*, Baſ. 1544. *Arithmetica & Muſica operum Bœthi demonſtrationibus & figuris auctior*, Baſ. 1546. 1570. fol. *Dodecachordon*, Baſ. 1547. fol. *Ælii Donati methodus ſcholiis illuſtrata*, Tub. 1547. Tig. 1553. 8. *Elegiarum* l. 2. *ad Huldric. Zuinglium*, excuſi una cum muſica ipſius, 4. *De arte muſica*, Baſ. 1549. fol. *de vi arithmeticæ practicæ*. Frib. 1550. 8. *de ponderibus ac menſuris*, Baſ. 1550. *libellus de aſſe & partibus ejus*, Baſ. 1550. 1551. fol. *Annotationes in Valerium Max.* Baſ. 1553. Lugd. B. 1726. 4. *Annotationes in Eutropium*, Baſ. 1555. 1559. 8. 1594. 8. *Epiſtola ad Joh. Hervagium, qua continetur apologia adverſus Caroli Sigonii maledicta in ipſum, & judicium de illius doctrina & emendationibus Livianis*, Patav. 1557. *Annotationes in Ovidii Metamorphoſes*, Baſ. 1568. 8. Amſt. 1727. 4. *Annotationes in Suetonium*, Antv. 1574. 8. Franc. 1588. fol. Amſt. 1736. *Annotationes in Cornelium Tacitum de moribus & populis Germaniæ*, Baſ. 1574. & in Schardio redivivo, T. 1. *Annotationes in Lucanum*, Baſ. 1550. 8. Lugd. B. 1728. 4. *Vita S. Felicis*, *Regulæ & Exuperantii. Compendium romanæ hiſtoriæ*, Pariſ. 1573. *Annotationes in Joh. Cæſarii dialecticam*, Col. Agr. 1567. 8. *Pii II. P. M. Aſiæ Europæque elegantiſſima deſcriptio; accedit H. Glareani compendiaria Aſiæ, Africæ, Europæque deſcriptio*, Pariſ. 1534 8.

IV. JOHANNES REUCHLINUS, ſ. *Capnio*, J. V. D. linguarum reſtaurator egregius, natus eſt Phorcemii, oppido marchionatus Badenſis, d. 28. Dec. 1454. alii annum 1458. vel 1459. ejus natalem fuiſſe perhibent. Cum fratre natu minore, *Dionyſio*, ludo literario commiſſus inprimis in arte muſica ita profecit, ut adoleſcentibus in templis præcinere ſolitis fuerit adjunctus; dein in ipſa aula Badenſi pueris ſymphoniacis additus atque

ipſi

ipſi adoleſcenti marchioni Badenſi, Lutetiam profici-ſcenti, comes fuit datus, quæ initia erant ſurgentis fortunæ. Lutetiæ dialecticam Ariſtotelis ad unguem didicit, Latinam linguam, cujus jam aliquam habuit peritiam, magis exercuit, præſertim vero literas græcas impenſe amabat, magiſtro uſus *Hermonimo Spartiata*, a quo etiam calligraphiam didicit, qua arte & in eruditorum conſuetudinem ſeſe inſinuavit & haud exiguum peculium ſibi comparavit. Literas etiam hebraicas percepit a *Weſſelo Friſio*, viro pio atque erudito. Per aliquot igitur annos doctiſſimorum virorum uſu excultus, Baſileam conceſſit a. 1474. ubi hoc eodem, quo in matricula Rectoris civis eſt inſcriptus, anno lauream philoſ. & a. 1477. dignitatem magiſtralem accepit. Ab hoc tempore publico nomine in Academia literas græcas atque latinas docuit, plurimoſque codices græcos a patribus concilii Baſileæ relictos evolvit; hac occaſione in ejus notitiam venit codex N. T. membranaceus ſec. x. pretioſiſſimus, quem Cardinalis Raguſinus teſtamento legavit fratribus prædicatoribus conventus Baſ. hunc Reuchlinus Stutgardia literis mutuo petiit 11. Cal. Aug. 1488. & obtinuit, ipſe vero codex ultra 30. annos detentus demum poſt mortem Reuchlini redditus fuit. Reuchlinus autem Baſileæ cum verſaretur, non ſolum munus profeſſoris diligenter obiit, ſed & *Amorbachios* fratres typographiam inſtituentes opera ſua multum adjuvit. Ceterum juris ſtudio ſeſe addixit Reuchlinus illudque diligentius proſecuturus Aureliam abiit, ubi præcipuum quidem laborem poſuit in juris doctrinam, tamen ipſe græcas atque latinas literas docuit alios, præſertim nobiles, a quibus cum largum accepit διδακτρον, ſtudiorum ſumtus habuit copioſos. Pictavii J. V. D. creatus Tubingam petiit, & *Eberhardo*, duci Wurtemb. Romam profecturo comes fuit adjunctus. In itinere bibliothecam Florentinam luſtravit & cum *Marſilio Ficino*, *Angelo Politiano* aliiſque eruditis amicitiam contraxit. Reverſus Roma legatus miſſus fuit ad *Fridericum* III. Imp. qui eum ita benigne habuit, ut ei, ſubmonente medico imperatorio, *Jehiele Loans*, Judæo, quo Reuchlinus in hebraicis præceptore fuerat uſus, pretioſiſſimum codicem hebræum, Moſis atque prophetarum libros complectentem, muneri dederit, eum poſteroſque in nobilium ordinem adlegerit, comitemque palatinum dixerit.

Accepto

Accepto hoc codice, qui postea Phorcensi, denique Durlacensi bibliothecæ fuit insertus, novo stimulo in literas hebraicas ferebatur, quibus omne, quod ab aulicis negotiis vacuum habebat, tempus impendit. Mutato dein aulæ Wurtemb. statu, & Reuchlino, cui insidiæ struebantur, in aulam Palatinam translato, nova mox itineris Romani ei data fuit occasio. Romæ invenit eruditum Judæum, *Abdiam* nomine, quem, cum legationis negotia supra annum protraherentur, diligentius audivit, & perfectam linguæ hebrææ, pro singulis institutionis horis singulis aureis solutis, acquisivit notitiam, quam dein per totam Germaniam disperſit. *Argyropylum* etiam Romæ audivit Thucydidem explanantem, publicasque ejus frequentavit lectiones. Rebus feliciter gestis, in Palatinatum fuit reversus, & compositis in ducatu Wurtembergico litibus, permittente, ægre quidem, Palatino, illuc ad uxorem literasque rediit. Sed dulciori quiete haud diu fuerat gavisus. In *judicium fœderis suevici* adlectus, huic muneri, ex quo ei quater quotannis Tubingæ cum duobus aliis judicibus conventus erat habendus, aliquandiu præfuit, sed ejus tandem pertæsus, quo in literas magis incumberet, ab eo se abdicavit, totumque libris legendis atque scribendis tradidit. Verum pax ista haud fuit diuturna. Colloniæ nempe Agrippinæ erat impostor quidam Judæus, qui religionem christianam simulans familiaris erat monacho inquisitori ejusque amicis. His ostendit, magnam pecuniæ summam honesta specie Judæis eripi posse, si edictum Imperator proponat, ut Judæi omnes libros, excepto codice sacro, in curiam comburendos adferant. Sperabat enim fore, Judæos libros magna pecunia, quam inquisitores cum ipso partirentur, redemturos. Monachi hujusmodi edictum ab Imperatore sub religionis prætextu elicium, & libri Judæorum singuli Francofurti in curia deponebantur. Judæi autem, quibus in aula itidem erant patroni, tempestatem istam illorum auxilio ita temperarunt, ut Imperator hebræorum librorum jam undique congestorum incendium differret, donec aliquot eruditorum virorum consilium hanc in rem perceperit. Reuchlinus præ aliis de sententia rogatus respondit: Hebræorum libros in Christum blasphemos, hos nominatim indicavit, aboleri, ceteros vero, grammaticos, medicos, theologicos posse servari. Hæc sententia

tentia Imperatori tanquam mitior atque ſapientior placuit, libri Judæis fuere redditi, ſed monachi, quos ſpes lucri fuit fruſtrata, odii atro felle flagrarunt, & Capnionem hæreſeos accuſarunt. Combuſſerunt quoque Moguntiæ aliquot factioſi homines librum Reuchlinianum, & conviciis proſciderunt Reuchlinum; is vero luculenta oratione ſe defendit & ad Imperatorem atque Pontificem provocavit. Pontifex Epiſcopo Spirenſi mandavit, ut controverſiam cognoſceret. Hic delegit judices ſapientiſſimos, in quibus erat *Capito*, iſtique pro Reuchlino pronunciarunt. Sed nondum quieverant Monachi, & rurſus ad Pontificem provocarunt, a quo vero Reuchlinus, *Galatino*, *Eraſmo* aliiſque intercedentibus, fuit abſolutus. Nec furibundi iſti homines in Reuchlinum ejuſque amicos, *Eraſmum*, *Huttenum*, alioſque debacchari deſierunt, donec *Lutherus* advenit eiſque ſilentium impoſuit. Reuchlinus ita periculo liberatus, & a duce Bavariæ, *Guilielmo*, jam ſenex invitatus, in academia Ingolſtadienſi græcam & hebræam linguam docuit; poſtea & Tubingam accerſitus eſt, ſed morbo icterico laborans Stutgardiæ d. 30. Jun. a. 1522. ex hac vita diſceſſit. In teſtamento ſuo plura pie mandavit, libroſque ſuos hebræos & græcos donavit collegio Phorcenſi, qui ibi in templo publice ſervantur & ab omnibus inſpici poſſunt.

Edidit *Lexicon latinum*, cui nomen dedit *Breviloquæ*, Baſil. 1480. l. *de accentibus & orthographia linguæ hebraicæ*, Hagen. 1518. 4. ib. 1541. 4. *dictionarium hebraicum cum grammatica hebraica*, Pforzhem. 1506. fol. Baſ. 1537. fol. *de verbo mirifico*, Lugd. 1522. 16. Col. 1532. 8. *de arte cabbaliſtica* l. 3. Spir. 1494. fol. Tubing. 1514. fol. Hagen. 1517. 1530. fol. Baſil. 1550. 1587. fol. *de arte prædicandi*, Phorcæ 1504. 4. Baſil. 1540. *In ſeptem Pſalmos pœnitentiales hebr. interpretationem*, Witteb. 1529. 8. *Scenica progymnaſmata*, 1498. 4. Monaſterii 1509. 4. cum explanatione *J. Spigelii*, Tub. 1512. 4. Lipſ. 1514. 4. ib. 1515. 4. Tub. 1516. 4. *Sergium*, ſ. *capitis caput*, comœdiam, Lipſ. 1521. 4. cum commentario *Georgii Simleri*, Pforzh. 1507. 4. *orationem de Palatini Electoris & nobiliſſ. ducum Bavariæ reverentia erga Eccleſiam, coram Pontifice habitam*, 1498. *Oculare ſpeculum*, Tub. 1511. 4. *defenſionem contra calumniatores ſuos Colonienſes*, 4. *Epiſtolas obſcurorum virorum*, quæ admirabili facetiarum lepore conditæ ſtylum Monachorum ineptiſſimum exprimunt, editio prima prodiit ſine nota anni impreſſionis, ſecunda a. 1516. 4. *cum dialogo mire*

mire festivo, 1556. 8. cum addit. Francof. 1581. 1643. 8. Lond. 1701. 12. *Epistolæ clarorum virorum* ad Joh. Reuchlinum, Phorcensem, missæ, latinæ, græcæ, hebraicæ, impressæ sunt Tub. 1514. 4. Hagen. 1519. 4. Tig. 1558. 8. *Dialogum, an Judæorum Talmud sit supprimendum?* Colon. 1518. 4. *destructionem cabbalæ s. cabbalisticæ perfidiæ*, Colon. 1519. 4. *de præexercitamentis Rhetoris* l. 1. *de diversitate quatuor idiomatum græcæ linguæ* l. 1. *Orationem funebrem in mortem Rudolphi Agricolæ.* Ex hebræo in latinum transtulit: *R. Josephi Canticum, dictum:* Catinus argenteus, *continens sententias morales* &c. Tubing. 1512. 4. Edidit porro *epitomen historiarum*; nec non *comœdiam sale plenam sub nomine* fabulæ Gallicæ; *dialogum osci & volsci ludis rom. act.* sine loco & anno, 4. Multa etiam e græco in latinum vertit, ut *vitam Constantini M. S. Athanasii l. de variis quæstionibus* &c. cum annotationibus, Hagen. 1519. 4. *S. Athanasii in librum Psalmorum a Jo. Reuchlin nuper integre translat.* Tub. 1515. 4. *Xenophontis apologiam pro Socrate. Nestorium hæreticum; confessionem Cypriani; Proclum de beata Virgine. Luciani aliquot mortuorum dialogos*; ejusd. *dialogum de concilio Deorum*; *Monomachiam Iliados Homeri de Paridis & Menelai duello*, in lingua germ. metrice. *Epiphanium de morte Prophetarum; Maximum Tyrium Platonic. Philosoph. in orat.* Si Deus fecit bona, unde veniant mala. Reuchlini vitam conscripsit *J. Henricus Majus*, qui plura desiderantibus consulendus.

PROFESSORES PÆDAGOGII CLASS. I. s. GRAMMAT. ATQUE AUCT. LAT.

Pædagogium erat inter Academiam ludumque trivialem medium. Institutum erat a. 1544. sub Rectoratu *Osvaldi Beri.* In quatuor classes divisum quatuor Professores regebant, quorum quilibet singulis diebus, feriatis exceptis, philosophiæ studiosis lectionem habebat in collegio superiori, *Augustino* sacro, hinc & *Pædagogium Augustinianum* vocabatur. In prima classe tradebantur præcepta Grammaticæ Latinæ; in secunda auctor linguæ latinæ tractabatur; in tertia Grammatica Græca & in quarta auctor græcus explicabatur. Sub initia vero hujus instituti pensum mutatum & ita ordinatum fuit, ut in prima classe Grammatica Lat. & auctor Lat.

Digitized by Google

Lat. in ſecunda Rhetorica atque Poëtica; in tertia Logica & in quarta Grammatica Græca & auctor græcus tractaretur. Hoc inſtitutum vero ſubſtitit tantum ad a. 1589. quo abrogatum, vel potius in Gymnaſium translatum fuit; ex eo nempe prima atque ſuprema Gymnaſii claſſis originem cepit.

I. CONRADUS LYCOSTHENES (*Wolffhardt*) natus fuit Rubeaci, Alſatiæ oppido, a. 1518. patre *Theobaldo Wolffhardt*, conſule & quæſtore, matre *Eliſabetha*, *Conradi Pellicani* ſorore. Rudimentis literarum domi perceptis, a. 1535. Heidelbergam profectus, atque bonis artibus & linguis eo cum ſucceſſu eſt operatus, ut quadriennio poſt artium Magiſter crearetur. Animum deinceps ad Theologiæ ſtudium convertit, quod diligenter tractavit. Quatuor ſumma Dei erga ſe beneficia prædicare ſolebat: *quod Chriſtianus eſſet natus; in bonis literis educatus; ad Theologiæ profeſſionem adductus & occaſione rempublicam ſcriptis ſuis juvandi non fuiſſet deſtitutus.* Theologiæ ſtudio hiſtoriarum quoque junxit cognitionem, omnium gentium acta obſervans, temporumque ſeries inter ſe comparans. Quam diligentiam cum in ipſo obſervaſſet M. *Henricus Stollius*, Eccleſiaſtes Heidelbergenſis, eum plurimum dilexit, ſecumque Ratisbonam ad celebre illud Theologorum colloquium deduxit, ubi procerum acta moreſque notavit. Comitiis finitis Heidelbergam reverſus, inde anno inſequenti Baſileam, *Henr. Pantaleone* comite, tendit, ubi Profeſſor conſtitutus a. 1542. in Pædagogio ſimul Linguam Latinam, Juſtinum explicans, & Dialecticam Willichii, in Academia vero Logicam Cæſarii docuit. Hoc triplex munus cum laude geſſit per triennium, a. 1545. ad Diaconatum Leonhardinum translatus, in quo reliquum vitæ pie atque diligenter tranſegit. Antiquiſſimum Pythagorei ſilentii ſymbolum, in inſtaurandis ipſius ædibus a. 1549. terra egeſtum, humani capitis effigiem, labiis circulo confixis, auribuſque patulis, ſublimi domus parte publice ſpectandum propoſuit. Anno 1691. cum eædem ædes reſtaurarentur, illud antiquitatis monumentum ex improviſo corruptum fuit; ejus loco ſequentia muro fuere inſcripta:

Pytha-

Pythagoræ lapidem, monumentum illuſtre ſilenti,
Clauſo ore humanum, ſed patula aure, caput;
Expoſitum hic publico, curante *Lycoſthene*, poſthac
Ne quæras, opifex cuſpide fregit iners.

Sed ut Lycoſthenes hoc facto antiquitatis, ita & iſto immortalitatis ſtudioſum ſeſe declaravit, quod humanæ conſcius fragilitatis ac de meliore ſorte adſidue cogitans, alatæ mortis ſimulacrum privatim ſibi ob oculos ſemper collocatum habuit. Uxorem duxerat *Chriſtianam Herbſter*, *Joh. Oporini*, typographi ſororem, quam magni *Theod. Zuingeri* pater viduam reliquit. Infirma & ſæpe adverſa fuit valetudine, uſque adeo, ut ſubita dextri lateris a. 1554. d. 21. Dec. paralyſi tactus, linguæ officio ſublato, ratione tamen manente ſalva, omnem penitus memoriam ad aliquot dies amiſerit, qua tamen redeunte ad officium, manu dextra ſoluta, ſiniſtra eſt uſus, & aliquot libros abſolvit. Tandem continuis laboribus & vigiliis conſumtus, apoplexia graviſſima correptus, unius horæ ſpatio vitam cum morte, quam in voto habuit, feliciter commutavit 8. Cal. Apr. 1561.

Edidit plura. *Commentarium in Plinium Sec. de viris illuſtribus*, fol. Baſ. 1547. 1552. 1563. *elenchum ſcriptorum omnium veterum ac recentiorum*, Baſ. 1551. 4. *Chronicon prodigiorum*, lat. c. f. fol. Baſ. 1557. item germ. per *Joh. Heroldum* translatum, Baſil. 1557. fol. opus notabile atque rarum. *Joh. Raviſii Textoris officinam* auxit & in ordinem commodiorem redegit, Baſil. 1552. 4. 1555. 4. in *Ptolomæi geographicos libros* indices 2. collegit &c. præfixit etiam iiſdem libris epiſtolam, in qua de utilitate tabularum geographicarum ac indicis uſu late diſſeritur, Baſ. 1552. Edidit porro *Gnomologiam ex Ænea Sylvio*, ſ. *Pio II.* collectam, Baſ. 1551. 4. 1571. *Apophthegmata*, Baſ. 1555. fol. Lugd. 1561. 1571. 8. 1591. 8. Col. 1603. 8. *Parabolas* ſ. *Similitudines*, Bern. 1557. 4. & ſub titulo: *Similium loci communes*, cum *Theod. Zuingeri ſimilitudinum methodo*, Baſil. 1575. 8. 1595. 8. 1602. 8. *L. Domitii Bruſſonii facetiarum exemplorumque* l. VII. opera C. Lycoſthenis, Baſ. 1559. 4. Lugd. 1560. 8. 1562. 4. *Supplementa ad* Julii Obſeq. *prodigiorum librum*, Baſ. 1552. 8. Lugd. 1553. 1589. 12. Amſtel. 1679. 8. Lugd. Bat. 1720. 8. *Epitomen Bibliothecæ Geſneriana*, Tig. 1555. fol. *de rep. Rubeacenſium; de priſcis Rom. legibus; calendarium hiſtoricum; virtutum & vitiorum exempla; annotationes in Juſtinum, Val. Maximum & Feneſtellam; lib. de mulierum præclaris dictis & factis;*

epitomen Stobæi, Baſ. 1557. *Regulam inveſtigationis omnium locorum in tabula Helvetiæ contentorum*, Baſ. 1560. 4. *Theatri vitæ humanæ farraginem infinitam*, labore fere incredibili, per XV. annos congeſſit, ſed morte ſubita præventus opus adfectum privigno, *Theod. Zuingero*, perficiendum reliquit.

II. HENRICUS PANTALEON, S. Theol. Licent. Med. Doct. S. Lateranenſis Palatii atque Cæſarei Conſiſtorii Comes, in lucem editus eſt Baſileæ d. 13. Jul. a. 1522. Studiorum fundamenta jecit in ſchola Petrina, in qua tum Virgilius, Q. Curtius atque Terentius primum a *Joh. Sphyractæ*, dein ab *Ant. Wild*, præceptoribus, explicabantur. Huic poſteriori præceptori, quo per ſexennium fuerat uſus, quique pueri indolem atque induſtriam ſatis mirari non poterat, inprimis erat charus, iſque patrem, *Chriſtianum*, diligenter monuit, ut filium a literarum ſtudio abſtrahi non pateretur. Paulo poſt *Rod. Frey*, ſenator, a patre filium expetiit, ut domum ſuam receptus liberos ſuos in ludum duceret & domi informaret; ita puer pueri dux eſt conſtitutus. In vicinia autem habitabat *Joh. Bebelius*, typographus, qui, perſpecta pueri docilitate, conſentiente Freyio & patre, puerum in generi, *Mich. Iſengrinii*, typographi, officinam traduxit, & optima quævis promiſit. Cum autem, qui ex pacto anagnoſtam agere debuit, typothetæ officium obire juſſus fuit, ſex menſibus elapſis, amicorum conſilio, relicta typographia, a. 1537. Friburgum abiit, & per unicum annum ſcholam trivialem frequentavit, præceptore uſus *Joh. Pedio*. Hinc a Freyio revocatus Academiæ Baſ. Rectori nomen dedit a. 1538. & philoſophicas ſcientias excoluit; tum *Simonem Grynæum* præceptorem habuit atque mæcenatem, pluresque libros ab eo dono accepit, quo literis magis magiſque devinciretur. Mox vero alia iterum rerum facies adparuit. A. 1539. avunculus ejus, *Melch. Kriesſtein*, Baſilienſis, Auguſtæ typographiam exercens, a patre Pantaleone contendit, ut filium, ad literas natum, ſibi mitteret literis in illa academia porro imbuendum. Precibus morem geſſit pater, & filius eodem hoc anno Auguſtæ advenit. Tum vero avunculus omnem movit lapidem, ut nepotem a literis abſtractum ad typographiam perduceret, ſpem faciens fore, ut ipſi ſeni aliquando in officina

officina ſuccederet. Sed adoleſcens typographiæ jam pertæſus, adhibito conſilio *Xyſti Betuleji*, ludimoderatoris Auguſtani, quem antea Baſileæ præceptorem agentem noverat, avunculi juſſa recuſavit, & in literarum ſtudio conſtans perrexit. Paulo poſt *Cæſar Delphinus*, Italus, medicus pius ac eruditus, Auguſtæ advenit & a Betulejo adoleſcentem petiit, qui ipſum Ingolſtadium ad academiam interpres ſequeretur. Huic Pantaleonem commendat & fidem ſuam pro eo obligat. Anno elapſo Delphinus amplo ſalario ſoluto Pantaleonem dimiſit, iſteque, qui ab Italo patrono fundamenta atque arcana medica didicerat, Heidelbergam abiit, & in collegium Dionyſianorum receptus artibus & poëticæ diligentem operam navavit; poſtquam autem a. 1541. primam lauream accepiſſet & ſe ad ſecundam obtinendam præparaſſet, accidit, ut *Conr. Lycoſthenes*, ejus amicus, Heidelberga Baſileam profectus, Pantaleonis laudes Academiæ proceribus proponeret, eumque illis de meliori commendaret, quo factum, ut Pantaleon a. 1542. a Deputatis in patriam revocaretur & in collegium publicum ſuſciperetur. Hic dum dialecticas, phyſicas atque mathematicas lectiones audiret, ipſe ſuperiorum permiſſu diebus feriatis in Perſii ſatyras publice legit & d. 25. Apr. a. 1544. Magiſterii titulo fuit ornatus. Eodem autem anno d. 17. Dec. profeſſionem Linguæ Latinæ nactus publice Juſtinum expoſuit. Ipſe vero tam Theologiæ quam Medicinæ ſtuduit, annoque 1545. in numerum candidatorum Miniſterii receptus eſt. Eodem anno d. 22. Jan. uxorem duxit *Cleopheam Kæſinam*, ex qua pulchra prole non ſemel parens eſt factus. Nec non ipſo hoc anno 1545. quo ad Miniſterium S. fuit admiſſus, Diaconatum Petrinum d. 25. Jun. impetravit, ut & profeſſionem Dialecticæ Willichii, quam utramque profeſſionem una cum Diaconatu adminiſtravit uſque ad a. 1548. quo ei Rhetorica docenda fuit commiſſa. Nec hic ſubſtitit vir laborioſiſſimus, ſed &, concedentibus ſuperioribus, extra ordinem publice Theologicas lectiones habuit, varioſque S. S. libros illuſtravit; Theologicas etiam inſtituit diſputationes, quibus ea, quæ prælegerat, confirmavit. Quam ob induſtriam d. 2. Jun. 1552. Theologiæ Licentiatus ſolenniter fuit promotus. Anno vero eodem ob vocis præcipitantiam, multis ingratam, vel potius indigne ferens, ſibi *Johan-*

nem Jung, cum paſtor Petrinus eligeretur, fuiſſe prælatum (paulo ſolutiori nempe vita uſus fuerat Pantaleon & epulis atque ſclopetariis civium exercitiis intereſſe ſolebat) ſponte ſe diaconatu abdicavit. His curis ſolutus Medicinæ ſtudium denuo excoluit & privatim ejus cultores inſtituit. Doloribus autem colicis atque nephriticis eum invadentibus, valetudinis cauſa a. 1553. iter in Galliam inſtituit, & Valentiæ eodem anno d. 21. Sept. Medicinæ Doctor fuit renunciatus. Poſtea ulterius progreſſus per Avenionem, Montempeſſulanum, ad mare uſque Mediterraneum & Pyrenæos montes penetravit, ubi ignotas Germaniæ ſtirpes, varia animalia & multa obſervatu digna contemplatus eſt. Inde in patriam rediit, & Medicinam diligenter exercuit; prius autem, quo legibus atque præſertim S. C. hoc tempore lato, ex quo nemo civium, minus exterorum, Medicinam practicam excolere potuerat, niſi prius diſputatione publica ſuam in hac arte peritiam probaſſet, d. 17. Novemb. publicam diſputationem cum laude ſuſtinuit. Anno 1556. d. 7. Jan. profeſſio Dialecticæ Willichii iterum, & d. 19. Apr. 1557. cathedra Phyſica ei fuit commiſſa. Hoc tempore d. 19. Dec. 1557. Oſw. Berus eum in collegium Medicum recepit, quo mortuo ſecundus ab Academia reſtaurata Medicæ facultatis Decanus d. 24. Maj. 1558. electus veteres leges in uſum revocavit, matriculam novam collegit, atque ærarium cum libro rationum in peculiari arca, ſingulis annis novo Decano tradenda, adſervavit, quæ omnia a. 1542. & ordini philoſophico præſtitit. An. 1566. ab auguſto Cæſare *Maximiliano* II. Poëtæ laureati & Comitis Palatini dignitate, nec non muneribus amplis fuit ornatus, quia ei tertiam Proſopographiæ partem dedicaverat; ſimul etiam a *J. Vdalr. Zaſio* procancellario Imper. collationem feudi & inſignia illuſtria accepit. Rebus humanis fuit exemtus d. 3. Mart. a. 1595. poſtquam raro exemplo d. 2. Dec. 1594. nuptiale convivium alterum, exactis L. plenis conjugii annis, cum uxore celebraſſet. Ex duodecim, quos ſuſcepit, liberis *Maximilianus* Medicinæ Doctor obiit a. 1644.

Edidit *epicedia* in obitum *Eraſmi*, *Oecolampadii*, *Sim. Grynæi*, *Caroloſtadii*, *Hier. Gemuſæi* a. 1544. *Scholia in Publii Syri mimos*, eod. *Philargyrum* & *Zacchæum*, comœdias, 1546. *Chronographiam Eccleſ.* 1550. 1561. &c. *hiſtoriam*

biſtoriam Martyrum Galliæ, Germaniæ & Italiæ, 1563. fol. *libellum de peſtis præſervatione & remedio*, 1564. *Proſopographiam virorum illuſtrium Germaniæ*, 3. T. 1565. & 1566. fol. *diarium biſtoricum*, 1572. fol. *Omnium regum Galliæ vitas verſibus eleg.* 1574. *Heldenbuch* &c. ſ. Proſopographiæ verſionem germ. 3. T. fol. Baſil. 1568. 1578. *deſcriptionem comitatus Badenſis*, germ. 1578. 4. *biſtoriam Jobannitarum, Rhodiorum* aut *Melitenſium equitum*, Baſ. 1580. 1581. fol. Ex Latino in Germ. transtulit & tribus libris auxit *Sleidani biſtorias*, 1556. 1562. fol. *P. Jovii biſtorias*, Baſil. 1559. fol. *Mart. Cromeri biſtoriam polon.* 1562. fol. *Joh. Ludov. Vivis librum de veritate R. C.* 1571. *Nic. Gillet biſtoriam Gall.* cum *Nicolao Falcknero* convertit, 1572. *Petr. Pauli Vergerii opus de Jubilais.* 1550. *P. Jovii deſcriptionem cerimoniarum Moſcovit.* 1564. fol. — *Cardani opus de varietate rerum*, & ejuſdem *libros de ſubtilitate* prius a ſe in compendium redactos, Baſil. 1557. *Sigiſmundi L. B. ab Herberſtein Moſcoviam*, Baſil. 1563. *Naucleri biſtoriam* &c. *Geſneri partem ſecundam Euonymi* &c. 1570. Varios etiam auctores reſtituit, & præfationibus additis edidit, veluti *Metochitæ phyſica; Raviſii epitheta; G. Tyrii bellum ſacrum*, & alia diverſis temporibus edita; nec non in *S. Hieronymum, Origenem, Baſilium, Hilarium* alioſque auctores a Frobeniis editos, novos atque locupletes indices concinnavit.

III. THOMAS GRYNÆUS honeſtis parentibus natus eſt a. 1512. in oppido Sueviæ, *Vehringen*, primaque literarum rudimenta ibidem poſuit. Inde a. 1525. a patruo *Simone Grynæo* Heidelbergam vocatus, artibus & linguis ſtrenuus incubuit, & præſertim Theologiæ operam dedit. Patruum iſtum Heidelberga Baſileam ad profeſſionem græcam obeundam vocatum, a. 1529. fuit comitatus, atque cum eodem privatus vixit, auditoribus ejus græcos latinoſque auctores privatim prælegens. A. 1533. uxorem ſibi legit *Adelheidam Steuber*, Turicenſem, quæ d. 21. Dec. 1590. Baſileæ, luminibus orba, fuit defuncta. Grynæi fama ad Bernenſes perlata, illuc a. 1535. fuit vocatus, ut profeſſionem linguæ græcæ atque latinæ obiret, & in cœnobio Franciſcanorum ſtudia juventutis miniſterio verbi divini dicatæ dirigeret. Huic muneri cum per undecim annos fideliter præfuiſſet, ſive amore Academiæ Baſilienſis, tanquam patriæ alterius, ductus, ſive litium religionis cauſa Bernæ exortarum pertæſus, ut erat moribus tranquillus & pacis ſtudioſiſſimus, Baſileam rediit, ubi inter academiæ Profeſſores

feſſores receptus & a. 1548. VI. Id. Febr. Artium Magiſter creatus eſt; duplicem nempe eodem anno 1547. obtinuit profeſſionem, unam Grammaticæ Latinæ atque auctorum latinorum, alteram Grammaticæ Græcæ auctorumque græcorum, utramque in pædagogio. Priori officio a. 1553. renunciavit, & Collegii ſuperioris Oeconomiam geſſit. Ab hoc tempore etiam in vicinis pagis Evangelium annunciando famam pietatis & eruditionis haud vulgarem ſibi conciliavit, qua permotus *Carolus* Marchio Badenſis a. 1556. eundem tanquam virum pietate & doctrina omnigena conſpicuum ad opus Reformationis promovendum adſcivit, & non tantum paſtorem eccleſiæ Rœtelanæ ſed & aliorum Miniſtrorum ἐργοδιώκτην, ſ. *Superintendentem* conſtituit, quo munere, qua decet, fide, gravitate atque modeſtia, omnibus charus & gratus, fuit perfunctus, donec d. 2. Aug. a. 1564. morte honeſta, peſte correptus, occubuit. Genuerat plures liberos utriuſque ſexus, inprimis quinque, in quibus revixit, filios: *Theophilum* nat. d. 30. Nov. 1534. qui patris primum Diaconus a. 1557., a. 1558. paſtor in Hauingen, a. 1564. paſt. in Lœrach, & a 1. Jan. 1565. per ſeſquiannum ſimul in Stetten, a. 1575. paſt. Rœtelanus, denique, quia formulam concordiæ ſubſcribere noluit, Baſileam reverſus d. 20. Febr. 1582. eodem anno d. 18. Jul. paſtor Siſſacenſis fuit electus ibidemque mortuus d. 28. Sept. 1583. *Simonem*, Profeſſorem Ethicæ; *Joh. Jacobum* S. Theol. Doct. & Prof. Antiſt. Baſil. *Tobiam* Oeconomum Petrinum & *Joh. Caſparum*, Secretarium Ambergenſem.

IV. PHILIPPUS BECHIUS, Med. Lic. Briſaco oriundus, D. *Joh. Gaſtii* Briſacenſis ex ſorore nepos, bonis literis ſedulam dedit operam, quarum gratia a. 1537. Baſileam conceſſit; quadriennio poſt VI. Cal. Apr. prima Laurea ornatus; legitur etiam fuiſſe A. L. M. ſed in matricula Magiſtrorum Baſil. ejus nomen non adparet. A. 1553. ei duplex profeſſio fuit commiſſa; una in pædagogio Auctorum Latinorum, altera in Academia, Logicæ, quam utramque diligenter adminiſtravit. De eo hæc habet Vrſtiſius: *Tua etiam mihi, Philippe Bechi, Medicæ facultatis cultor, recordatio jucunda eſt, qui ut Apollineæ artis ſcientia uſuque, ſi longiora tibi hujus*

vitæ

Digitized by Google

vitæ ſtamina fata dediſſent, majorem laudem comparaſſes: ita & te Dialecticæ profeſſionis fide diſcentium commodis ſtuduiſſe, tacentibus ceteris, ego auditor & diſcipulus fateri debeo. Mortalitati renunciavit 3. Non. Sept. 1560.

Job. Bapt. Montani Conſultationes direxit & 3. Tomis edidit; *Pachymeris Epitomen Philoſophiæ*, latinitate donatam, typis excudi curavit, Baſil. 1560. fol. Scripſit & tractatum *de metallifodinis*, in quo omnia munera, inſtrumenta &c. deſcribuntur c. f. Franc. 1580. & Baſ. 1621. fol. In *Virgilii Bucolica, Georgica, Æneida, annotationes* ſcripſit, impreſſas Lipſiæ cum opere Virgiliano, 1546. 8. In latinum convertit: *Georg. Agricolæ* libb. XII. *de re metallica*, Baſ. 1557. fol.

V. JOH. JACOBUS WECKER, dictus *Wentokum*, Medicinæ Doctor, natione fuit Rhætus, natuſque a. 1528. Baſileæ. Academiæ nomen dediſſe legitur a. 1544. In Pædagogio Dialecticæ a. 1557. ſimulque a. 1560. Grammat. Lat. atque auctorum Lat. Profeſſor fuit deſignatus. Cui utrique muneri diligens præfuit, etiamque Medicinam practicam ſtudioſe excoluit, gratam & felicem ægrotis operam præſtans, donec menſe Aprili 1566. peſti ſuperſtes, Colmariam abiit, ubi Archiater a. 1586. fato fuit perfunctus.

Opera ejus ſunt: *Medicæ ſyntaxes*, Baſ. 1562. 1581. 1582. 1601. fol. *Alexii Pedemontani theſaurum medicum* tranſtulit ac edidit germ. & lat. Baſ. 1575. 4. *Antidotarium ſpeciale*, in quo relatio occurrit *de thermis Piperinis*, ibid. 1561. 4. 1577. 4. 1588. fol. 1595. 4. & 1617. 4. *de Secretis* l. 17. ib. 1582. 1587. 1598. 1604. 8. 1613. 8. 1629. 1642. & 1701. 8. *Oratoriæ artis præcepta* &c. ib. 1582. 8. *Organum logicum*, 8. *Pract. med.* l. 7. ib. 1585. & 1602. 16. & Ronon. 1597. 16. *Antidotarium generale*, Baſ. 1576. 4. 1586. 4. *Revelatio præcipuorum articulorum Magiæ* &c. germ. 1576. 8. 1577. 8. Franc. 1586. fol. *Antidotarium generale & ſpeciale*, Baſ. 1595. 1601. 4. & 1647. 4. *Anatomia Mercurii Spagyrica*, a. 1620. 4. Scripſit etiam libellum *de variis craſibus olei & vini*, Baſ. 1571. 8. ib. 1603. 8. *von mancherley kunſtlichen Waſſern und Weinen*, Baſ. 1593. 8. Uxor ejus, *Anna Keller*, Iſaaci Med. & Prof. filia, edidit librum in 4to, quo rei culinariæ artes tradidit, quemque dedicavit *Loyſæ Julianæ* principi Auriacæ, ſub titulo *Kochbuch* &c. Amberg. 1600.

Digitized by Google

VI. MATTHÆUS MEYER, ex antiqua nobilique Basiliensium gente oriundus, natus est a. 1545. Literis artibusque ingenuis diligenter imbutus a. 1561. primæ Laureæ, a. 1565. gradu Magisterii fuit ornatus. Diligentiam ejus remuneraturi, eruditionisque ejus fructus percepturi Academiæ proceres ei primum a. 1566. professionem Grammaticæ Lat. auctorumque Lat. simulque dialecticæ Willichii, dein a. 1567. professionem Linguæ Græcæ in pædagogio, denique a. 1571. itidem professionem linguæ Græcæ in Academia obeundam commiserunt, quas singulas provincias diligentissime administravit. Præter linguas & Theologiæ operam dedit tam sedulus, ut præstantissimis temporis sui Theologis compararetur; vir nempe erat felicissimi ingenii & pertinacis industriæ, hinc eximie doctus & eruditionis fama præclarus. Accidit autem, ut controversiis illis tristissimis, quæ tum in ecclesiis de gratia Dei & cœna Dominica agitabantur, implicatus contra expressum Senatus consultum, omnibus cum Academicis tum Ecclesiasticis per Deputatos d. 22. Oct. 1577. inculcatum, quo singulis subscriptione libri Concordiæ fuerat interdictum, prævaricaretur, illique Concordiæ subscriberet, eo fine, ut functionem ecclesiasticam, quam in Marchionatu habebat, retineret; quo factum, ut vi ejusdem decreti professione sua decedere fuerit jussus d. 23. Apr. a. 1582. Reliquo tempore privatus vixisse videtur usque ad d. 14. Febr. 1588. quo in Domino obdormivit, relicta uxore *Anna Wolff*, & *Jacobo Reinhardo*, filio, J. V. D.

VII. VLRICUS FALCKNER, Beati Falckneri, satrapæ, senatoris atque Scholarchæ filius, A. L. M. a. 1566. designatus fuit Gramm. Lat. atque auctorum Lat. in pædagogio Professor, sed hoc officium vixdum, vel nondum ingressus eodem anno pastor Francisanus, a. 1577. Archidiaconus & a. 1580. pastor Leonhardinus fuit vocatus, in qua statione d. 17. Febr. a. 1583. animam deposuit; filium habuit sibi superstitem *M. Joh. Vlricum*; qui cum per 44. annos ecclesiæ Petrinæ concionando atque docendo fideliter inserviisset, a. 1642. cœlestia laboris præmia accepit.

VIII. PETRUS GAJUS, Maixirienſis e Friburgensium Nuitonum agro oriundus, & Basileæ 8. Cal. Febr. 1579.

A.

Digitized by Google

A. L. M. creatus, electus fuit profeſſor Grammaticæ Latinæ a. 1566. & in pædagogio Ciceronis officia explicuit. A. 1578. Præpoſitum collegii ſuperioris, denique a. 1589. Gymnaſiarcham egit & obiit a. 1593.

IX. SAMUEL COCCIUS (*Koch*) dictus *Eſſig*, in lucem editus eſt menſe Decembri a. 1548. patre *Huldrico Coccio*, Theol. Doct. ac Prof. N. T. itemque paſtore Petrino, & matre *Margaretha Merian*. Veſtigia patris ſecuturus, ſe totum ſtudio philoſ. ac theol. ſacravit, a. 1565. diligentiæ præmium, primam Lauream, & a. 1567. Doctoratus philoſ. dignitates ac privilegia accepit. In Profeſſorum numerum receptus, primo a. 1567. Grammaticam Lat. cum auctoribus Lat. docuit, & a. 1573. Willichii Dialecticam itidem in pædagogio explanavit, idque donec a. 1589. pædagogium in Gymnaſium transferretur, qua utraque functione tunc ceſſit, unice eccleſiaſticis functionibus vacans, quas per 60. annos obiit; ab anno enim ætatis 18. in variis pagis urbi vicinis Evangelium prædicavit per quadriennium, totidem annos in eccleſia Petrina, 15. in Eliſabethana, & in Martiniana totos 37. annos, in qua functione ſacra diem ſuum obiit ipſis Non. Aug. 1626. Matrimonium iniit cum *Catharina Bemhænder*, eaque biennio poſt defuncta, cum *Barbara Tſchudin*, ex qua reliquit filium, *Fridericum*, paſtorem in Mœnchenſtein, dein in Muttenz, tandem in Tennicken, ubi a. 1653. æt. 70. vita exceſſit.

PROFESSORES PÆDAGOGII CLASS. II. RHETORICÆ ſ. POETICÆ.

I. VLRICUS HUGOBALDUS ſ. *Hugwald*, dictus *Mutius*, vitæ primordia cepit a. 1496. in pago Turgoviæ prope Epiſcopicellam, alii *Wylen*, alii *Stocken* illum pagum vocant. Literarum ſtudio deditus pro ingenii elegantia & indefeſſa induſtria magnos cito fecit progreſſus, & eruditionem haud exiguam comparavit. Reformatæ doctrinæ favens atque adhærens incidit in Anabaptiſtarum conſortium, quorum fanaticis opinionibus ſeductus, longum vale literis dicere, & in ſudore vultus pane ſuo veſci conſtituit; artem proin vaſorum ex

abiete & pinu conficiendorum didicit; ab iſta vero arte paulo poſt ad agriculturam tranſiit. Saniora tandem edoctus, cum literis in gratiam rediit, & præter Philoſophiam Medicinam diligenter excoluit, Anatomia & Botanica inprimis delectatus, quarum principia ab *Euſtathio Quercetano* audiit atque didicit. Baſileam cum veniſſet, & Profeſſoribus diligentiam ſuam probaſſet, d. IV. Non. Nov. 1540. Baccalaureus & d. 4. Jan. 1541. L. A. M. publice creatus & in ordinem philoſophorum receptus eſt, idque gratis, quod de literis bene meritus eſſet. Haud diu poſt duplex officium ei fuit commiſſum, nempe Ludimagiſtri in Gymnaſio & in Academia Profeſſoris Logicæ; eodem vero anno 1541. ad Ethicam docendam fuit translatus, quod præſtitit uſque ad a. 1571. Simul vero a. 1544. in pædagogio ei data fuit profeſſio Poëtices, Virgiliumque auditoribus in iſta cathedra expoſuit; ſed a. 1550. Virgilius ei fuit remiſſus, & in Ethica profeſſione ſubſtitit uſque ad finem vitæ, qui contigit 9. Cal. Febr. a. 1571.

Variis ſcriptis inclaruit, quorum præcipua ſunt: *Libellus de ſtudiorum ſuorum proœmio.* Baſ. *Epiſtola ad omnes, qui Chriſtum ex animo quærunt*, ib. 1522. *de Germanorum prima origine, moribus, inſtitutis & rebus geſtis*, ib. 1539. Francof. 1584. fol. ib. 1589. fol. Hanov. 1613. fol. & inter *Piſtorii ſcriptores Rer. germ.* Ratisb. 1720. fol. Vol. 2. do.

II. JOHANNES NISAEUS, Auguſtæ Vindelicorum natus, Tubingæ A. L. M. proclamatus, eruditione ſua & Baſilienſibus innotuit, qui ei profeſſionem in pædagogio Rhetoricæ atque Poëticæ, ſ. Virgilii a. 1550. & a. 1551. in Academia itidem profeſſionem Rhetoricæ detulerunt, quam utramque diligenter curavit adhuc a. 1556. a. 1557. ad Phyſicam translatus legitur; quæ poſtrema ejus fata fuerint, reperire nobis non licuit.

III. JOHANNES FUEGLINUS, Baſilienſis, *Petri*, ſitometræ, filius, annum habuit natalem 1533. Literis deditus ita profecit, ut a. 1550. Laureatus & a. 1556. magno ſuo merito artium Magiſter promoveretur. Citius & aliis docendis fuit adhibitus. Jam a. 1557. profeſſio pædagogii Poëtica ei fuit demandata, quam omni diligentia adminiſtravit, ſymbolum ſuum: *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit*, ſubinde diſcipulis ſuis inculcans.

Digitized by Google

vulcans. Eodem hoc anno etiam in Academia Rhetorica docenda ei fuit commissa. A. 1564. ad Professionem Logices & denique a. 1571. ad Eloquentiæ cathedram promotus. Neque vero philosophicis studiis tantum, sed vel maxime S. Theologiæ est operatus. Ecclesiæ Ministrum egit vigilantem in pago Basileæ vicino, *Alschweiler*, ab a. 1558. abhinc ad Diaconatum Petrinum a. 1564. & dein a. 1566 ad Pastoratum Leonhardinum vocatus. Vir iste pius ac eruditus gravem passus est adflictionem, mentis nempe alienationem, quam, judice Platero, zelotypia sibi adtraxerat; restitutus tamen saniori menti ad munera rediit, quibus rite fuit defunctus ad a. 1579. quo huic mundo valedixit.

Ex latino in germanicum convertit *Joh. Wierii tract. de Præstigiis Damonum* &c. Bas. 1565. 8.

IV. ALBERTUS SULCER, *Simonis* Theologi ac Antistitis Basil. ex fratre nepos, natus Bernæ, studiis literarum vacavit Basileæ, ubi & diligentiæ suæ præmia tulit. A. 1553. Academiæ civibus adscriptus, in liberalium artium stadio gnaviter ac feliciter decurrit, prima Philosophiæ Laurea a. 1557. deinceps quoque Magisterii axiomate exornatus a. 1560. Haud diu post, nempe a. 1563. constitutus fuit in pædagogio Professor Poeticæ, quam cathedram vero ut & Diaconatum summi Templi & Pastoratum Albanum, ad quem a. 1562. fuerat vocatus, brevissimo tempore ornavit, præmatura morte ferali illo ac pestifero anno 1564. d. 24. Aug. Academiæ atque Ecclesiæ abreptus.

V. SAMUEL HOLZACH, ex antiqua & de patria optime merita familia oriundus, honestis parentibus in lucem est editus Basileæ a. 1536. Eos fecit in bonis literis progressus, ut a. 1549. ad lectiones publicas admissus, a. 1552. prima Laurea & a. 1558. Magisterii dignitate exornaretur. Placuit dein Academiæ, ejus operam in trina statione sibi vindicare. Primo quidem a. 1565. ei professionem Poeticæ in pædagogio obeundam commiserunt Academiæ antistites. Dein a. 1576. publica auctoritate in Academia docuit Rhetoricam; denique a. 1589. Linguæ Græcæ professor ordinarius fuit constitutus, quibus singulis officiis affatim satisfecit, quamdiu

quamdiu per vires licuit; cum autem istæ frangerentur & ad docendum esset ineptus, præterea etiam quædam admisisset crimina, quæ eum munere reddebant indignum, vicarius primum ei datus, dein prorsus ab officio fuit remotus a. 1595. relicto tamen ei dimidio stipendio; reliquum vitæ privatis studiis vacavit, tandemque morte fuit exstinctus a. 1616.

VI. THEOBALDUS MUELER, Marpurgensis, Basileæ IV. Id. Febr. a. 1572. A. L. M. dictus, a. 1574. ob eruditionis merita in consilium facultatis philos. fuit adoptatus & a. 1576. in pædagogio professor Poëtices denominatus, legit in Virgilium, ex quo tum poësin, tum linguam latinam docuit. Vocatus ad scholæ Francofurtensis moderationem Basileæ valedixit publice in promotione Laureatorum non. Maj. a. 1581.

VII. HENRICUS JUSTUS, civis Basilienſis, Academiæ atque ecclesiæ commodo mundum intravit d. 12. Dec. a. 1561. parentibus usus optimis, patre quidem *Luca Justo*, pastore Petrino, matre vero *Anna Heydelin*. Horum sollicitis auspiciis prima literarum elementa sedulus hausit, ea felicitate, ut non modo d. 14. Febr. a. 1581. gradu Magisterii fuerit decoratus, sed & paulo post, annum ætatis vicesimum vix supergressus, operam in vinea Domini collocare, & ministerio Verbi ad D. Jacobi defungi potuerit. Quadruplicem etiam in Academia occupavit stationem, a. 1582. in pædagogio Professor Rhetoricæ s. Poëticæ, a. 1584. in Academia Logicæ, a. 1587. Ethicæ, & tandem a. 1589. Organi Aristot. Professor constitutus. Etiam ab a. 1582. ad a. 1584. Præpositus inferioris Collegii fuisse legitur. Interim in ecclesia Dei partes ei fuere tributæ meliores, a. 1587. Diaconatus &, defuncto ejus patre, a. 1595. Pastoratus Petrinus, cui sacro & gravissimo muneri, juxta professionem Organi, ad finem vitæ pie, dextre, industrie præfuit. Anno, qui seculum XVI. claudebat, Rector Academiæ designatus, alterius Jani instar seculum illud finiit & novum incepit, munere amplissimo decenter defunctus, & quia Philosophum pariter & Theologum agebat, utriusque σχῆμα & ordinem hac eleganti epigraphe in frontispicio albi academici complexus est: *Quod Hagar Saræ in domo Abrahæ, id Philoso-*

Philoſophia Theologiæ in domo Dei; cujus occaſione lepidus aliquis ſcurra acerbiores has protulit facetias: *Ejice ancillam.* Decanatu autem philoſ. Profeſſor noſter functus eſt ſextum, raro exemplo. Uxorem duxit *Matthiæ Bombardt & Vrſulæ Wachter* filiam, *Annam*, ex qua ſuſcepit 9. liberos, inter quos *Joh. Gernleri*, Paſt. Petr. Uxor, *Maria*, quæ in lucem hanc fauſto ſidere edidit ſplendidum Eccleſiæ & Academiæ lumen, *Lucam Gernlerum*, Antiſtitem; ſic memoria *Juſti* fuit in benedictione. Filius *Lucas* Paſtor Bretzwilenſis a. 1629. fatis conceſſit, biennio tantum hoc munere defunctus. Ceterum Noſter per totam vitam inprimis vero duabus vicibus ſingularem Dei providentiam in ſe fuit expertus: Una quidem a. 1596. cum, duobus ſibi junctis amicis, maternas ædes, novum cellæ vinariæ opus fornicatum inſpecturus, fuiſſet ingreſſus, & ipſe pariter ac ſocii una cum fornicibus & pariete proximo in profunditatem cellæ decidiſſent, ipſe & ſocii, ruinis licet obruti, ſalvi tamen effoſſi fuere. Altera vero vice a. 1606. ex ſuprema eaque tertia domus contignatione in ſubſtratos lapides delapſus, non ſine miraculo illæſus manſit, & per ſcalas aſcendens, liberos, qui parentem mortuum ex caſu credebant, quaſi exanimatos præſentia ſua refecit, & mortuus mortuos in vitam revocavit, expertus veritatem illius Davidici: *Deum* Juſti *oſſa ſervare, ne ullum eorum frangatur.* Supremus interim annus vitæ incidit in feralem illum multiſque claris viris, interque eos amicorum trigis, *Amando Polano*, *Jac. Zuingero*, & *Jac. Rudino* exitialem, 1610. quo & ipſe d. 19. Oct. peſtifera lue fuit abreptus, quem & uxor mox d. 25. Nov. itidem peſte correpta, fuit ſecuta.

Edidit *concionem funebrem* a. 1599. in 2. Tim. 4. 6.

VIII. THOMAS COCCIUS natus a. 1556. patrem habuit *Vlricum Coccium*, Theol. Doct. ac Prof. itemque paſtorem Petrinum, matrem vero *Margarethan Merian.* Ad exemplum patris muſarum delubra coluit, eoque Rectore II. a. 1571. in gremium Academiæ fuit exceptus. Primam Lauream philoſ. a. 1574. ſecundamque Magiſterii deinceps annis aliquot elapſis adeptus, ſtudium Medicum proſequendum elegit, ſummoſque in ea arte honores accepit a. 1582. Biennio poſt, d. 5. Febr. 1584.

1584. Præpositus collegii inferioris simulque in pædagogio professor Poëticæ, a. 1587. in Academia Logices & denique a. 1589. Ethices Professor fuit constitutus, in qua postrema functione ad vitæ finem summa cum laude & studiosæ juventutis emolumento est versatus. Anno 1592. collegio Medico adscriptus, ejusdem Ordinis Decanatum aliquoties gessit; proximo etiam peritia sua Medica diligenter inserviit, donec summo rerum Arbitro placuit, eum 23. Mart. 1610. in immortalitatem transponere, corpore peste, vel, ut Platerus refert, peripneumonia consumto; eum eodem anno peste correpta secuta est uxor *Elisabetha Socin*, nec non 4. filii, *Samuel*, *Christophorus*, *Thomas* & *Josephus*.

IX. JACOBUS BRANDMULLER filius fuit *Johannis Brandmulleri*, Biberacensis, S. Theol. Doct. atque Prof. qui primus fuit hujus gentis, quem magistratus Basil. civitate donavit a. 1576. quique in ministerio suo 11337. conciones sacras habuit; natus autem fuit iste filius a. 1565. & a patre ut literis sacratus ita & diligenter imbutus. Deinceps a. 1583. Laureatus & a. 1585. artium Magister creatus, Theologiæ studio se sacravit, eique sedulo vacavit. Ejus vero operam mox expetiit Academia, eique 8. Id. Apr. a. 1587. professionem Poëtices demandavit, cui sed parum temporis cum laude præfuit; cum enim a. 1589. pædagogium abrogatum in gymnasium transferretur, ejus functiones in academia finem fuere sortitæ, sed aliæ eodem anno ei fuere collatæ, cum 12. Cal. Mart. 1589. ecclesiæ Transrhenanæ simulque patris sui Diaconus fuit constitutus, postquam antea aliquamdiu pastorem *Derwilensem* egisset. Diaconatum istum, ut decet, pie gessit, atque diligenter. Etiam cum a. 1592. *Joh. Buxtorffius*, Linguæ Hebr. Professor, patriam Westphalam revisseret, ejus vices cum laude sustinuit. Obiit ex peste 1. Nov. 1629. æt. 64. Minist. 42. Conjug. 41. relictis tribus filiis, *Johanne*, mercatore, qui pater exstitit *Jacobi* JC. *Henrico*, senatore, & *Jacobo*, pastore Micropolitano.

Edidit *Analysin typicam Dominic.* & *Festal.* c. observatt. Bas. 1620. 4. *Analysin typicam l. V. T. poetic.* & *prophet.* c. scholiis, ib. 1621. 4. *Analysin typicam epistol. N. T.* & *Apoc.* ib. 1622. 4. *Commentarium in Ezech.* & *Threnos*,

nos, ib. *Locos communes theol.* ib. *Analyſin* ſeu *locos communes ex Symbolo Apoſtolico & Decalogo*, Baſil. *Concionet nuptiales & funebres*, Hanov. 1603. 8. Baſil. 1608. 8.

PROFESSORES PÆDAGOGII CLASS. III. DIALECTICÆ WILLICHII.

I. CONRADUS LYCOSTHENES ab a. 1542. in Dialecticam Willichii publicus pædagogii profeſſor legit uſque ad a. 1545. quo ab hoc aliiſque muneribus acad. ad diaconatum Leonhardinum fuit vocatus. V. Prof. pædag. Cl. I. n. 1.

II. HENRICUS PANTALEON profeſſor electus Dialecticæ Will. a. 1545. eam cum Lingua Lat. docuit uſque ad a. 1548. quo ad Rhetoricam tranſiit. V. Prof. pædag. Cl. I. n. 2.

III. VLRICUS COCCIUS, antea paſtor ſuburbicarius, cathedram Dialect. Will. conſcendere juſſus eſt a. 1548. eamque ornavit ad a. 1552. quo cœtus Martinianus paſcendus ei fuit datus. V. Prof. N. T. n. 5.

IV. JOHANNES EBLINGER, Baſilienſis, quemnam annum diemque habuerit natalem vel emortualem, reperire non potuimus. Pauciſſima de eo conſtant. Laurea philoſ. eum cum *Vlrico Zuinglio* a. 1547. & corona Magiſtrali d. 14. Febr. a. 1549. a Joh. Hoſpiniano decoratum fuiſſe, programmata promotoria perhibent. Archivum porro Academicum commemorat, eum ab a. 1553. ad a. 1556. in pædagogio Dialecticam Willichii expoſuiſſe.

V. HENRICUS PANTALEON a. 1556. ex Gallia redux hanc profeſſionem iterum obtinuit, eamque retinuit, donec d. 19. Apr. 1557. ad Phyſicam tranſiret. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 2.

VI. JOH. JACOBUS WECKER alias *Wentokom*, ſucceſſit Pantaleoni a. 1557. & Dialecticam Will. docuit uſque ad a. 1566. quo Colmariam fuit profectus. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 5.

VII. MAT-

VII. MATTHAEUS MEYER a. 1566. Dialecticam Willichii una cum lingua Latina docuit in pædagogio, nec non ibidem Linguam Græcam, uſque ad a. 1573. quo Dialectica alii fuit tradita. V. Prof. pædag. Cl. I. n. 6.

VIII. SAMUEL COCCIUS, Grammaticæ atque auctorum Lat. Profeſſor, etiam Dialecticam Will. explanare incepit a. 1573. ſicque perrexit, donec a. 1589. pædagogium in primam Gymnaſii claſſem tranſiit, a quo tempore unice functionibus miniſterialibus vacavit. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 9.

PROFESSORES PÆDAGOGII CLASS. IV. *LINGUÆ GRÆCÆ.*

I. THOMAS PLATER, ſingulare divinæ providentiæ objectum, natus eſt a. 1499. juxta pagum Valleſiæ haud ignobilem *Grencheim*, ultimæ ſortis parentibus, *Antonio Plattero* & *Antillia Sommermatter*; utraque parentum familia antiqua atque annis proleque ad miraculum uſque fuit numeroſa. Matris nempe pater, *Johannes Sommermatter*, annos natus 100. virginem duxit 30. annorum & ex ea utriuſque ſexus liberos ſuſcepit, quorum nonnulli ante patris obitum, qui anno ætatis ejus 126. contigit, canuerunt. Thomas utroque parente in prima infantia orbatus, duriſſima fata fuit perpeſſus. Puer ſexennis cuſtodiæ capellarum in ſolitudine quadam adhibitus, ſæpius nivibus fuit ita immerſus, ut vix exinde emergere ſeminudo daretur. Cibus ei fuit caſeus vilis, & panis induratus ater, quam vitam ab anno ætatis 6. uſque ad 14. penes caprimulgum aliquem in valle Staldenſi toleravit. Cum plures aliquando pueri caprarum gregem in ſublimem quandam & amplam planitiem ſeducerent, eoque paſcente, lapidum teſtarumque projectu tempus fallerent, dum jactum effugere tentat, de rupe prærupta per inhoſpita teſqua ferarum decidit, ut a ſodalitio amplius nec conſpiceretur, nec vivus haberetur, mira tamen ope divina conſervatus aliquot poſt horis ad ſocios revertitur, a quibus lacrymis, quas gaudium expreſſit, eſt exceptus.

Digitized by Google

tus. Paulo poſt capra ex eodem loco præcipitata, cruribus omnibus fractis, mortua reperta eſt. Deinceps cum capellæ acclive quoddam præcipitium conſcenderent, ipſe eas adſecuturus, & a periculo retracturus, lapidi uni tantum, nec niſi altero pede inſiſtere cogitur, manum gramini iniiciens, nec aſcendere nec deſcendere potis, inſuper ſibi a vulturum inſidiis metuens, qui ut ſunt in Valleſia ſtupendæ magnitudinis, ita haud raro puerulos & agnos uncis arreptos per aërem auferunt. Præſentiſſima morte inſtante, tandem ventus ſalutem adtulit, qui ut togam verſilem, qua erat indutus, ſublevavit, conſpiciendum ſe alicui ſociorum præbuit, qui ut ipſum inclamavit, accurrit protinus, & pede prehenſum ſenſim retraxit, donec ulnis exceptum in tuto conſtituit. Ab iſto ſervitio, curante amita, ad aliud tranſiit, caprarum nempe, ut antea capellarum, cuſtodiam. Sed & hic varia vitæ ſubiit diſcrimina. Accidit aliquando, ut dum divitis coloni, cui ſerviebat, capras cuſtodiret, capream de rupe pendentem videret, eamque de grege ſuo reputans & ex altiſſimis rupibus reducere tentans nocte præveniretur; certa itaque veſtigia non cernens, veritus tamen gregis, quem reliquerat, jacturam, cœca nocte deſcenſum tentat, tandemque eo extremitatis pervenit, ut ſi greſſum vel unum protuliſſet, præceps ruiſſet in diram & imam abyſſum; obdormivit per noctem quietus, niſi quod veritus erat ſe, corvis immane crocitantibus, quod præſentis urſi ſignum erat conſuetum, belluæ iſti prædæ eſſe futurum; mane vero horribilem ſub ſe voraginem conſpicatus, gratias Deo egit, quod ulterius per noctis tenebras non progreſſus eſſet, & qua deſcendit, aſcendebat, & per tutiores calles domum reverſus eſt ad ſuos, quibus creditus eſt caſu quopiam occubuiſſe. Hujuſmodi pericula ex petris, lapidibus, arena - - - adhuc alia ſubibat varia, donec propinqui ejus ruinam metuentes ex caprario eum bubulcum facerent; cui officio ad tempus vacavit, donec, ægre ferente domino, cui ſerviens fuerat utilis, ab amita illa pia literis initiandus *Antonio Plattero*, paſtori ad S. Nicolaum, traderetur. Hic noſtrum videns, dixit: *Quid rudis iſte & indocilis puer? Aſinus ad lyram?* quo audito reſpondit: *Deus nemini ſua dona negat; forte & ego aliquando ſacerdos probus evadam.* Hujus igitur

 facer-

ſacerdotis diſciplinæ traditus, prima literarum elementa percepit, præceptore ſevero admodum & aſpero uſus, qui eum ſæpius utraque auricula prehenſum humo ſuſtulit, ut vicini clamore ſtentoreo permoti, miſeratione ejus ducerentur, nec vererentur, ſacerdotem objurgare, num tandem diſcipulum ad necem poſcere vellet objicientes. Commodum advenit cognatorum aliquis, *Paulus Sommermatter*, qui eum ſibi ſocium peregrinationis academicæ petiit, & ex patria egreſſus Lucernam venit, ubi fornacem, luna forte illuſtratam, vitulum magnum reputavit, anſereſque, quod prius nunquam vidiſſet, diabolos ſe ſibilis impetentes interpretatus eſt, ab iiſque auffugit. Hinc Tigurum pervenit, & numeroſo bacchantium ſodalitio junctus in Miſniam iter fecit, exinde per varios errores, quibus Poloniam, Hungariam, Germaniam pervagatus eſt, Monachii, Vlmæ, tandem & Seleſtadii apud eruditum virum, *Joh. Sapidum*, ſubſtitit, ubi anno ætatis 18. Donatum legere incepit; cum autem ob ſcholarium multitudinem ſufficiens alimentum cantiunculis emendicare non poſſet, ſtatuit in patriam redire, idque hyeme ſuſcepit iter; Tigurum petiit denuo, & Terentium ex interpretatione *Oſw. Myconii* audiit, ſed exiguo cum fructu, quippe qui nondum declinandi & conjugandi peritus erat, unde a præceptore aſpere eſt habitus; tandem ubi ejus vidit induſtriam, ſumnopere adamatus & cuſtos conſtitutus fuit. Illuceſcebat jam tum temporis diluculum purioris religionis, ſed quod nondum poterat Papatus tenebras diſpellere, horrorem tamen iis, qui naris erant emunctioris & conſcientiæ tenuioris injiciebat, in quibus erat Myconius, Plateri præceptor, qui Miſſis leviuſculis habendis cuſtodem ſuum ſubſtituit, ceterum opera ejus domeſtica uſus, præſertim in foco ſuccendendo, & calefaciendo hypocauſto; cui cum aliquando ligna non ſuppeterent, nec eſſet, unde conquireret, ante diluculum templum, quod forte apertum invenerat, ſubintrat, & ligneum B. Johannis ſimulacrum effert & fornaci ſuæ infert, quod cum ex oleaginea tinctura crepere inciperet, ipſe operculum ſuperaddidit, per jocum dicens: *Mi Johannes, hinc non exibis.* Interim anceps hærebat; an Evangelio, an ſacerdotio nomen eſſet daturus, ratus ſe vitam piam probamque agendo nihilo tamen minus ſacerdotio poſſe defungi, donec M. *Vlr. Zuinglium*

Digitized by Google

Zuinglium audiit in Papatum concionibus insurgentem, & Evangelium Joh. 10. de Pastore bono exponentem, *Bone Deus!* secum suspirat, *cum tanta cura ovium pastori incumbat, quis tandem salvam conscientiam sibi in munere sacerdotali servabit?* Invocato Deo sanctorumque nomine, & religiosa in eremum helveticam (*Einsidlen*) suscepta peregrinatione, quarum sex per vitam peregit, in Vallesiam abiit, ubi cum adversus traditiones, imaginum cultus, missam --- disputasset, eam sibi conflavit invidiam, ut patrium solum vertere cogeretur. Tigurum repetens Zuinglio & Myconio arctius adhæsit, illique tempore disputationis Badensis, cum D. coronati in ejus caput ab adversa parte constituerentur, opera sua multum profuit. Dum ita vitam in sudore vultus exigit, vocatur ab *Henr. Werdmüller*, ut filiorum duorum institutionem susciperet; hic non modo victus sed & studiorum commodiorem occasionem nactus, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ operam indefessam navavit, vario artificio somnum etiam necessarium depellens, usque adeo, ut Lucianum & Homerum cum fructu legere posset. Hebraica rudimenta a *Theod. Bibliandro* bene edoctus, in quibus & proprio marte ita profecit, ut & aliis opera sua prodesset, inprimis nonnullis in agro Tigurino pastoribus, in quibus & senex octogenarius hebraicas literas didicit, ex patrimonio exiguo sibi relicto Platerus Biblia hebraica comparavit, eaque studiosissime perlegit. Interim prospecturus sibi in futurum, & in sudore vultus paraturus sibi victum, cogitavit de opificio addiscendo, quod vel a Zuinglio suo audiit, Apostolum Paulum arte sua comparasse sibi victum, ne fratribus esset molestus. Inde cum restione quopiam, *Rod. Collino*, pactus est, ut pro centum libris cannabis, cujus pretium exsolvit, opificium hocce edoceretur. Edoctus est utcunque, sive vitium fuerit præceptoris negligentis, sive discipuli, in alia h. e. studia intenti, quippe qui altera manu cannabim, altera Homerum tractabat, unde magister artis restiariæ, qui & ipse prius studiis operabatur, dixit: *Platere! Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Deficiebat aliquando vinum, tum magister ad discipulum conversus: *ut orditur Pindarus?* respondit Platerus: ἀριστον μεν το ὑδωρ, *aqua optimum; bibamus ergo*, addit magister, *inprimis vino deficiente.* A restiario digressus clanculum apud vetulam

tulam quandam per ſex ſeptimanas latitabat, quas lectioni Euripidis impendit. Baſileam dein iter direxit, ubi reſtiario operam ſuam locavit, apud quem natura moribuſque aſperum ipſe artis minus expertus, parum gratiæ ac ſtipendii meruit, gratuitam tandem ei addicens operam; ſyllabum autem operarum cum magiſtro quotidie conficeret, hebdomadatim quatuor crucigeros mercedem accepit, ex quibus candelas ſebaceas comparavit, ad quas lucubrationes ſuas inſtituit, nihilo tamen ſegnius a ſummo mane ad ultimam veſperam reſtiaria opera defunctus. *Andr. Cratander*, *Beatus Rhenanus*, quin ipſe *Deſ. Eraſmus* Platerum in luco Petrino laborantem inviſerunt, ad ſtudia literarum inſtigarunt, ultroque operam ſuam promiſerunt. Pactus tandem cum magiſtro, integrum habuit, *Oporino* horam diei unam dicare, qua literas hebraicas eum doceret. Oporinus his non contentus, inſcio Platero, valvis templi Leonhardini publice adfixit & indicavit, eſſe præceptorem, qui ab hora 4. ad. 5. in ædibus Oporinianis grammaticam hebraicam traderet. Hoc adfixo invitati prima jam vice adparuerunt 18. juvenes; his viſis Platerus omnibus modis ſe ſubducere ſtuduit, ſed ab Oporino fuit retentus, ſicque ex privata publica orta fuit prælectio, in qua præter grammaticam hebr. in prophetam Jonam fuit commentatus. Circa hæc tempora accidit, ut Gallus aliquis illuſtris familiæ a regina Navarræ in Germaniam miſſus, quo ſumtibus regiis linguam hebr. addiſceret, Baſileæ adveniret, & in ſcholam Plateri intraret; is præceptorem juxta fornacem ſub tenuiſſima veſte ſedentem non agnoſcens, interrogavit: *Quando venit noſter præceptor?* commonſtratum a diſcipulis intuetur non ſine admirationis & commiſerationis adfectu, quærens ex eo, *qui fieret, quod non eſſet meliori loco ac ſorte?* argutum hoc accepit reſponſum: *Mea res ad reſtim rediit.* Finita lectione non ſuam modo opem ſed & reginæ gratiam ampliſſimam promiſit, ſed, gratiis actis, abnuit Platerus. Poſt novennium ex Arabia redux factus Gallus, prope cœnobium Auguſtinianorum in Platerum incidens, totus lætabundus eum ita fuit adlocutus: *O ſalve præceptor Platere!* Interea, bello inteſtino Helvetiorum exorto, ad ejus famam reſtiarii noſtri ambo a. 1529. Tigurum fuere profecti. Platerus ad verbi divini Miniſtrum aliquem in agro Tigurino divertit,

Digitized by Google

divertit, & ſuaſu Myconii ejus a ſeptennio fidam & induſtriam ancillam, *Annam Dietſchin*, ex pago Tigurino Wiphingen oriundam, anno ætatis 30. uxorem duxit, quacum paulo poſt in patriam ſuam migravit, ibique ſedem fixit, nihil habens peculii, præter quindecim bacos ſ. florenum, quem mutuo acceperat; non tamen fuit omnibus gratus, qui maluerunt eum cœlibem vitam & ſacerdotium, quam conjugium elegiſſe; ut primum eum *Antonius Plater*, ſacerdos in Viſpenſi diſtrictu compellavit, graviter in eum eſt invectus: *Ad orcum abi cum tua ſorore, præſtitiſſet ſcortum quam uxorem adduxiſſe.* Cui ille intrepidus: *Nuſpiam in Scriptura reperies, ſatius eſſe meretricem quam uxorem ſecum ducere, quam & ſecum duxiſſe Petrus aliique Apoſtoli leguntur.* Perſtitit ergo in Valleſia cum uxore, victum neceſſarium partim ex arte reſtiaria, partim ex inſtitutione puerorum parans; compulſus tandem a ſacerdotibus Miſſam canere, maluit paternum ſolum vertere, quam contra conſcientiam agere. Ex conſilio Myconii, quem patris loco ſubinde coluit, Baſileam reculas ſuas transfert, infante recens nato in humeros ſublato. Ope *Henr. Billingii*, Baſilienſium honeſtiſſimi civis, cui erat a Myconio commendatus, domum conduxit in angiporta ædis D. Vlrici, & ſalario 40. librarum addicto Oporini præceptoris proviſor conſtituitur. Dum ipſe ſive pani lucrando, ſive gloriæ nominis acquirendæ, diurnas non modo ſed & nocturnas horas valetudinis diſpendio impenderet, capitis doloribus & vertigine exinde contractis, cui malo Medici fruſtra ſunt obluctati, tandem *Epiphanius*, olim Bavaricus, tum vero Brunduſius Archiater, tunc Baſileæ verſatus, ſpem fecit reſtitutionis & in medica arte inſtitutionis, ſi Brunduſiam ſe ſequeretur, ipſeque famuli, uxor vero ancillæ loco eſſet futura. Adnuit Platerus & brevi valetudinem priſtinam recuperavit, hac unica medicina uſus, lectum cum uxore citius petendo ſeriuſque deferendo, jureque condito a lecto ſurgens veſcendo. Medico autem iſto mox peſte ſublato, Tigurum iterum petiit; Zuinglio autem in pugna Cappelana defuncto, & Myconius & Platerus Baſileam repetere ſtatuerunt; præivit Platerus & viam paravit Myconio apud conſulis *Meyeri* privignum, *Henr. Billing*, qui Myconii vocandi Baſileam auctor fuit, ubi primum parœciæ S. Albani præficitur, paulo poſt vero

Oecolampadio in Antiſtitio ſufficitur. Platerus vero ad docendam in pædagogio linguam græcam & exponendos Luciani dialogos vocatur, ſimulque per quadriennium Hervagii, typographi, correctorem egit. Haud diu poſt placuit conventui Sedunenſi Platerum in patriam vocare, cujus amore ductus lautam conditionem Baſileæ deſerit; cunctatur tamen, dum *Chriſtianus Herport*, præpoſitus ſuperioris collegii eum technis & obtrectationibus antevertit; in patria adveniens denuo oblatam ſcholam accipere noluit, quia adverſarius eſſet ejiciendus; tandem luſtrata Helvetia & ubique meliori fortuna quæſita, Baſileam revertitur, poſtliminio ad profeſſoris in pædagogio & correctoris Hervagiani munus admiſſus, in quo tamen haud diu perſeveravit, ſed ſpe opimi lucri illectus typographiam exercuit, ſocietate cum Oporino & Hervagio inita. Verum non modo ſpe concepta fruſtratum ſe videns, ſed inſuper damna ſociorum prævidens, ſocietatem ſolvit, & aliquamdiu ſolus libros exculſit; ære alieno graviter preſſus, tamen ſedulus perrexit, & adjuvantibus aliis typographis, res typographica tandem ipſi adeo feliciter ceſſit, ut tres ædes amplas ſibi proprias faceret, ſtudioſis peregrinis etiam victum ſuppeditans, & quotannis ducentos florenos lucrifaciens. Ære alieno diſſoluto & ſupellectile inſigniter aucta, typographia bellicis Germaniæ motibus detrimentum cepit inſigne, igitur Platerus eam penitus deſeruit, & Gymnaſiarchæ munus, civitatis proceribus haud paucis compellentibus, accepit; diſſuadente tamen Myconio, quod prævideret, genium Platerianum proceribus academicis obſequium detrectaturum, & lites, ut factum, varias exorturas. Paret tamen votis civitatis, & ad angariam crucis a. 1541. cum ſcholarchis de ſtipendio paciſcitur; qui ducentos florenos ipſi promiſerunt, ex quibus centum ſibi retineret, centum vero proviſoribus pro lubitu conſtituendis ſolveret; ea nempe lege ſuſceperat munus, ut ſibi integrum ſit, reformationem Gymnaſii inſtituere, quemadmodum vellet; Argentoratum ergo tendit, œconomiam illius Gymnaſii perſpecturus, indeque redux quatuor inſtituit claſſes, eo cum ſucceſſu & incremento, ut a. 1546. Magiſtratus ædificium & numerum præceptorum augere neceſſe habuerit. Exortæ vero mox lites inter ipſum & profeſſores, quod in Gymnaſio diſciplinas doceret, quæ in pædagogio

dagogio vel ipſa academia tractarentur, quodque titulum Magiſtri admittere renueret; quæ lites, licet nimis diu durarunt, tandem compoſitæ fuerunt. Ut vero eſſet, ubi ab herculeis Gymnaſii laboribus reſpiraret, & honeſtum poſt negotia otium capeſſeret, vitæ ruſticæ ab incunabulis adſuetus, emit a. 1549. agrum tuſculanum, prædium urbi vicinum, ex quatuor prædiis Gundeldingianis conflatum, quod foſſa utcunque muniit, aquas circumduxit, ædificiis ornavit, agros adjecit --- quo cum uxore atque convictoribus, graſſante peſte, feceſſit; ipſe vero deinceps cum uxore peſte correptus revaluit. Viſu denique & auditu ob ætatem deficientibus, quadriennio ante obitum a Magiſtratu rude fuit donatus a. 1578. decreto ei annuo honorario 80. florenorum. Cum d. 20. Febr. 1572. fidam utriuſque fortunæ & thori ſociam magno ſuo luctu morte amiſit, ex qua unicum ſuperſtitem habuit filium, *Felicem*, Med. Doct. & Prof., tribus filiabus morte præmatura abreptis, eodem anno d. 24. Apr. ad ſecunda vota tranſiit cum *Eſthera Groſs*: ex qua ſex liberos ſuſcepit, *Magdalenam*, *Thomam*, Med. Doct. & Prof., *Vrſulam*, *Nicolaum*, filiam anonymam, & tandem anno ætatis ſuæ 81. *Eliſabetham*. Obiit d. 26. Jan. a. 1582. poſtquam per 9. ſeptimanas ex caſu & ſenecta, quæ ipſa morbus eſt, decubuit, uſu rationis ad extremum quaſi vitæ ſuſpirium pollens.

Cum typographiam exerceret, inter alia præclarum opus *Calvini Inſtitut. Relig. Chriſt.* heic Baſileæ prima vice typis expreſſit a. 1536. 8.

II. SEVERINUS ÆRIMONTANUS, (*Ertzberger*) natus Baſileæ d. 12. Febr. a. 1520. patrem habuit honeſtum, *Coſmannum Erzberger*, fori mercatorum ſcribam. Adiit primum ſcholam trivialem, in qua, quæ ſunt vernaculæ linguæ, addiſcuntur; ex qua præclaro teſtimonio a *Joh. Kolroſs*, præceptore apud Franciſcanos, a. 1531. ornatus ad linguam latinam addiſcendam tranſiit, & a. 1533. cum aliis 7. adoleſcentibus collegio Sapientiæ, quod erat apud Dominicanos, eſt immiſſus, ubi præter alios præceptoribus uſus eſt *Simone Sulcero* & *Sebaſtiano Lepuſculo*; a. 1538. d. 1. Oct. primi tyrocinii teſtimonium accepit, promotore M. *Wolffg. Wyſſenburg*; a. 1539. in ſuperius collegium traductus ſtudiis porro &

acrius incubuit, ut a. 1541. menſe Martio ſecundum ſtudiorum teſtimonium, quod eſt Magiſterii, reciperet; paulo poſt Sebaſt. Lepuſculi in ſchola dictus eſt collega, ad bihorium juventuti vacaturus, & ſub finem anni ejuſdem communis ſ. ſubſidiarius Diaconus, anno autem proxime inſequente ædis D. Jacobi concionator; a. 1542. menſe Majo adſumtus eſt in facultatem Artium; biennio poſt ad docendas in pædagogio literas græcas publica auctoritate vocatus Ceporini Grammaticam & Luciani dialogos expoſuit. Hoc tempore cum *Salomea Buchſer*, Arovienſi, nuptias contraxit, quæ filium ei peperit, *Henricum*, qui etiam literis inclaruit, & de quo mox ſermo erit futurus. A. 1545. œconomiam collegii Auguſtiniani ab Academia ſibi demandatam ſuſcepit, quo utroque munere, qua decet dexteritate & fide, fuit defunctus, donec a. 1546. 3. Non. Oct. paſtor eccleſiæ S. Albani eligeretur, retento tamen loco & ſede ſua, ut videtur, in facultate Artium, quæ eum Non. Maji a. 1549. Decanum ſuum deſignavit; deinceps quoque a. 1552. in ſenatum acad. & anno poſt in Conſiſtorium Academiæ adlectus. A parochia S. Albani translatus eſt 4. Cal. Maji a. 1562. ad S. Martini, in qua reliquum vitæ exegit, finem vitæ ſortitus d. 30. Apr. a. 1566.

III. VLRICUS COCCIUS Linguæ Græcæ in pædagogio docendæ provinciam obtinuit a. 1546. eamque adminiſtravit ad a. 1548. ad Willichii Dialecticam translatus. V. Prof. N. T. n. 5.

IV. THOMAS GRYNAEUS hanc cathedram ornavit ab a. 1548. uſque ad a. 1556. quo paſtor atque Superintendens Rœtelanus fuit deſignatus. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 3.

V. CHRISTOPHORUS SOLIDUS, (*Schilling*) ex familia Baſilienſi, quæ a quatuor jam ſeculis Reipublicæ ſenatores atque tribunos plebis dedit varios, originem duxit. Nec vitæ ejus initium, nec finem reperire potuimus. Pauca reperta hæc ſunt. Poſtquam a. 1547. academiæ civibus adſcriptus & ad lectiones publicas philoſophorum admiſſus fuit, in propoſito a præceptoribus grammaticæ, dialecticæ & rhetoricæ certamine ſtrenuum ſe geſſit, ideoque d. 23. Apr. a. 1550. lauream publice accepit

accepit a Joh. Hoſpiniano, hrabeuta; deinceps altero ſtadio philoſ. feliciter demenſo, a. 1553. a Thoma Grynæo corona magiſtrali fuit exornatus. A. 1548. Præpoſitus collegii ſuperioris conſtitutus in hac ſede per decennium manſit. Linguæ Græcæ Profeſſor in pædagogio deſignatus fuit a. 1557. anno vero 1558. paſtoratum Riechanum obtinuit, a quo vero ob vitam minus decore actam a. 1562. fuit remotus.

VI. JOH. JACOBUS HUGKEL, ſ. *Huggel*, fama eſt ignobilior, nec multa de eo memoria. Civis fuit Baſilienſis & matriculæ academicæ inſcriptus a. 1546. Baccalaureus creatus d. 29. Oct. a. 1550. a Marco Hoppero; & d. 28. Jan. a. 1552. ab Henr. Pantaleone Magiſtrorum inſignibus fuit ornatus; in programmate hujus promotionis nominatur *Jacobus Huggeli.* In pædagogio Linguam Græcam docuit ab a. 1558. ad 1564. quo ab exitiali peſte periit. Ceterum hoc de eo conſtat, eum Medicinæ Doctorem atque Collegii medici adſeſſorem, nec non, quæ vera laus eſt, virum probitate ornatiſſimum, egregium & adprime doctum fuiſſe.

Scripſit *de Semeiotbica medicinæ parte*, fol. *de ſalutaribus Germaniæ balneis*, germ. Muhlhauſen 1559. 8. nec non *examen leproſorum.* 8. a. 1560. *von dem Auſſatz*, Franco. 1566. 8. Muhlh. 1563. 8.

VII. HENRICUS ERTZBERGER parentes coluit *Severinum Ertzberger*, Prof. Linguæ Græcæ & paſtorem Martinianum, & *Salomeam Buchſer*, a qua in lucem editus fuit d. 7. Febr. a. 1547. Anno ætatis 7. ludo literario a patre commiſſus, prima, quæ domi a patre didicit, στοιχεια ulterius provexit, donec in Thomæ Plateri diſciplinam anno ætatis ſuæ 10. conceſſit, & a. 1558. ex ſcholaſtico factus Studioſus, Weckerum, Fueglinum, Huckelium, deinceps quoque Sebaſt. Caſtellionem, Cœl. Sec. Curionem, Vlr. Coccium alioſque profeſſores in linguis & philoſophicis diſciplinis audivit, quorum opera, ut & propria induſtria tantum profecit, ut 14. Apr. 1562. ab Vlr. Hugobaldo primæ Laureæ, & a Joh. Acronio Friſio 8. Cal. Febr. 1564. Magiſterii gradu, utrobique ordinis ſui primicerius, ornaretur. Optione tum a parente ei facta, cui ſtudio ſe vellet adſerere, Theologi-

cum sibi pro pietatis adfectu elegit, ac nomine eidem dato in Theologicis quidem præceptores nactus est Mart. Borrhaum & Sim. Sulcerum, in Hebraicis vero Sebast. Lepusculum, quibus ducibus, strenue eosdem sequendo brevi tempore adeo progressus est, ut post exhibitum concionis specimen a Sim. Sulcero Antistite in pagum ab Ottilia corrupte dictum *Tillicken* ad semimilliare a Basilea distantem, Marchioni Badensi parentem, 8. Id. Oct. a. 1564. pastor mitteretur, quo munere per biennium rite pieque est defunctus, donec supervenientibus aliis cum academicis tum ecclesiasticis muneribus, quibus omnibus gerendis per ætatem teneram non sufficiebat, sponte se eo abdicavit circa festum Nativ. a. 1566. etenim d. 8. Jan. 1565. Græcarum literarum in pædagogio professio pariterque inferioris collegii præpositura, nec non d. 25. Jun. 1566. Diaconatus Petrinus ei obtigerat; præposituram vero paulo post eam susceptam, nec non a. 1566. professionem, ecclesiasticis unice vacaturus, deposuit. Verum cum a. 1570. ipso nativitatis Christi festo pro concione paulo liberius, quam tum tempora ferebant, in sententiam de corporali Christi sub pane eucharistico præsentia invectus esset, Simone Sulcero urgente, causam coram Senatu jussus est dicere 30. Dec. 1570. & d. 4. Jan. 1571. atque tum ei silentium impositum. Cum deinceps nollet formulæ Concordiæ subscribere, Diaconatu jussus est abire, maluitque officio suo cedere ecclesiastico, quam a sana doctrina ab antecessoribus hausta vel latum unguem discedere. Itaque spontaneum velut exilium subiens in Galliam iter fecit 12. Cal. Dec. 1571. Cum autem d. 24. Aug. 1572. lanienа illa infamis Parisiensis, qua una nocte in hac urbe supra 10000. Protestantium contra fidem datam misere trucidati fuerant, incidisset, singulari Dei providentia & fide præsidiarii militis, *Johannis Pfaffii*, Lucisvallensis, ex ditione Basiliensi oriundi, periculum evasit, & d. 16. Sept. a. 1572. Basileam rediit. Hinc autem iter Genevam paranti senatus Mullhusinus ministri ecclesiæ functionem obtulit, quam ineunte a. 1573. auspicatus est & ad finem vitæ sanctissime obiit. Inter alia, quæ hic in ecclesiæ commoda instituit, refertur, quod primus festi nativitatis Christi publice celebrandi fuerit auctor. D. 20. Apr. a. 1573. matrimonium iniit cum *Maria Murer*. Febri tertianæ & doloribus colicis obnoxius,

Digitized by Google

obnoxius, aëris mutatione levamentum quæsivit, & Basileam migravit, ubi d. 21. Nov. 1576. fata complevit, annum ætatis 30. nondum adsecutus.

Scripsit ac edidit Tiguri a. 1574. 12. ib. 1575. 8. lingua germanica: *Solidam & planam declarationem doctrinæ de S. Cœna Domini, qua genuinus sensus confessionis Basil. in articulo de S. Cœna eruitur & vindicatur.* Exstat etiam in MS. *historia controversiarum, occasione concionis supra memoratæ, ortarum*, ab ipso Ertzbergero adornata a. 1571. 4. pagg. 336. germ.

VIII. MATTHAEUS MEYER, tam Latinorum auctorum quam Dialecticæ in pædagogio Professor, tertiam adhuc suscepit professionem obeundam, nempe Linguæ Græcæ, a. 1567. qua usque ad a. 1582. fuerat functus; nec legitur successorem habuisse, hancque professionem antè pædagogii in gymnasium translationem, a. 1589. factam, abrogatam fuisse videtur. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 6.

PROFESSORES RHETORICÆ ATQUE ORATORIÆ.

I. ALBANUS THORINUS, s. *Thorer*, Vitoduranus, qui a. 1516. studiorum causa Basileam profectus & a. 1522. Magister artium creatus fuit, ex schola Petrina, cui aliquandiu præfuerat, ad Academiam vocatus a. 1532. Rhetoricam atque Oratoriam simul professus est, donec a. 1535. Medicinam exculturus Galliam petiit; unde Basileam reversus a. 1537. professionem medicam obtinuit. V. Prof. Medic. Theor. n. 3.

Inter *Thorinum* & *Borrhaum* Vrstisius in Mf. ponit a. 1538. *Hermogenem*, & post hunc *Johannem Afinium*, Vrnensem, quem ait d. 5. Apr. 1540. munus adgressum & a. 1542. diem defunctum fuisse. Sed neutrum agnoscit archivum Academicum. Hoc habet Matricula philos. M. *Joh. Afinium* a. 1538. civibus acad. fuisse adscriptum, eumque d. 4. Jan. 1541. 5. Magistros creasse programma publ. probat.

II. MARTINUS BORRHAUS, Stutgardiensis, a. 1536. Rhetoricam atque Oratoriam publice docuit usque ad a. 1544.

Digitized by Google

a. 1544. cum ad Theologiam promotus fuit. V. Prof. V. T. n. 4.

III. JOHANNES HOSPINIANUS, germanice *Wirt*, natus eſt a. 1515. Lithopoli (Stein am Rhein) oppido Tigurino, a quo & *Steinanus* ſolet vocari. Bonis literis ſumma induſtria incubuit inprimis Tubingæ, ubi & Magiſterii dignitate fuit ornatus. Baſileam veniens a. 1543. in conſilium facultatis philoſophicæ receptus & a. 1544. Rhetoricæ atque Oratoriæ profeſſor conſtitutus fuit; in orationes Ciceronis h. 2. & in Rhetoricam Herennii h. 7. publice legit. In iſta autem ſtatione non niſi biennium complevit, a. 1546. ad profeſſionem Organicam translatus. Theologiæ etiam operam dedit, & concionando eccleſiæ prodeſſe ſtuduit. Animam efflavit d. 7. Jun. a. 1575. Filius ejus *Johannes* prima tyrocinii laurea coronatus fuit d. 6. Cal. Nov. 1560. Magiſter vero creatus a. 1563. d. 1. Febr.

Edidit *carmen panegyricum in D. Magnum ab Emershauſen*, & *aliquot epithalamia*. 1539. *Quæſtionum dialecticarum* l. 6. 1543. & 1557. 8. *Urbani Bellunenſis inſtitutionum Grammaticarum* l. 2. in Epitomen redactos, Baſil. 1546. 1566. 1580. 8. *De ſyllogiſmi categorici modis*. 1560. 8. *Epiſtolas duas ad fratrem Chriſtianum Hoſpin.* 1560. 8. *de modis Figurarum utilibus in Logica*, 1560. 8. *Ariſtotelis Organi correctionem* - - Gr. & Lat. 2. Vol. 1573. 8. *Controverſias Dialecticas*, a. 1576. Baſ. 1580. 8 *librum de quantitate ſyllabarum. Erotemata in aliquot Organi Ariſt. libros. Elogia de Euchariſtia.*

IV. COELIUS SECUNDUS CURIO, quem *Reuſnerus* de ſe ita loquentem inducit:

Cœlo mens affixa prius mea, nunc quoque cœlo
Vivit. Quam ſcite Cœlius *ecce vocor!*

initium hujus vitæ ſumſit 1. Maj. a. 1503. Cyriaci Taurinorum, quæ regio hodie Pedemontana adpellatur; pater ei fuit vir nobilis, *Jacobus Troterius Curio*, mater itidem nobiliſſima *Carlotta*, ex qua pater Curio vicenos ternoſque liberos ſuſcepit, ex quibus Cœlius noſter ultimus natu fuit. Pater cum majorem fortunarum partem Montecalerii haberet, & illic honoribus fungeretur,

Digitized by Google

retur, eo quoque Cœlium infantem deduxit, & uſque ad obitum ſuum educavit. Hunc filium parentes præ ceteris, binæ tantum filiæ & tres filii fuerant ſuperſtites, ardentiſſime dilexerunt, eique præter eam bonorum partem, quæ illi ex communi diviſione debebatur, domum paternam, quam illic habebant, cum quibuſdam prædiis ſuburbanis, ſacraque Biblia, auro atque coloribus interſtincta, inque nobiliſſima membrana deſcripta, teſtamento legarunt. Mortuis parentibus annum agebat fere nonum, & a domeſtico pædagogo primum inſtitutus, moxque ad publicos Grammaticos deductus, mirifice proficiebat. Majora dein moliturus Taurinum ſe contulit, ubi per aliquot annos apud *Magdalenam* proavam ſuam agens audivit *Georg. Cararam*, *Dominicum Machaneum* & *Joh. Bremium*, oratores, poëtas atque hiſtoricos præſtantiſſimos. Jus civile dein adtigit, interpretante id inter ceteros *Sphondrato* Mediolanenſi, qui poſtea in Cardinalium numerum fuit cooptatus. Variis rumoribus per Italiam de *Lutheri* atque *Zuinglii* nova falſaque, ut vocabatur, religione ſparſis, ille annum agens nondum viceſimum, veritatis ſtudio ductus, horum virorum libros, eos exactius exploraturus, comparavit varios; cumque Lutheri ſcripta *de indulgentiis & captivitate babylonica*, itemque Zuinglii librum *de falſa & vera religione*, cum aliis quibuſdam Melanchthonis operibus legiſſet, ita eſt illa admiratus, ut ſtatim decreverit, in Germaniam tranſire, cum ob purioris Theologiæ tum reliquarum politiorum literarum ſtudia. Itaque inito conſilio cum binis coætaneis, *Jacobo Cornello* & *Franciſco Guarino*, qui poſtea ambo celebres divini verbi miniſtri facti ſunt, inſtitutum iter per Salaſſorum regionem ingreditur. Vix viam ingreſſi, cum minus caute de rebus ad religionem pertinentibus diſputarent, re ad Bonifacium Eporediæ Epiſcopum & Cardinalem delata, omnes a Cardinalis ſatellitibus in cuſtodiam coniiciuntur. Curio per duos circiter menſes in arce Capriana detentus, intercedentibus amicis, quos in ea regione ex prima nobilitate habebat, tandem ſolutus fuit atque dimiſſus. Cardinalis vero inſignem juvenis eruditionem videns, poſtquam eum graviter increpavit, &, ne quidquam tale deinceps committat, ſevere admonuit, ſumtus illi ad continuanda ſtudia pollicetur, literiſque commendatitiis ad proximum S. Benigni cœnobium,

cœnobium, cujus administrationem a Leone X. iisdem fere diebus acceperat, dimittit. Hic cum magnum mortalium concursum ad sanctorum, quas venditabant, reliquias & nominatim calvariam atque alia ossa divi Agapeti atque Tyburti martyris, adoranda vidisset, ipse non nisi superstitionem esse cognoscens, non solum nullo pacto adsentiebatur, nec cultum illis exhibebat, sed & privatim plures dehortatus in fide evangelica erudiebat. In his erat *Martinus Salierius*, juvenis alioquin eruditus ac pius; hic peregre profectus, & *Melanchthonis locos communes* in sinu gestans, mox ante portam, qua flumen præterlabitur, in bestiam quandam, ut ille quidem narrabat, veluti draconem, flammas evomentem, incidit, a qua cum non quidem admodum læsus esset, sed vehementissime perterrefactus, ad vicinum monasterium Franciscanorum confugit, & omnem rem, uti evenerat, illis confitetur, cumque Franciscani in librum illum omnem causam rejecissent, eum ipsis comburendum tradidit & a doctrina, quam a Curione hauserat, discessit. Hinc novum Curioni imminebat periculum. Ipse vero technas Satanæ hæc explicans, non tantum non destitit, sed & audacius opus suscepit, & de aufferendis reliquiis consilium iniit. Observato igitur clavium, quo repositæ erant, loco, capsam ubi illæ super altari quodam reconditæ adservari solebant, clanculum aperit, clavibus in locum suum repositis, die commoda, qua ceteri omnes aliis rebus erant intenti, universas illas reliquias auffert & dissipat, earumque loco S. Biblia ex cœnobii bibliotheca substituit, hac inscriptione: *Hæc est arca fœderis, ex qua vera scisciteri oracula liceat, & in qua veræ sunt Sanctorum reliquiæ.* Atque hæc quidem tam caute prudenterque patravit, ut nemo claves loco suo motas suspicaretur. Verum cum postea die solenni reliquiarum fercula pompa essent ducenda, ipse Mediolanum auffugit, hincque Romam abiit, aliis quoque Italiæ urbibus lustratis. Hoc confecto itinere, Mediolanum iterum reversus est, ibique discendo docendoque aliquot annos transegit, ob eruditionem piosque mores singulis amatus atque æstimatus. Fame autem ob bellicos tumultus & ex hac orta gravissima pestilentia Mediolanensibus gravissime adflictis, ipse non modo egenos de suo pie & liberaliter sublevavit ære, verum etiam extra urbem variis in locis,

Digitized by Google

locis, quo cum nobiliſſima Iſaciorum familia ſeceſſerat, tantum valebat apud ſacerdotes auctoritate, ut cum nihil ſuppeteret, quod in pauperes diſtribueretur, bona eccleſiaſtica in pios hoſce uſus impenderentur, atque ne quidem templorum ornatui parceretur; ipſe interim ſecus, quam permittit Italorum genius, ægrotis præſens adſtitit, mortuos etiam, ſocio quodam ſtipatus, ſepeliit. Quam raræ virtutis indolem in adoleſcente admirati Iſacii, non dubitarunt, ex gente ſua ampliſſima uxorem ei conciliare, *Margaretham Blancam*, cum qua in tranquillum Italiæ locum, Caſalen, conceſſit, & aliquot annos ex voto ibi tranſegit. Sollicitatus autem ab amicis, ut in patriam rediret, quia mortuis omnibus fratribus atque ſororibus, excepta unica *Maria*, ingens ibi eum maneat hæreditas, eo profectus ab adfine atque ſorore, exiſtimantibus, eum nonniſi inviſendorum amicorum gratia veniſſe, peramanter fuit exceptus; ſed ex quo de familia erciſcunda quæſtio ipſis mota, amor verſus eſt in odium, idque vatinianum, quo eum uſque ad carceres & rogum ſunt perſecuti. Soror nempe hæc perfida falſo perſuadet fratri, imminere ei ex religione periculum, ut ſic ab hæreditatis paternæ petitione deterreret, & Montecalario alio migrare compelleret, quibus technis effecit, ut Ramoniſium, oppidum vicinum Sabaudicæ dominationi ſubjectum, ſeceſſeret, ibi commoraturus, donec ſiniſtris de ſe rumoribus oblivioni traditis, tuto in patriam remeare daretur. Invitatus aliquando in vicinum locum, monachum Dominicanum, Taurino forte illuc profectum, audivit concionantem, & in Lutherum graviter invehentem; in aliis hoc ei vitio dederat, *quod ſub ſpecioſo libertatis chriſtianæ titulo libidinum omnis generis impunitatem concedat*, doceatque, *Chriſtum nec Deum, nec ex Maria virgine natum eſſe.* Finita concione Cœlius a præfecto loci petit, ut ſibi dicere quædam publice liceat. Venia & ſilentio facile impetrato: *Grandia quædam*, inquit, *Lutheranis obieciſti, Domine Pater! ſed ubinam hoc Lutherus adſerit? velim mihi librum locumque oſtendi, ubi hoc doceat.* Monachus dixit, ſibi quidem extemplo id monſtrare non licere, Taurini autem ſe ipſi hæc & his deteriora demonſtraturum. Ad hæc Cœlius: *Ego vero contrarium ſtatim ex ſcriptis Lutheri docebo*, & productis Lutheri in epiſtolam ad Galatas commentariis,

multa

multa populo legit, cum dictis Monachi e diametro pugnantia. Nobiles & populus univerſus effrenam mentiendi libidinem indignati, impetum in monachum faciunt, cæduntque atrociter, ut, niſi interceſſiſſet præfecti auctoritas, vivus Taurinum non rediiſſet. Protinus autem Monachus Taurinum reverſus rem ad Inquiſitorem nec non ad Epiſcopum defert, a quo ſatellites mittuntur, qui Curionem in vincula conjectum Taurinum abducunt. Examini ſubiicitur, quæſtiones de tentato olim in Germaniam itinere proponuntur, reliquiæ ex cœnobio S. Benigni ablatæ urgentur, hæreſeos accuſatur, omnia ignem flammaſque minitabantur; ſed Curio magno & intrepido animo carceris ſqualores perfert & imminentis lethi atrocitatem aſpernatur, ratus, Deo conſiſum non iri confuſum. Interim Aventinus epiſcopus ad evitandum nobilium Curioni impenſe faventium odium Romam profectus eſt, ut quicquid ipſo abſente ſupplicii in captivum ſtatueretur, juſſu & auctoritate Pontificis R. ſtatutum videri poſſit. Cœlii ergo cuſtodia Davidi cuidam Cibonis Cardinalis fratri committitur, qui ipſum ex priſtino carcere eductum in arctiorem cuſtodiam conjecit, injectis utrique pedi vinculis ligneis, magnitudine pene incredibili, binis etiam cuſtodibus adpoſitis. Poſtera die Curio animadvertens, ſe in ea domo adſervari, in qua olim puer vixerat, recordatus quoque ſingularum domus partium ſitum, de liberatione ſui cogitare incepit, quæ ei hoc modo feliciter ſucceſſit: Cum pedes ambo ex compedibus intumuiſſent, rogavit cuſtodes, ut alterum pedem ei liberum relinquant, quo, eo curato, alterum quoque liberare & ſanare poſſet. Beneficio iſto impetrato, caligam pedis liberi extraxit, eamque pannis linteis infarſit, arundinem etiam ſub ſcamno latentem fictæ tibiæ inſeruit, ut eam movere potuerit haud ſecus, ac ſi natura moveretur. Adjuvabat inſtitutum veſtis hiſpanica villoſa, ad talos demiſſa, qua artificium tegebatur. Hoc peracto rogat, ut iterum liceat pedem mutare & alterum liberare, ſanato vinculis conſtringendo. Eximitur itaque pes verus, & immittitur fictus, jamque ſic utroque pede liber, nocte intempeſta, cuſtodibus profundo ſomno ſepultis, cuſtodiæ oſtium, quod negligentius erat occluſum, quoniam vinculis conſtrictus credebatur, aperit, per gradus deſcendit, & cum infimam portam

ſera

ſera munitam deprehendiſſet, ex feneſtra cochlii per duodeviginti circiter pedes, prius pallium, ut in id caderet, mox ſeipſum deorſum dedit & decumana prætorii porta ferreo vecte & clave exitum prohibente, non ſine extremo vitæ periculo per murum, quem ſcandit & ex quo ſeſe demiſit, evaſit. Cuſtodes mane compedes integras & obſeratas cernentes, artibus magicis evaſiſſe adſeruerunt. Curio vero ſtatim conſcripſit libellum feſtivum, cui dialogi formam, *Probique* nomen dedit, in quo rem, ut a ſe geſta erat, deſcripſit. Interim de bonis & univerſa re familiari actum erat, neque enim in patriam ſpes erat unquam redeundi; profectus ergo eſt in quendam Italiæ angulum, ubi ſe latitare poſſe credebat; agnitus tamen a quibuſdam principibus Mediolanenſibus & Papienſibus, in Papienſem academiam protractus, ibique profeſſor publicus deſignatus eſt. Tantæ autem fuit æſtimationis & auctoritatis, ut Inquiſitores etſi in mandatis haberent, eum captivitati & inquiſitioni addicere, non tamen auderent, quicquam in eum durius ſtatuere, ſtudioſis magno numero eum domo ſua in academiam deducentibus, & exinde domum reducentibus. Pontifice tandem Romano ſub anathematis pœna iis injungente, ut ipſe caperetur, ſubmonitus ab amicis Venetias proficiſcitur. Cum ne ibi quidem tutus eſſet, Ferrariam contendit, cum Renata Ludovici XII. Galliarum regis filia, Ducis Ferrarienſis uxore, de rebus ſuis conſilium initurus, quæ ipſum ad Lucenſes in Hetruriam amandat, ubi honorifice exceptus, & academiæ illius profeſſor dictus eſt. Sed vix per annum ſartus tectuſque manſit, literis Pontificis eum Romam depoſcentibus. In Germaniam itaque abiit, Tigurinis atque Bernenſibus a modo laudata duce Renata commendatus, a quibus poſterioribus Lauſannenſis ſcholæ Rector fuit conſtitutus, quo in munere per quadriennium ſummo juventutis emolumento eſt verſatus. Cum autem in Italiam, adducturus uxorem & liberos, quos 7. habebat, rediret, nec tamen in Lucenſem urbem, ubi illos reliquerat, auderet ingredi, ſed in vicino oppido, cui Peſſa nomen eſt, ſubſiſtens exſpectaret, iterum innotuit, cumque inermis, nec quidquam tale exſpectans, prandium ſumeret, adeſt ex improviſo præfectus inquiſitorum, quem *Bariſellum* Itali nuncupant, cum lictoribus: quibus ante portam diſpoſitis, ipſe cœ-

naculum, in quo ſolus prandebat, ingreſſus: *Dabis*, inquit, *te captivum, ſummi Pontificis nomine, in meam poteſtatem.* Cœlius cum & ipſum coram videret, & lictores reliquos juxta gradus portam obſervare cerneret, nec ſupereſſe ullam evadendi rationem, ſurgit e menſa, & ſe in ejus poteſtatem daturus, obviam procedit: cultellum tamen, quo cibum ſecando præparabat, forte manu retinet. Hic Bariſellus ſubito, cum & grandi corpore virum ſibi obviam procedere, eundemque cultrum manu tenere videret, metu concidit. Cœlius exit e cœnaculo, deſcendit, per medios lictores tranſit, ſalutat, non agnoſcitur, ingreditur ſtabulum, equum conſcendit, auffugit. Cumque ipſi poſtea, agnito eo, quod factum eſſet, canibus equiſque velocibus inſequerentur, ſubito adeo gravis oborta fuit tempeſtas, ut ab inſtituto diſcedere cogerentur. Sic iterum e mortis faucibus evaſit & Lauſannæ ſalvus advenit. Relicta autem hac ſchola Vniverſitatem Baſilienſem a. 1546. petiit, ulterius perrecturus, niſi eum Martinus Borrhaus, Theologus, Academiæ tum Rector, nec non Hieron. Frobenius, Nicol. Epiſcopius & Mich. Iſengrinius, typographi, quibus viri eruditio nota erat, rogando retinuiſſent. Vacua tum erat cathedra Rhetoricæ atque Oratoriæ, quæ academiæ procerum ſuffragiis ei oblata atque ab eo accepta fuit; quo autem hoc munere ſecundum leges rite fungeretur, d. 6. Id. Febr. 1548. cum Thoma Grynæo, Adamo Bodenſtein, & Matthæo Erythronaco publice Artium Magiſter fuit creatus, & quidem ſedendo gradum accepit, eodem plane modo, quo Bucerus in Anglia ultimo ætatis ſuæ anno Cantabrigiæ promotus eſt; quod iis ſolum conceditur, qui ætate & eruditione inſigniter excellunt. Eodem anno 1548. Rhetorica ei remiſſa & Pantaleoni data fuit, a quo tempore, Rhetorica & Oratoria olim junctæ, ad noſtra tempora ſeparatæ manſerunt. Quanta fide atque induſtria, quanto auditorum confluxu, adplauſu atque commodo Oratoriam profeſſionem adminiſtraverit, dici vix poteſt; ſcripta autem publica, quæ poſtea adferemus, perennia eruditionis ipſius ſingularis manebunt teſtimonia. Vnicum exemplum ſtudii ipſum audiendi adtuliſſe ſufficiet, nempe magnifici domini *Johannis Kiskæ* Palatini Viteblienſis illuſtriſſimi principis filii, qui ex ultimis Lituaniæ terris cum magna nobilium caterva Baſileam unice hoc ſcopo venit,

Digitized by Google

venit, ut desiderium Cœlii nostri audiendi atque videndi expleret. Summi etiam orbis principes maximis propositis stipendiis illum ad se pertrahere, scholisque suis præficere studuerunt. Ipse Pontifex R. mandavit Episcopo Taracino, cui cum Cardinali Caraffa per Basileam erat transeundum, ut cum Curione de reditu in Italiam & quidem Romam, quo ejus in scribendo opera uteretur, paciscereturque, ipsique promitteret, dummodo deinceps de religione non disputaret, impunitatem, maximum stipendium, & filiabus ejus dotes amplissimas. Quod cum Sabaudiæ dux audiisset, ipse quoque ei non minora quam Pontifex proposuit, si modo in Taurinensem academiam rediret. Sed ab utroque accipiendo deterruerunt eum vestigia. Maximilianus etiam Imperator, qui filii ejus Horatii opera utebatur, parentem quoque ad se pertrahere, & Viennensi academiæ præficere voluit. Vaivoda Transylvaniæ rex, cum in Alba Julia scholam erigeret, patri Curioni sexcentos & filio Augustino trecentos thaleros in singulos annos offerebat, si professionem acciperent; sed neutri paruerunt, & Basileæ, ubi jure civitatis donati fuere, substiterunt. Augustinus vero, patris in cathedra Rhetorica successor, jam d. 24. Oct. a. 1566. animam efflavit, cui illacrymans pater dixit: *Oculos tibi claudo fili, quos tu, si mihi superfuisses, parvo post tempore clausisses.* Hæc patris mors paulo post obtigit 8. Cal. Dec. 1569. Uxor autem eum est secuta d. 12. Maj. 1587. æt. 78. Ex filiis C. S. Curionis *Horatius* natus erat a. 1534. Casali, Med. Doct. & Maximiliani II. consiliarius, in itinere ad Imperatorem Turcarum obiit d. 15. Febr. 1564. *Leo*, natus a. 1536. peragratis fere omnibus Europæ regionibus, mercator vita excessit Basileæ d. 6. Oct. 1601. de *Augustino* infra dicetur. Filia erudita, *Angela*, quæ germanicam, latinam, italicam & gallicam linguam callebat, patremque prælegendo, manu scriptos codices conferendo, aliisque modis multum adjuvit, vitam finivit a. 1584. Bibliothecam C. S. Curionis emit dux Brunsvico Luneburgensis.

Scripta edita C. S. Curionis hæc fere sunt: *Schola s. de perfecto Grammatico* l. 3. it. *de liberis honeste & pie educandis* libellus; nec non de *grammatica latina* l. 6. & *Sulpitii carmen de moribus & civilitate puerorum*, Bas. 1555. 8. *de litteris doctrinaque puerili & ratione docendi grammaticam*, ib.

1546. 8. *Forum Romanum* Basil. 1544. fol. ib. 1561. T. 3. fol. ib. 1576. fol. Argent. 1604. fol. auctius. *Nizolius* s. *thesaurus Ciceronianus* a C. S. Curione auctus, Bas. 1548. fol. ib. 1563. f. ex offic. Aldina 1570, f. Bas. 1576. auctior per Marcell. Squarcialupum ib. 1583. f. auctus per Jac. Cellarium Lugd. 1582. f. ib. 1584. f. & 1588. f. Bas. 1595. & 1613. f. Franc. 1613 f. Venet. 1617. f. *Logices elementorum* l. 4. quibus ad Aristotelis organum aditus aperitur, Bas. 1567. 8. *Perionii dialecticam commentario illustravit & edidit* ib. 1549. 8. *ejusdemque epitomen* ib. eod. 8. *de omni artificio differendi atque tractandi summa, cum oratoriis exercitamentis & juvenilibus quibusdam carminibus*, Bas. 1547. 8. *Orationes*, ib. 1544. 8. *Selectarum epistolarum l. 2. & orationes*, ib. 1553. 8 *epistolæ*, Bas. 8. *præfatio* in Olympiæ Fulviæ Moratæ epistolas, 1552. in ejus opuscula omnia, Bas. 1558. 8. ib. 1562. 8. ib. 1570. 8. nec non in ejus orationes &c. ib. 1562. 8. in ejus opera omnia, ib. 1564. 1570. 1572. 1580. *Encomium nucis.* Dialogus *Probus*, is insertus etiam legitur in Schelhornii Amœn. Hist eccles & literar. T. 1. p. 759—766. *De historia legenda sententia ad Basil. Amerbachium*, exstat Tomo 2. penus artis hist. Bas. 1579. 8. p. 599. *De bello melitensi historia nova*, Bas. 1567. 8. Franc. 1568. 8. ib. 1596. f. it. germ. per Hier. Halvecium, Bas. 1567. 8. insertus est hicce libellus *Grævii* thesauro Antiqq. Italiæ. In Livium edidit *notas & præfationem de mensuris, ponderibus reque nummaria Romanorum & Græcorum*, Bas. 1549. f. liber de ponderibus &c. seorsim prodiit Franc. 1588. & 1628. Lutet. 1552. f. Bas. 1554. 8. & 1555. f. Quædam *Appiani Alex.* interpretatus est, & in ejus opera *præfationem* scripsit de vita Sigismundi Gelenii, Bas. 1544. f. ib. 1554. f. Lugd. 1576. 1588. 12. Ad Sabellici opera *supplementa* fecit ac edidit Bas. 1560. f. T. 4. V. 3. *Franc. Guicciardini historiarum sui temporis* l. 20. ex italico in latinum convertit Bas. 1566. f. & 1567. 8. V. 3. Historiam *Franc. Spieræ*, qui, quod susceptam semel evangelicæ veritatis professionem abnegasset damnassetque, in horrendam incidit desperationem, ex italico latinam fecit; cui quoque accessit Martini Borrhai de usu, quem Spieræ tum exemplum tum doctrina adferat, judicium, Bas. 1549. 1550. 8. Amberg. 1608. 12. Lipsi. 1729. 12. *Commentarius in Ciceronis Brutum*, Bas. 1564. 8. *in Ciceronis oratorias partitiones explicationum* l. 3. ib. 1556. 8. Franc. 1567. 8. *In Ciceronis Topica commentarius*, Bas. 1553. 8. *Omnes Ciceronis orationes* edidit Bas. 1562. 8. V. 3. *Orationes Ciceronis Philippicas* edidit cum notis Bas. 1551. f. una cum 4. orationibus ex Dione, quas vertit in lat. & explicuit, recusæ sunt ib. 1564. f. Varia ex ore C. S. Curionis in Ciceronem commentantis excepta continentur in Tomo 1. enarrationum in Orat. Cic. Bas. edit. p. 90—99.

728

728—739. 1554—88. 1762—1824. 2050—67. 2112—32. *Scholia in Juvenalem & Perſium*, Baſ. 1551. f. Notæ in Sat. Juven. Pariſ. 1603. Lutet. 1602. 1613. 4. Lugd. Bat. 1695. 4. ſed non integræ. *Caſtigationes in Senecæ opera*, Baſ. 1557. f. & Pariſ. f. *Hermogenis Rhetoricam* e græco in lat. convertit. *Chriſtianæ religionis inſtitutio brevis & dilucida*: itemque *epiſtola de pueris ſanctè chriſtianeque educandis*, Baſ. 1549. 8. *Araneus ſ. de providentia Dei: de animarum immortalitate: de liberis pie educandis: paraphraſis in principium Evangelii S. Johannis: paradoxa chriſtiana: adhortatio ad veram religionem*, Baſ. 1540. 8. ib. 1544. 8. ib. 1571. 8. *De amplitudine regni cœleſtis* l. 2. adverſus *Petr. Paul. Vergerium* apologia, qua numerum electorum ſ. ſalvandorum in regno cœleſti multo majorem futurum quam reproborum, & Judæos hodiernos omnes ante extremum judicii diem ad veram Chriſti Meſſiæ agnitionem ac fidem eſſe congregandos ex S. Scripturæ & Patrum recentiorumque Theologorum ſcriptis demonſtratur, Baſ. 1554. 8. Goudæ 1614. 8. Franc. 1617. 12. inſerta ea etiam eſt Amœnitatibus litterar. Francof. 1730. Vol. 12. mo. p. 600. it. *Reſponſio brevis* &c. eodem tendens, germ. ibid. p. 612. *Oratio pro vera & antiqua eccleſiæ Chriſti auctoritate adverſus Ant. Florebellum*, Baſ. 1546. 8. *De corrupto eccleſiæ ſtatu. Paſquillorum* T. 2. Eleutheropoli 1544. 8. edidit cum præfatione. *Paſquilli Extatici* ſ. nuper e cœlo reverſi de rebus partim ſuperis &c. cum Marphorio colloquium, Baſ. 8. ſine anno; it. in T. 2. Paſquillor. p. 427. 529. Genev. 1544. 8. Placent. 1545. 8. it. cum *quæſtionibus Paſquilli in futuro Concilio a Paulo III. Pontif. indicto diſputandis*, ſine anno & loco, liber rariſſ. 8. it. Genev. 1667. 12. cui acceſſit *Paſquillus Theologaſter*; hic etiam exſtat in Paſquillor. T. 2. n. 13. *Paſquilli Exſt. Paſquinus captivus*, *dialogus Probus*, *Sfortia Corœbus*, *Creuſa*, *Æneas*, *Proceſſus adverſus Paſquillum*, *Quæſtiones Paſquilli in futuro Concilio a Paulo III. indicto diſputandæ*. Omnia auctiora & emendatiora, ſine loco & anno, 8. it. germanice ſub titulo: *Der verzuckte Paſquinus, aus welſcher Spracb inn das Teutſch gebracht 1545. gedruckt zu Rom auf anhalten Maiſter Paſquini. Paſquillus ecſtaticus* in linguam italicam converſus prodiit Romæ, 8. in linguam gallicam converſus, 1547. 8. C. S. Curionis opuſcula, Baſil. 1544. 8. In aulica vita & oppoſita huic vita privata edita Franc. 1578. 8. etiam quædam occurrunt C. S. Curionis. *Honorii Traumanni ad milites pro tuenda libertate Germaniæ orationem* ex germanica lingua in italicam translatam C. S. Curio hinc in latinum convertit, Baſ. 4. it. *Bernh. Ochini ſermones aliquot* ex italico in latinum transtulit. *In Plautum* C. S. Curionis exſtant commentationes in libro, cui titulus: *Eruditorum aliquot virorum de comœdia & comicis verſibus com-*

mentationes, Baſ. 1568. 8. Emendationes in *Ariſtotelem* atque *Iſidorum*. *De republica chriſtiana; Italiæ querimonia; Encomium ſcribarum; encomium ejus, qui pro patria occubuit; Jo Cheki*, Angli, *de pronunciatione græca potiſſimum linguæ diſputationes cum Stephano Wintonenſi Epiſcopo, ſeptem contrariis epiſtolis comprehenſæ*, Baſ. 1555. 8. *Guil. Budæi opera omnia, cum ampla Curionis præfatione*. Baſil. 1557. fol. 4. Voll. Quatuor ejus epiſtolæ hactenus ineditæ leguntur in Muſ. Helv. P. 28 p. 559. & ſeq. Nonnulla etiam occurrunt C. S. Curionis in Bibl. Acad. Baſil. MS. quæ lucem nunquam viderunt.

PROFESSORES RHETORICÆ.

I. HENRICUS PANTALEON, S. Theol. Licent. Artium & Medic. Doct. Comes Palatinus, & Linguæ Lat. in pædagogio Profeſſor, in Rhetorica publice docenda Cœl. Sec. Curioni ſucceſſit a. 1548. & perrexit ad a. 1551. quo iſtud officii depoſuit. V. Prof. pædag. Cl. I. n. 2.

II. JOHANNES NISÆUS, Auguſtanus, in pædagogio Poëtices profeſſor, in Academia cathedram Rhetoricam obtinuit a. 1551. in eaque reſedit ad a. 1557. ad Phyſicam promotus. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 2.

III. JOHANNES FUEGLINUS, Poëtices in pædagogio profeſſor, Rhetoricam profeſſionem accepit anno 1557. eamque obiit ad a. 1564. cum ad docendam Logicam fuit vocatus. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 3.

IV. AUGUSTINUS CURIO, tertius *Cælii Secundi Curionis & Margarethæ Blancæ Iſaciæ* filius, natus fuit Salis, oppido Inſubriæ, a. 1538. Studiis conſecratus, fratremque *Horatium* æmulatus, eos fecit in Italia ſtudiorum profectus, ut non modo academiæ Baſil. anno 1553. adſcribi meruerit, ſed in ipſo quoque ætatis flore inclareſcere cœperit. Hinc factum, ut Academiæ Baſil. proceres a. 1564. profeſſionem Rhetorices ei deſtinaverint, quam breviſſime ſed laudabiliter adminiſtravit. Humanis fuit ereptus d. 24. Oct. 1566.

Scripſit *hiſtoriæ Saracenicæ* l. 3. & *Morocbenſis regni deſcriptionem*, Baſ. 1567. fol. & 1568. 8. Francof. 1596. f. Germa-

Germanice etiam prodiit Baſ. 1564. f. 1580. f. & 1596. f. *Hieroglyphicorum* l. 2. *Joh. Pierii hieroglyphicis* additos, Baſ. 1567. & 1575. fol. Lugd. 1579. fol. it. Francof. 1614. 4. Lugd. 1626. T. 2. fol. Col. 1631. 4. Franc. 1678. 4. In compendium eos redegit M. *Henr. Schwalenberg*, *cujus apboriſmorum Hieroglyph. libellus* prodiit Lipſ. 1592. 8. ib. 1606. *de ratione conſequendi ſtili*, ſ. *de Imitatione*. 8. *P. Bembi* opera in unum corpus collecta edidit Baſ. 1567. 8. *de vita obituque quatuor ſororum* l. 1.

V. JOHANNES BAUHIN, Med. Doct. patrem coluit *Johannem Bauhin*, Ambianum, Medicum & Chirurgum, civem Baſilienſem factum, matrem vero *Johannam Fontaneam*; fratrem dilexit *Caſparem*, Med. Doct. & Prof. Baſil. de quo plura ſuo loco. Johannes noſter Philoſophiæ ac Medicinæ diligenter operam dedit, & a. 1566. Baſileæ cathedram Rhetoricam meruit. Cum autem quadriennium in Rhetorica docenda poſuiſſet, ab Vlrico duce Wurtembergico Mompelgardum fuit vocatus, ut officium Archiatri atque Phyſici ſuſtineret, idque per quadraginta annos & plures laudabiliter præſtitit. Mortuus eſt ibi a. 1613. cum uxore, *Dionyſia Bernhard*, Lugdunenſi; relictis aliquot filiabus.

Scripta ejus ſunt: *De plantis a Divis Sanctiſque nomen habentibus*. Additæ ſunt *Conr. Geſneri epiſtolæ* hactenus non editæ, Baſ. 1591. 8. Arnſtat. 1703. *Hiſtoria luporum aliquot rabidorum*, qui circa a. 1590. apud Mompelgardum & Befortum graſſati ſunt; prodiit etiam gallice, ib. eod. additis *medicamentis contra morſus ab animalibus rabidis* factos. Montbg. 1591. 8 *De plantis, Abſinthii nomen* habentibus, ib. 1593. 8. *Hiſtoria fontis & balnei Bollenſis*. ib. 1598. 4. Montb. 1600. 4. & germ. converſ. per *Dav. Foerter*. Stutgard. 1602. 4. *De aquis medicatis* l. 4. Montbg. 1605. 4. 1607. 1612. 4. *De auxiliis adverſus peſtem*, germ. ib. 1607. 8. Joh. Bauh. & Joh. Henr. Cherleri *hiſtoriæ plantarum prodromus*, Ebrod. 1619. 4. *Hiſtoria plantarum univerſalis* - - 3. T. fol. Ebrod. 1651. c. f. editionem curavit D. a *Graffenried*, qui in eam 40000. florenorum impendiſſe dicitur.

VI. JOH. THOMAS FREY, ſ. *Freigius*, in lucem editus eſt a. 1543. Friburgi Briſgoiæ, patre *Nicolao Freigio*, qui ex ruſtico pagi Durlacenſis, Schalbach, J. V. D. & ſenator Vlmenſis factus, Vlmæ diem obiit anno 1550., matre *Vrſula Armbruſter*. Literas amavit a te-

neris unguiculis & impenſe coluit. Audivit in academia Friburgenſi *Vlricum Zaſium* in ſtudio Juris & *Henr. Glareanum* in linguis; nec non a. 1568. Baſileæ in philoſophia *Petrum Ramum*, Gallum. Horum trium virorum celeberrimorum veſtigia per multos annos religioſe & feliciter eſt ſecutus. Publice docendi initium fecit Friburgi, dein Baſileæ, ubi a. 1570. Joh. Bauhino in Rhetorica docenda ſucceſſit, poſtquam antea, nempe d. 3. Aug. 1568. ab Adamo Henric-Petri J. U. D. fuit creatus. Sed eodem, quo profeſſionem Rhetoricam adiit, anno, 1570. Baſileam reliquit, & Friburgum reverſus profeſſorem Ethices egit. Cum autem Logicæ Rameæ nimis eſſet addictus, inde dimiſſus iterum Baſileam venit a. 1576. Hic privatam vitam egit & a muſis alienior ruri, juxta tamen operas typographicas, otio & pietati litavit, donec a Magiſtratu Norimbergenſi, ſuaſore *Hieron. Wolffio*, ad rectoratum ſcholæ Altorffinæ fuit vocatus, quem magiſtratum iniit d. 30. Nov. a. 1576. in hoc munere hiſtoricos, poëtas, inſtitutiones Juſtinianeas & alia magna fide atque induſtria explicuit. In hac palæſtra literaria ſudavit ad an. 1582. quo cum 5. liberis Baſileam rediit. Sequenti vero anno tribus liberis peſte amiſſis, ipſe eadem lue corripitur, & referente *Baſil. Amerbachio*, intra 24. horarum ſpatium d. 16. Jan. a. 1583. animam Deo reddidit, duobus filiis eodem fato intra octiduum patrem inſecutis.

Scripſit ediditque varia. *Schematiſmos Logicæ*, *Grammaticæ & Rhetoricæ*, Baſ. 1568. 8. *Paraleipomena in hiſtoriam Æmilii & Ferroni*, ib. 1569. fol. & germ. 1574. *Comment. in ep. ad Romanos*, ib. 1575. *Tabulas perpetuas in* VII. *artes liberales Rami* ib. 1576. fol. Εὐχαριστικὸν *ad civitatem & academiam Baſil.* cum Altorfum peteret, menſe Oct. 1576. 4. *Rectoratum Gymnaſii Altorfiani*. Norib. 1577. 4. *hiſtoriam de bello Africano*, 1578. Norib. 1580. *Synopſin hiſtoriæ*, Baſ 1580. 8. *Moſaicum* ſ. *hiſtoriam eccleſ.* ib. 1583. 8. *Quæſtiones logicas, ethicas & politicas*, ibid. 1584. 8. *librum Triſtium; Orationes* VIII. ſubjunctas *J. C. Scaligeri Epiſtolis* &c. Hanov. 1603. 12. *Orationes varias; Grammaticam græcam; Partitiones juris utriuſque*, Baſ 1571. fol. *Methodicam actionis juris repetitionem*, Baſil. 1569. 8. *Commentarium in Pandectas juris civilis a Zaſio tractatas*, ſ. *Zaſium Freigii*, Baſ. 1570. fol. *Partitiones feudales*, ibid. 1581. fol. *quæſtiones in Inſtitutiones Juſtin.*

Baſ.

Digitized by Google

Baſ. 1578. 1583. 1597. *de gradibus conſanguinitatis & affinitatis*, Baſ. 1583. 8. *Paratitla* ſ. *ſynopſin pandectarum*, ib. 1583. 8. 1631. de *Judiciis & Conſanguinitate*, ibid. 1583. 8. *Ideam boni & perfecti Jurisconſulti*, Heidelb. 1587. 8. Spir. 1588. 8. *Logicam Jureconſultorum*, Baſil. 1582. 1587. 8. *Quæſtionum phyſic. libb.* 36. Baſil. 1579. 1585. 8. *Quæſtiones geometricas & ſtereometricas*, Baſ. 1583. *Quæſtiones œconomicas & politicas*, Baſ. 1581. 8. *Vita Rami* prodiit per Jo. Th. Freigium, Baſ. 1575. 4. 1580. 8. *hiſtoricam narrationem* Mart. Forbiſſeri, *angli*, *de navigatione in occidentis & ſeptentrionis regiones latine redditam*, Norib 1580. 8. Hamb. 1675. 4. *Pædagogum Ciceronis*, Baſ. 1582. 8. *Jo. Lud. Vivis Colloquia cum notis* Jo. Th Freigii, Norib. 1686. 8. *Commentarium in Horatii Lyrica*, Baſ. 1580. *in Ejuſdem artem poëticam*, ibid. *Comment. in Ciceronis orationes omnes*, Francof. 1592. 8. *in aliquot Ciceronis orationes*, Baſ. 1594.

VII. ERASMUS OSWALDUS SCHRECKENFUCHS in comitatu Merckenſteinio Auſtriacæ ditionis ortus a. 1511. atque in ludo patrio literis mediocriter tinctus, exinde ad varias Germaniæ academias ſeſe contulit. Inprimis vero Ingolſtadii, Lipſiæ & Baſileæ, ubi *Seb. Munſterum* hebræa docentem frequentavit, cœptam ſtudiorum telam gnaviter pertexere anniſus eſt. Iſtis in locis cum ingenium ſatis excoluiſſet, Memmingam venit, atque ibi magiſtratus juſſu ludum aliquandiu moderatus eſt. Poſtea Tubingam abiit, ubi teſtimonio profectuum philoſophicorum ornatus, ſtipendio principis hebræas literas magna cum laude publice enarravit. Hinc a. 1541. Friburgum Briſgoiæ vocatus mathematicas ſcientias una cum lingua hebraica docuit. Deinceps Baſileam repetens a. 1570. profeſſor Rhetoricæ fuit conſtitutus, quam cathedram ornavit ad a. 1576. quo iterum Friburgum contendit, ubi & a. 1579. naturæ debitum perſolvit.

Edidit *Ptolomæi Magnæ conſtructionis libb.* cum aliis ejuſdem, Baſ. 1551. fol. Ejuſdem *Quadripertiti* libros duos poſteriores latinos fecit; *Procli de Sphæra* libellum edidit cum ſcholiis ſuis, Baſ. 1561. 8. *commentarium in ſphæram, primum mobile & theoriam planetarum*, Baſ. 1567. *N. T.* primus *in linguam hebræam* tranſtulit. *Paraphraſin in Canticum Cant. & Eccleſiaſten*, cui addita eſt oratio funebris hebraica in obitum *Seb. Munſteri*, Baſ. 1553. 8. In latinum tranſtulit *R. Abraham Cai* l. *de ſphæra & arithmeticam R. Eliæ*, Baſ. 1546. *Commentarium* ſcripſit *in ſphæram Jo-*

bannis de Sacrobuſto, Baſ. 1569. *Opus gentium calendaria monſtrans*, edidit ejus filius, *Laurentius Schreckenfuchſius*, Mathem. Prof. Friburg. Baſil. 1576. fol. reliquit ille & in *almageſtum Ptolomæi* annotationes.

VIII. SAMUEL HOLZACH, profeſſor Poëticæ in pædagogio, ad hanc profeſſionem tranſitum fecit an. 1576. eamque adminiſtravit, donec a. 1589. ad profeſſionem Linguæ Græcæ transferretur. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 5.

IX. FRIDERICUS CASTELLIO, *Sebaſtiani Caſtellionis*, Linguæ Græcæ profeſſoris, filius, civis hujus mundi factus eſt a. 1562. Patris inſtitutione frui quidem ipſi non licuit, eo jam a. 1563. defuncto, ſed patris imaginem ſibi conſtanter propoſitam diligenter exprimere ſtuduit, & in humaniores præſertim literas operam inſumſit. A. 1580. ad lectiones philoſophorum publicas audiendas admiſſus philoſophiæ & philologiæ indefeſſus ſtuduit, Lauream primam a. 1582. ſecundam autem a. 1588. prius non petitam, obtinuit. Theologiæ etiam operam dedit, fauſtoſque & in ea fecit progreſſus, non ſolum muſici, poëtæ, oratoris, philologi ſed & theologi pii titulum meritus. Paſtoris Huningani ordinarias, nec non vicarias paſtoris Muttecenſis, *J. Conr. Holzingeri*, vices geſſit ſedulus, donec an. 1589. cathedra Rhetorica ei fuit commiſſa; hoc munere non minori diligentia functus eſt ad annum uſque 1595. quo profeſſio Oratoriæ ſ. Eloquentiæ ei fuit tradita, hanc retinuit & diligenter adminiſtravit, donec priſtinam Rhetoricæ profeſſionem d. 18. Dec. 1610. repetiit, in qua obeunda d. 16. Maji a. 1613. ex caſu epileptico, vel, ut alii tradunt, catarrho apoplectico, vita fuit privatus; relictis uxore atque filio unico.

Edidit Genevæ diſſ. *de Categorematis* Oct. 11. 1596.

X. JACOBUS HENRIC-PETRI unicus exſtitit *Adami Henrici Petri*, J. V. D. & Codicis Juſtin. Prof. & *Catharinæ Richer*, filius, natuſque d. 26. Dec. 1570. Ingenium pueri, ad magna nati, diligens parentum magiſtrorumque cura ſuſcepit; primis literarum elementis imbutus, & deinceps in gremium academiæ cooptatus, ad

ad exteras Germaniæ & Italiæ academias eſt amandatus. Inprimis Altorffii ſubſtitit & ſtudio Juris diligenter vacavit, ut d. 15. Aug. a. 1592. multo ſuo merito Baſileæ J. V. D. proclamaretur. Placuit dein Academiæ, ejus operam ſibi depoſcere, eique Rhetorices profeſſionem, ad quam ob inſitam facundiam natus videbatur, 4. Id. Jan. 1595. conferre, cui ad annum uſque 1610. ſingulari, qua pollebat dexteritate, præfuit. Interea praxi Juris ſe totum tradidit, ut ad eum tanquam oraculum aliquod undiquaque in rebus arduis & dubiis multus eſſet clientum concurſus, qui eorundem patrocinium lætus ſuſcepit & pro cauſæ qualitate feliciter obivit. Conſulebant eum non modo cives ſed & exteri magno numero, magnique nominis viri, nobiles, barones, comites, principes, quibus ſingulis reſponſa dabat atque conſilia optima, unde longe lateque prudentiæ & eruditionis ipſius fama fuit diſperſa. Cum autem inter hæredes *Petrinos* atque *Ryffios* lis aliqua fuiſſet oborta, cujus cauſæ ipſe actor fuerat, Petrinique cauſa ſua coram judice legitimo, qui academiæ erat Conſiſtorium, cecidiſſent, ipſeque ad forum politicum contra fidem academiæ datam provocaſſet & graves in academiæ judices calumnias conjeciſſet, primum d. 29. Mart. anno 1599. a munere profeſſorio obeundo, dato ei vicario *Friderico Ryhinero*, ceſſare, denique a. 1610. eo prorſus cedere juſſus eſt. Haud vero diu poſt, a. 1612. ab Imperatore *Matthia* in comitiis Imperii Francofurti conſtitutis ob virtutis omnigenæ ornamenta & præclara merita in equeſtrem dignitatem evectus & inſuper aulæ cæſareæ Comes creatus eſt. Anno quoque 1625. ab *Henrico* Aurelianenſi, duce Longovillæ ob ſingularia eidem præſtita officia ipſe cum poſteris ordini equeſtri duorum in Helvetia ſitorum comitatuum, Neocomenſis & Vallangenſis, eſt adſcriptus, facta eidem poteſtate, ubicunque vellet illorum locorum commorandi cum privilegio exemtionis pleniſſimæ, qua Nobiles & Equites ſolent gaudere. Nuptias priores celebravit a. 1592. cum *Anna Brand*, filia *Bernhardi Brand*, J. V. D. & Inſtit. Prof. poſtea Tribuni plebis, ex quo connubio trinam ſuſtulit prolem, *Margaretham*, *Jacobum*, Conſulem Mullhuſinum & *Henricum Adamum*, in flore ætatis a. 1627. Mullhuſii fato perfunctum. Secundum matrimonium iniit cum *Anna Maria Volmaria*, undecim

cim liberorum matre ex eo facta. Continuis denique laboribus & podagricis doloribus confectus catarrho ſuffocativo finiit vitam d. 21. Mart. a. 1641.

Edidit patris ſui *hiſtoriam univerſalem* &c. reviſam, auctam & continuatam, Baſ. 1600. fol. c. f. *P. Æmilii Veronenſis de rebus geſtis Francorum* libb. X. *Arnoldi Ferroni de rebus geſtis Gallorum* libb. IX. *cum continuatione Jac. Henric Petri*, & *Chronico Jo. Tilii de regibus Francorum*, Baſil. 1601. fol.

XI. FRIDERICUS CASTELLIO Oratoriæ Profeſſor, Rhetoricam profeſſionem ſecunda vice accepit d. 18. Dec. 1610. eamque per triennium adminiſtratam alii cedere morte fuit coactus. V. ſupra n. 9.

XII. JOH. CONRADUS PFISTER, ſatus patre *Laurentio Pfiſter*, matre *Vrſula Han*, vitam hanc auſpicatus eſt d. 3. Aug. a. 1576. Muſis a prima infantia, licet lingua minus promta, quatuorque literas, L. M. R. T. difficulter pronunciante uteretur, a parentibus conſecratus, eaſdem ſtudioſe coluit, & poſtquam a. 1593. academiæ civibus adſcriptus fuit, ſtudia philoſophica adſidue tractavit, ut a. 1594. Lauream & a. 1598. coronam doctoralem adipiſceretur. Poſtea ſpeciatim ſtudio Phyſico atque Medico totum ſe dedit. Antequam officiis publicis fuit admotus, privatam in erudienda domi foriſque juventute operam poſuit diligentiſſimam. *Joh. Bauhino* in concinnando opere Botanico, ut erat laboris extreme patiens, multum auxilii tuliſſe legitur. Etiam a *Jano Grutero* & *Jeremia Sohnio* publica eruditionis atque induſtriæ teſtimonia accepit. Perſpecta hac doctrina atque in docendo dexteritate, Academia opera ejus publica uti conſtituit, eumque d. 21. Jan. 1614. ad Rhetoricam docendam rite vocavit, cui muneri fide integerrima & induſtria incomparabili longo tempore præfuit. Poſtea etiam munus Bibliothecarii ei fuit delegatum, quo officio itidem maximo Bibliothecæ acad. fructu fuerat functus, ut qui eam in commodiorem ordinem digeſſit, & ſpiſſa catalogorum volumina propria manu conſcripſit. In conjugio per 20. annos vixit cum *Anna Meyer*. Vitam pie, juſte, ſobrie tranſactam abſolvit d. 26. Apr. a. 1636.

XIII.

Digitized by Google

XIII. JOH. LUCAS GRAF nactus fuit patrem *Burcardum Graf*, qui ſub Galliarum rege ſtipendia centurionis meruit, matrem vero, hunc filium a. 1595. enixam, *Eliſabetham Iſelin.* Mature ſatis ſtudiis operam dedit, ut confecto in gymnaſio primarum literarum curſu, ad academiam tranſmiſſus primæ Laureæ a. 1613. & magiſterii honores a. 1616. meritus acceperit. Placuit autem ei, philoſophico ſtudio ad finem perducto, Juri operam dare, in quo elegantes fecit progreſſus, quibus pede ſat cito ad metam provehi potuiſſet; ſed maluit vel plus ſatis mereri quam fruſtra titulos ſine uſu tamquam pomparum fercula in oſtentationem circumferre. Unde anno demum 1632. 5. Cal. Dec. edito prius ſpecimine juridico-politico, *de Crimine læſæ Majeſtatis*, promotore Remigio Fæſch, inſignia Juris Doctoris admittere voluit. Cæterum veri Juriſconſulti partes explevit, quibusvis pro eo, quo pollebat, judicii acumine & ſcientia de jure reſpondendo atque conſulendo. Tria illa juris præcepta: *honeſte vivere*, *neminem lædere*, *ſuum cuique tribuere*, non tam voce profitebatur, quam moribus, vita factiſque exprimebat, pius in Deum, juſtus in proximum, temperans ſibi etiam in iis, quæ æqua natura admittit. Ita laudabiliter cum ſpatium vitæ decurreret, d. 3. Mart. a. 1637. profeſſio Rhetorica ei fuit demandata, quam ſupra ſeptennium diligentiſſimus obiit, donec gravi morbo ex aſthmate eſt correptus atque compreſſus, quo d. 18. Nov. 1644. cœlebs occubuit.

XIV. PETRUS FALCKEISEN hanc lucem primum adſpexit d. 19. Apr. 1618. Parentes ei exſtiterunt *Theodorus Falckeiſen*, ſenator & ædilis, ac *Vrſula Ryff*, *Petri Ryffii* Medici & Mathematici Baſ. filia. Ingenium felix parentum voto ac cura ad capeſſendum literarum cultum adpulit, & in liberiorem academiæ aërem a. 1634. tranſlatus eximie excoluit. Exacto curriculo philoſophico, primaque Laurea a. 1635. Magiſterii vero dignitate a. 1637. ornatus, ſtudia avi materni, cujus & prænomen geſſit, Matheſin nempe atque Medicinam, omni ſtudio proſecutus eſt. Ea de cauſa a. 1640. etiam peregrinationem inſtituit in Galliam atque Italiam, eaque feliciter finita, Baſileæ d. 28. Sept. 1641. Doctoris Medici honores atque privilegia accepit. Dum conſilio atque auxilio ægrotis prodeſſe ſtuduit, etiam Academia, per obitum

obitum J. Luc. Grafii vulnere adfecta, ejus auxilium petiit & obtinuit; relictam nempe ab illo cathedram Rhetoricam huic commisit d. 10. Dec. 1644. Hanc etiam provinciam optime gessit, donec, sic volentibus Academiæ proceribus, cum alia eam permutavit, d. 19. Nov. 1655. ad Matheſin docendam vocatus, qua in ſtatione, ut qui hoc ſtudio mirifice delectabatur, publicis lectionibus & privatis inſtitutionibus ſtudioſæ juventuti plurimum profuit. Rectoratum acad. ſemel, Decanatum philoſ. ter, viſitationemque gymnaſii tribus annis, qua potuit dexteritate, qua debuit fide, adminiſtravit. Conjugium iniit geminum, alterum cum *Dorothea Lützelmann*, Tribuni plebis filia, bina prole maſcula fœcundum; alterum a. 1649. cum *Suſanna Stœhelin*, quæ quatuor liberos ei peperit, & poſt 16. in viduitate annos exactos a. 1677. *Joh. Conrado Hardero*, Archigrammateo & ſcholarchæ felici ſidere nupſit. In collegium Medicorum adoptatus Noſter morbo & morte præventus hanc dignitatem adire non potuit. Ex febri hectica obiit d. 22. Oct. 1660.

XV. Simon Battier, J. V. D. Rhetorices Profeſſor electus fuit d. 19. Nov. 1655. & in hac ſede permanſit ad d. 11. Sept. 1668. quo ad Ethicam fuit tranſlatus. V. Prof. Codicis, n. 19.

XVI. Jacobus Rudin, nobili ſtemmate oriundus, natus eſt d. 1. Aug. a. 1633. PoſtquamGymnaſii claſſes percurrit, literis ſe totum ſacravit, & majorum gloriam virtute propria augere contendit, illud Juvenalis ſecum in pectore volvens: *Stemmata quid faciunt, ubi virtus deficit omnis?* Philoſophicas ſcientias haud leviter adtigit, quin cum cura atque labore perſpexit. Dignus itaque habitus, qui a. 1646. primo philoſophici honoris gradu, quem Lauream vocant, & a. 1648. ſummis in philoſophia honoribus & Magiſterii liberalium artium inſignibus condecoraretur. Hoc feliciter jacto fundamento, ſtudio theologico eodem anno nomen dedit, eique tam diligenter invigilavit, ut a. 1653. in numerum Candidatorum S. Miniſterii reciperetur. Sed gradatim ad ſuperiora ſcandere paravit, & primo gymnaſio, deinceps vero Academiæ operam ſuam dicavit. Ipſum enim non pudebat imprudentium præceptorem & imperitorum Magiſtrum

giſtrum eſſe; itaque doctrinis puerilem ætatem imbuturus, vacantem quartam Gymnaſii claſſem anno 1658. petiit atque obtinuit; ex hac autem a. 1666. ad quintam claſſem tranſiit. Cum ita eruditionem atque diligentiam ſuam ſenatui acad. ſatis probaſſet, ex trivialis ſcientiæ magiſtro ſapientiæ profeſſor fuit conſtitutus, & primo quidem d. 19. Febr. a. 1669. cathedra Rhetorica, deinde vero d. 21. Dec. 1677. profeſſio Ethicæ ei fuit demandata, quam utramque provinciam egit ſingulari fide atque induſtria, ſtudioſorum commodis totus inſerviens. A. 1657. uxorem duxit *Gertrudam Gemuſæus*, quæ, ut ipſe teſtatus eſt, plus quam humanam operam quoad corpus & animam & incomparabile pietatis exemplum ei exhibuit. Suſcepit ex ea 3. filios & unicam filiam, quam una cum uno filio matreque ſibi ſuperſtitem habuit. Filius iſte ſuperſtes, *Joh. Jacobus*, S. Miniſterii Candidatus a. 1681. & a. 1684. Diaconus Biennenſis conſtitutus, ibidem a. 1688. vitam clauſit. Inſultus denique apoplecticus Rüdino patri finem impoſuit d. 26. Mart. 1689.

Edidit varias diſſertationes: *de mundi principiis*, 1660. *Theſes philoſ. miſc.* 1665. *progymnaſma diſput.* eod. *Analecta ex philoſophia inſtrum.* 1667. *Theſes philoſ.* 1668. *de Veritate*, 1671. de *Accidente*, eod. *de Fortitudine*, 1672. *Quæſtiones miſc. philoſ.* 1673. *Orationem funebrem in obitum* Sam Eglingeri, Mathef. Prof. a. 1674. diſſ. *de Affectibus*, 1677. *de fato triplici*, *phyſ. mathem. & ſtoico*, eod. *de cauſa libera* 1679. *de perſona*, 1680. *de jure parentum in liberos*, 1683. Scripſit & *vitas Profeſſorum* aliorumque *virorum clarorum Baſil.*, quæ hactenus non editæ & ex quibus multa huc translata ſunt.

XVII. Joh. Jacobus Harder, Med. Doct. Rhetoricam cathedram obtinuit d. 19. Febr. 1678. officioque iſto functus eſt, donec d. 5. Jan. 1686. ad Phyſicam docendam fuit vocatus. V. Prof. Med. Theor. n. 13.

XVIII. Bonifacius Fæsch, J. V. D. Logices prof. vicarius, Rhetorices d. 5. Jan. 1686. profeſſor electus eſt, inque hac cathedra ſedit, donec ei d. 5. Jul. 1689. Ethica fuit adſignata. V. Prof. Codicis. N. 22.

XIX. Joh.

Digitized by Google

XIX. JOH. GEORGIUS MANGOLD, Med. Doct. Prof. Logicæ vicarius, diem vidit primum d. 17. Dec. a. 1648. Basileæ, parentibus usus *Casparo Mangold*, Mercatore, & *Rosina Falckeisen*. Ob ingenii, qua pollebat, docilitatem, ipse ut frater *Matthias*, biennio eo inferior, quique Theologus præclarus atque Archidiaconus Bas. a. 1719. ad superos abiit, literis fuit destinatus, & a primo juventæ flore huc studia, huc vota omnia direxit, ut potiorem sui partem, animum, bonarum literarum succo imbueret, eundemque virtutum variarum concentu illustraret; hinc condigna eum manebant præmia, nec virtus debita frustrata fuit mercede; anno nempe 1665. primæ Laureæ gradum & a. 1667. doctoram philosophicam ordo sapientissimus ei decrevit atque publice conferri curavit. A disciplinis instrumentalibus ac realibus rite instructus, recta studium medicum capessivit, & ob insignem in omnigena sapientia, sacra præsertim Medicina, comparatam eruditionem & doctrinam d. 10. Cal. Jan. 1673. supremam doctoratus medici dignitatem, jura ac privilegia accepit, habita prius publica oratione de *vitæ brevitate artisque longitudine*. D. 18. Mart. 1674. cum fratre *Matthia* peregrinationem literariam instituit per Galliam, Belgium, Angliam & Germaniam, eaque a. 1675. feliciter finita, praxin medicam exercere & studiosis collegiis informatoriis atque disputatoriis experimentalibus prodesse cœpit. Ab a. 1687. vicaria opera Logicam docuit, die vero 5. Jul. 1689. munus professoris Rhetorices ei fuit commissum, quo diligentissime est functus ad d. 9. Jun. a. 1693. quo ex febri acuta huic mundo valedixit.

Edidit disputationem *de Epilepsia*, Bas. 1672. *de Catalepsi*, ib. 1673. *ἐκατοντὰς positionum logico philosophicarum*, ib. 1687. *Manipulum thesium Rhetor.* ib. 1689.

XX. JOH. JACOBUS BATTIER, J. V. D. & Logices professor vicarius, ordinariam Rhetorices professionem sortitus, eandem auspicatus est d. 13. Sept. 1693. prælectione *de variis artis dicendi ætatibus, quibus illa apud Græcos Romanosque viguit*; hanc spartam egregie administravit, donec ei alia, Oratoriæ, d. 22. Sept. 1696. ornanda fuit tradita. V. Prof. Codicis. N. 23.

XXI. EMA-

Digitized by Google

XXI. EMANUEL ZÆSLIN, patricia familia oriundus, vitæ lumen adiit d. 22. Maj. 1663. patre genitus *Henrico Zæslin*, *Henrici*, filio. Ex trivialibus ſcholis in academiam tranſmiſſus adſiduo labore & pertinaci in ſtudiis excolendis conſtantia eruditionem ſibi ſolidam ex diffuſis ſapientiæ theſauris comparavit, eandemque moribus inculpatis & vitæ ſine labe peractæ integritate exornavit; quapropter primæ Laureæ ornamenta a. 1679. poſtquam carmine heroico *neminem cauſa incognita condemnari poſſe* probavit, nec non a. 1681. magiſterii axioma, ita decernente Philoſophorum ordine, publice fuit adeptus, habita oratione, qua carmine græco *encomium Medicinæ* fecit. His ita peractis, arti medicæ operam dare cœpit, idque eo ſtudio, eoque ſucceſſu, ut poſt exhibita conſueta ſpecimina, habitamque de *functionibus ſpirituum animalium* orationem a gratioſo Aſclepiadeo ordine Baſil. dignus fuerit habitus, qui publice d. 7. Jun. 1687. Medicinæ Doctor crearetur. Vocatus dein fuit ad Rhetoricam publice docendam, nempe d. 15. Dec. 1696. quam provinciam capeſſivit d. 9. Febr. 1697. prælectione inaugurali locutus *de principiis*, *quibus eloquentia paratur*. Ab iſtius autem muneris functione ad profeſſionem philoſophiæ practicæ & Juris naturæ & gentium, licet poſteriorem hunc titulum qua Medicus non adſumſerit, fuit avocatus d. 27. Febr. 1714. eamque adiit d. 13. Jun. 1714. lectione de *inclinatione hominis naturali ad ſummum bonum*. Obitus ei obtigit a. 1727. Scholaſticis Gymnaſii Baſil. pauperibus libras Baſil. 800. nec non Bibliothecæ Acad. publ. Baſil. 100. thaleros legavit.

Edidit a. 1687. diſſertationem de *olfactu*; a. 1693. *ſpecimen logico philoſophicum*. A. 1695. *theſes philologo philoſophicas*. 1696. *theſes rhetorico philoſophicas*.

XXII. CHRISTOPHORUS EGLINGER, humanitate atque adfabilitate, nec non beneficentia olim præclarus, prognatus eſt d. 30. Dec. 1686. parentibus optimis, *Nicolao Eglingero*, Med. Doct. ejuſdemque Profeſſore & *Juditha Burcard*. Ab his mature literis adhibitus gymnaſium cum fructu frequentavit, ex cujus umbra in lucem academiæ prodiit a. 1698. Hic bonis artibus atque moribus animum induit, & ut mores fuerunt, ita

reſpondit fortuna; jam enim a. 1699. ad priores & a. 1701. ad ſummos in philoſophia honores adſcendit. His autem pro modeſtia ſua nec ad oſtentationem uſus, nec pro generoſitate animi contentus, ſed ad ampliores, quibus civis civibus magis prodeſſet, contendit, ſacræ Medicinæ totum ſe conſecrando. In novo hoc ſtadio, cooperantibus egregiis naturæ dotibus, accedente intenſa ſedulitate atque induſtria, juvante paterna præcipue diſciplina, Deo benedicente ita fuit progreſſus, ut d. 1. Mart. 1707. lauream aſclepiadeæ artis doctoralem publice adipiſceretur. Studium Anatomicum atque Botanicum magis adhuc profecuturus Pariſios profectus, ibique per triennium fere commoratus eſt. Illinc redux patri in medicina facienda adſtitit, eo autem a. 1711. humanis erepto, ſequenti anno novum iter per Germaniam, Belgium atque Angliam inſtituit, eoque feliciter atque cum fructu peracto a. 1713. ad ſuos rediit. Haud diu poſt, nempe d. 30. Apr. 1714. tori ſociam ſibi legit *Veronicam Battier*, *J. Jacobi Battierii*, Anteceſſoris juris, filiam, quæ, poſtquam ei ſeptem filios atque filiam peperiſſet, a. 1729. ad meliorem vitam ei præivit. Interim Eglingerus cunctis academiæ ſenatorum ſuffragiis d. 24. Mart. 1714. Rhetorices profeſſor fuit dictus, quod officium publica lectione de *antiquis Rhetoribus* commentante d. 15. Jun. 1714. auſpicatus, eoque, quoad vixit, omni diligentia perfunctus eſt. Praxin etiam medicam omni fide atque pietate diligentiſſime atque feliciſſime exercuit apud omnes ſine diſcrimine adflictos, donec ipſe febri acuta correptus d. 27. Maj. 1733. labori ſuccubuit, eoque elato, nemo fuit, quin lacrymaretur. Sex filios cum filia fecit pupillos, ex quibus hodie *Joh. Henricus* Paſtoratum eccleſiæ Micropolitanæ omni fide gerit atque vigilantia.

Edidit *ſpecimen medicum de ſpiritibus animalibus &c. eorumque uſu.* Baſ. 1707. diſp. *de ſenſuum externorum infallibilitate & de ideis*, ib. 1712. *theſes ex Anatome & Botanica*, ib. 1711. *poſitiones philoſophicas*, ib. 1714. *theſes anat. & botan., in quibus polygonifolium deſcripſit*, a. 1721.

XXIII. JOH. BALTHASAR BURCARD electus Rhetorices Profeſſor d. 15. Dec. 1733. munus hoc ſolenni lectione ingreſſus eſt d. 9. Febr. 1734. idque ſolertiſſime geſſit,

Digitized by Google

geſſit, donec d. 28. Nov. 1740. ad profeſſionem Locorum communium ac controverſiarum Theol. fuit vocatus. V. Prof. N. T. n. 15.

XXIV. JEREMIAS RAILLARD natalem diem coluit 16. Apr. 1717. patrem vero *Jeremiam Raillard*, J. V. D. ſenatorem atque ſcholarcham, & matrem *Margaretham Ryhiner*, adhuc ſuperſtitem. A teneris literis moribuſque bonis adſuetus, ſtudio atque conatu impigro in virtute atque eruditione progredi laboravit. Curriculo philoſophiæ eleganter tranſacto, & duplici honore philoſophico, uno a. 1733. altero 1735. meritiſſime adepto, legum ſtudio ſe addixit, eique ſedulam operam navavit. Superatis conſuetis tentaminibus atque examinibus, nec non diſputatione inaugurali a. 1738. Licentiam in utroque jure obtinuit, & ab eo tempore conſulendo, nec non privatim juris atque philoſophiæ cultoribus collegia indulgendo pro commodis publicis ſudavit. Mox autem janua ei fuit aperta, academiæ uſibus publice inſerviendi, dum ei d. 28. Mart. 1741. profeſſio Rhetorices ſorte adſignata fuit, quod officium d. 30. Maj. 1741. lectione inaugurali *de ortu & progreſſu eloquentiæ* adiit, & ad dies vitæ diligentiſſime adminiſtravit. Poſtea d. 1. Jul. 1744. titulum atque dignitatem J. V. D. accepit, hiſque ornatus d. 10. Sept. 1747. proſperis dubiiſque ſociam ſibi junxit *Vrſulam Viſcher*, cujus ope aliquot ante obitum annis ipſe fuit deſtitutus, gaudio haud exiguo ſibi relictis aliquot liberis, ex quibus unicus filius *Jeremias* itidem nunc literis atque artibus incumbit. Interim a. 1750. in facultatem Juridicam nec non in ſenatum academicum receptus, & a. 1754. Bibliothecarius conſtitutus, commoda Academiæ atque Bibliothecæ quovis modo indefeſſus promovere ſtuduit, donec vir laborioſiſſimus, quem patres academiæ conſcripti archivum ſuum vivum privilegiorumque ſuorum vindicem venerati fuerant, phthiſicus obiit d. 25. Nov. 1772.

Edidit diſſ. *de jure fructus percipiendi in re aliena bona aut mala fide poſſeſſa*, 1738. *theſes philoſ. miſc.* 1740. *Theſes rhetoricas* 1741. Diſſ. *de Romanorum equitum transvectione & recognitione*, 1743. *obſervationes de privilegiis uxorum quoad bona in mariti domum illata*, 1746. *theſes & obſervationes juridicas* a. 1757.

XXV. JOH. RODOLPHUS BUXTORFF, claris natalibus ortus, natus eſt d. 24. Oct. 1747. ex *Johanne Buxtorff*, Med. Doct. Poliatro & CC viro, atque *Agnete Zuinger*, *Joh. Rodolphi Zuingeri*, Med. Doct. ac Pract. Prof. filia. Horum parentum ſolicita cura liberaliter educatus literiſque inſtitutus fuit. Demenſo gymnaſii patrii curriculo, in Academia philoſophica ſtudia diligenter tractavit, & diligentiæ ſuæ præmium, primam Lauream accepit d. 14. Jun. a. 1764. habita oratione *de utilitate conjungendi linguam hebraicam cum græca & latina*; ſupremum autem in philoſophia honorem obtinuit d. 5. Jun. 1766. in qua promotione *de præſtantia & utilitate philoſophiæ recentioris* publice diſſeruit. Jam nobiliſſimorum majorum veſtigia preſſurus ſtudium theologicum ſibi excolendum ſumſit, nomenque ei dedit d. 8. Maj. 1765. in hoc tractando omnem operam poſuit, &, auxilio præſertim adjutus avunculi optimi, *Jac. Chriſtoph. Beckii*, S. Th. Doct. ac Prof., cujus ipſe jam a. 1776. in officio *lectoris inſtituti Freyio Grynæani* ſucceſſor eſt deſignatus, eo eſt progreſſus, ut a. 1770. in numerum V. D. Miniſtrorum fuerit receptus. Vocatus dein fuit, ut comitum *Bückenburgenſium* ephorum ageret, cui vocationi eo lubentius paruit, quod ſic ei occaſio daretur, Weſtphaliam, Buxtorffiorum noſtrorum patriam, inviſendi. Impleto hoc officio in patriam redux ſtatim aliud accepit, profeſſoris nempe Rhetorices, quod ei demandatum fuit d. 8. Jun. 1773. quodque auſpicatus eſt d. 31. Aug. 1773. prælectione, qua *de eloquentia Pauli Apoſtoli* diſſeruit.

Edidit d. 6. Sept. 1768. *Obſervationes crit. miſc. in quædam auctorum græcorum loca.* d. 8. Jun. 1773. *Theſes rhetoricas*, & d. 26. Maj. 1778. orationem panegyricam in *J. Rod. Zuingerum*, Med. Doct. atque Prof.

PROFESSORES ELOQUENTIÆ.

I. JOHANNES SICHARDUS patriam habuit *Biſchoffsheimium*, oppidum ſuperioris Franciæ, ditionis Archiepiſcopi Moguntini, ubi parentibus ſatis honeſtis, ſed fortuna mediocri uſis, in lucem editus eſt a. 1499. Perceptis in patria primis literarum elementis, Erfordiam miſſus, ſumtibus *Martini Goliæ*, Aſchaffenburgenſis Decani,

cani, cognati ſui, aliquamdiu bonis literis incubuit; hinc autem Ingolſtadium conceſſit, & nobilium quorundam ephorum egit. Inde Monachium vocatus, ludo poëtico, in quo nobilium pueri inſtituebantur, præfectus eſt. Animo autem ad majora contendente, eam functionem ſponte deſeruit, atque a. 1522. ſe Friburgum Briſgoiæ contulit, ibidemque operam ſuam nobilibus adoleſcentibus erudiendis locavit. Hic inſcio quidem ſed poſtmodum cognita ejus eruditione, factum adprobante ſocero, *Evam*, *Florentii Hesleri*, mercatoris, filiam, uxorem obtinuit, ſed ſpem perpetui domicilii atque profeſſionis, quam ex hocce matrimonio conceperat, præcidit exorta de eo ſuſpicio, quod in partes Lutheri videretur inclinare. Unde Baſileam ſe recepit, ibidemque a. 1525. profeſſioni Rhetoricæ ſive Oratoriæ, ut alii loquuntur, fuit adhibitus, in qua ſtatione Ciceronis Rhetorica cum Tito Livio & Quintiliano publice expoſuit. Cœpit tum quoque bonis auctoribus emendandis & nitori ſuo reſtituendis operam dare, quam in rem ei *Ferdinandus* archidux Auſtriæ diploma de luſtrandis quibuſvis bibliothecis ſuis indulſit. Hinc factum, ut induſtriæ ſuæ fama doctiſſimis quibuſvis, inprimis *Eraſmo* & *Glareano*, Baſileæ tum agentibus, familiariter innotuerit. Oborta autem inter theologos helveticos diſſenſione, ipſe cum familia a. 1530. paulo poſt Eraſmum & Glareanum, Friburgum rediit, ubi juri civili ſub auſpiciis *Huldrici Zaſii* & *Sebaſt. Dereri* per biennium fere eam dedit operam, quam vix alius, niſi pari præditus ingenii & judicii acumine, præſtare potuiſſet. Itaque 4. Cal. Dec. 1531. inſignia doctoralia magna cum laude accepit. Hoc tempore etiam inſtructiſſimam bibliothecam juridicam a *Johanne Manlio*, Imperatori Maximiliano a conſiliis mediocri pretio fuit mercatus. Friburgi autem ob ſupradictam cauſam non potuit profeſſionem potiri, Tubingæ vero opera *Martini Buceri* & *Simonis Grynæi*, illius ſcholæ reſtauratorum, profeſſionem Codicis Juſtin. a. 1535. obtinuit, cui ad finem vitæ dexterrime vacavit, licet a. 1537. Norimbergam ad munus Advocati, & a. 1548. a Carolo V. Imperatore inter Judicii Imperialis adſeſſores fuerit expetitus, maluit nempe ſorte ſua contentus vivere, quam dubia magnorum nominum omina periclitari. Neque tamen principum gratia caruit, quippe ab *Vlrico* & *Chriſtophoro*, ducibus

bus Wurtembergicis, ſecretioribus conſiliis adhibitus. Ceterum ejus prædicatur vita integerrima, morum facilitas & in rebus agendis dexteritas pariter & fides, quibus nominibus bonis quibuſvis exſtitit gratiſſimus, magna diſcipulorum frequentia ad eum audiendum confluente, cui quidem viva voce dictata lubens indulſit, edi tamen in publicum, quoad vixit, vetuit, donec poſt ejus obitum publici juris ſunt facta. Æternitatem adiit 5. Id. Sept. 1552. prole deſtitutus, quapropter teſtamentum condidit, quo duo aureorum millia in uſus pios legavit, ceteris facultatibus uxori & ex ſorore nepotibus adtributis.

Libri ejus editi ſunt: *Sexti Aurelii Victoris Epitome recognita & illuſtrata. Juſtini hiſtoria reſtituta*, Baſ. 1526. 1530. 1543. 1553. 8. *inſtitutiones Caii; Pauli libros receptarum ſententiarum recenſuit; Codex Theodoſianus primum ejus opera in lucem productus*, Baſ. 1528. ſc. priores 5. libri cum initio ſexti ex breviario *Aniani; Joh. Tillius* deinceps 1. nonum & ſequentes 7. Pariſ. 1549. 8. & *Jac. Cujacius* ſextum, ſeptimum & octavum a *Steph. Charpenio* acceptos ib. 1566. fol. edidit. Omnes vero 16. libros *Jac. Gothofredus* 30. annorum ſpatio, immenſo labore, ad prelum paravit, eoſque, illo mortuo, *Anton. Marvillius* Lugd. 1665. fol. 6. Tomis procudendos curavit. *Sichardi prælectiones in Codicem Juſtinian. editæ* Baſil. 1565. fol. Francof. 1586. fol. 1598. 1614. fol. Genev. 1593. 4. *de meliori nota ab Eruditis commendantur. Conſilia* Francof. 1598. 1599. fol. *Leges Ripuariorum, Bajoariorum & Alemannorum*, Baſ. 1530. 8. *Annotationes in Quintilianum*, Baſ. 1529. fol. ibid. 1548 8. ib. 1555. 8. *Prudentii carmina recenſita* c. ſcholiis, Baſil. 1527. 8. Antverp. 1540. 8. Lugd. 1553. 16. Hanov. 1613. 8. Baſil. 1562. 8. *ex Conſentio & Caſſiodoro fecit excerpta, quibus titulus eſt præfixus:* Diſciplinarum liberalium orbis, per Jo. Sichardum. Baſil. 1528. 4. *Antidotum contra hereſes per varios authores*. Baſil. 1528. *Chronicon e variis authoribus compilatum*, Baſ. 1529. fol.

II. Xystus ſ. *Sixtus*, Betulejus, germanice *Birck*, vitam ingreſſus eſt Auguſtæ Druſi, (*Memmingen*) a. 1500. tunc,

--- --- *cum ſine honore jacerent*
Optima, barbarieque horrerent omnia priſca.

Pueritiam in patria tranſegit, & ut tempora ſinebant, bonis literis addiſcendis impendit. Poſitis primæ literaturæ

turæ fundamentis, Basileam abiit, ubi in omnibus ingenuis artibus ita est versatus, ut sub publico literatorum adplausu 4. Id. Febr. 1536. artium Magister, & quidem post Sacra reformata primus, solenniter renunciaretur. Eruditioni accedebat vitæ innocentia morumque integritas, & in rebus agendis rara dexteritas, quæ singula eum Academiæ ita commendabant, ut de eo sibi suisque usibus vindicando serio cogitaret. Itaque, ut ferebat occasio, primum scholæ puerili fuit præfectus in minori Basilea circa a. 1530., in qua schola in aliis discipulum habuit, qui magistro honori magno evasit, *Henricum Munzinger* Basil., qui postquam in collegio sapientiæ decennium transegit, scholam Petrinam aliquamdiu moderatus & A. L. M. creatus fuit, animum ad medicinæ studium adjecit, quod *Fuggerorum* sumtibus in Gallia per triennium excoluit, inde in Italiam progressus Pisis Medicinæ Doctor creatus fuit & Florentiæ sesquianno medicinam fecit; idem præstitit aliquot annis Augustæ, ad mæcenates suos reversus, donec a. 1555. a Carolo Augusto inter curiæ suæ nobiles fuit cooptatus; denique a. 1559. ab episcopo Eistetensi liberali stipendio vocatus ditionis illius medicum egit, ubi omnis carnis viam fuit ingressus. Interim Betulejus ex schola liberatus in academiam transiit a. 1537. Oratoriæ professor nominatus. Anno vero statim insequente 1538. Augustam vocatus abiit, & scholam illam multo cum fructu gubernavit; ibi etiam eum *Henr. Pantaleon* a. 1540. in magna auditorum frequentia docentem audivit; alii etiam multi egregii viri ex ejus disciplina fuere egressi, in quibus nominandi *Wolfgangus Musculus* & *Guilielmus Xylander*. Ipsum senecta ante annos laboribus contracta, magistratus rude donavit. Fatis tandem concessit d. 19. Jun. 1554. æt. a. 54. M. 3. d. 26.

Scripsit & edidit *comœdias de Susanna*, *Juditha & Josepho*, quas & Basileæ publice exhibuit, Tig. 1528. Col. 1539. 8. *Symphoniam in N. T. græcum* Basil. 1546. *Annotationes & collationes in carmina Sibyllina* Basil. 1545. Paris. 1599. 8. *Lactantium* cum commentario Bas. 1563. fol. *Commentarios in aliquot Ciceronis orationes*, Bas. 1533. *in Paradoxa* &c. ib. 1550. 8. 1584. *in Cicer. de Officiis* &c. ib. 1544. Paris. 1558. 4.

Digitized by Google

III. MARTINUS BORRHAUS, Rhetorices Profeſſor a. 1536. conſtitutus, a. 1538. ſimul Oratoriam publice docendam ſuſcepit, utroque officio perfunctus ad a. 1544. cum theologica cathedra ei fuit concredita. V. Prof. V. T. n. 4.

IV. JOHANNES HOSPINIANUS Oratoriam profeſſionem adiit a. 1544. eamque ut & Rhetoricam adminiſtravit, donec a. 1546. ad Organicam tranſiit. V. Prof. Rhet. atque Orat. n. 3.

V. COELIUS SECUNDUS CURIO itidem tam Rhetoricæ quam Oratoriæ fuit Profeſſor, idque ab a. 1546. ad a. 1569. quo diem ſupremum obiit. V. Prof. Rhet. & Orat. n. 4.

VI. SAMUEL GRYNÆUS vel una cum, vel pro Curione Oratoriam publice docuit a. 1565. Jureconſultis a. 1570. adſcriptus Philoſophis valedixit. V. Prof. Pand. n. 4.

VII. JOH. NICOLAUS STUPANUS a. 1570. Oratoriæ profeſſor deſignatus hanc cathedram a. 1571. cum Logica permutavit. V. Prof. Med. Theor. n. 7.

VIII. JOHANNES FUEGLINUS, Logices Profeſſor, a. 1571. cum Stupano profeſſionem commutavit, & Oratoriam profeſſus eſt uſque ad mortem, quam paſſus eſt a. 1579. V. Prof. pædag. Cl. 2. n. 3.

IX. NICOLAUS TAURELLUS patriam habuit Montbelgardum, oppidum Wurtembergæ Ducibus ſubjectum. In hoc ille natus d. 26. Nov. 1547. patre, honeſto quidem ſed mediocri fortuna viro, qui complures annos poligrammatei munere ibidem functus fuit. Is cum nimios vitare ſumtus & tamen filium in cœpto ſtudiorum curſu progredi vellet, oblatam ab optimo principe, *D. Georgio*, comite Montbelgardenſi, conditionem grato animo accepit, ut nempe filius inter decem ſtudioſos ex pio & æquo fœnore aliquot millium florenorum, quæ princeps teſtamento legaverat, ſuſtentaretur. Tubingæ igitur annos ſex eo beneficio, ſæpe etiam *D. Chriſtophori*, ducis Wurtembergenſis, benignitate

gnitate adjecto auctario, satis educatus est liberaliter. Præceptorem coluit inprimis *Jac. Schegkium*, eo tempore summum Philosophum & Medicum clarissimum, cujus doctrinæ perpetuo addictus fuit, ad ipsamque ab initio studii sui philosophici se adsuefecit, eo quidem lubentius, quod non Tubingæ modo, verum etiam in aliis omnibus Germaniæ scholis observaretur atque vigeret. Inde liberalium artium & philosophiæ lauream a. 1565. adsecutus, aliquanto post, certis de causis, a studio, cui primum erat deditus, Theologico desciscere constituit, atque cognatorum suorum ope impetravit, ut cui vellet alii Facultati se addiceret. Medicinam ergo sibi delegit, eamque exculturus a. 1566. Basileam venit, ubi adeo diligenter huic arti incubuit, ut d. 11. Cal. Dec. 1570. testimoniis doctoris medici fuerit insignitus. Ipse etiam, consentiente ordine gratioso, a. 1577. *Ægidium Steinfelder* medicinæ doctorem creavit. Academiæ Basilienſis senatores eruditum hunc virum propius sibi juncturi a. 1579. Eloquentiæ professorem constituerunt, itemque prid. Cal. Jun. 1580. ad cathedram Ethicæ promoverunt. Hanc autem antequam auspicaretur, liberali stipendio Altorfium est evocatus, ut ipse primus tam philosophiam naturalem quam medicinam publice profiteretur. Hæc cum genio ejus magis adriderent, d. 8. Oct. 1580. illuc se contulit, munusque susceptum decenti gravitate & industria, tam docendo quam scribendo, tum & medicinam faciendo per quinque lustra sustinuit. Ad eruditionem Taurelli quod adtinet, omnia ejus scripta, quorum postea catalogum dabimus, testantur, eam fuisse solidam & elegantem. Ingenio præditus erat magno & acerrimo, parva vero corporis statura, quod ansam dedit ludendi poëtæ cuidam: *Corpore taurellus, taurus at ingenio.* Ambigua sane & parum urbana jocatione! Ceterum genere scribendi usus est gravi ac sententioso, attamen perspicuo, rebusque propositis accommodato. Neque humaniores musas ignoravit aut neglexit, sed quam familiares sibi eas reddiderit, *Emblematum physico ethicorum*, vario poëmate illustratorum eleganti opere cumprimis declaravit. In philosophia ducem præcipue secutus est Aristotelem, in medicina Galenum, ita tamen, ut in neutrius verba jurarit, quin interdum ab iis recedendo paulo liberius philosopharus fuerit, & quod ad Aristotelem spectat,

ipſe de eo profeſſus eſt, *ſe eum magni, imo maximi facere; ſed, ſi quicquam ſit majus maximo, veritatem Ariſtoteli præferendam eſſe ſe judicare; ut tantum tribuatur Ariſtoteli, quantum ipſa fert veritas, non autem vice verſa tantum veritati tribuatur, quantum cenſuerit Ariſtoteles.* Sed ea ipſa philoſophandi libertate multorum offendit animos, ita ut nonnemo de eo adfirmaverit, *eum nihil credere, & Turca deteriorem eſſe;* quin Heidelbergenſes theologi in literis ad Deputatos Synodi Holland. ſuper libro & cauſa *Conr. Vorſtii* perſcriptis, Taurellum pronunciarunt *atheum Medicum.* Sed Taurello non defuerunt defenſores, in quibus præcipuus fuit *Gisb. Voëtius.* Ipſemet vero optime ſui cauſam egit in ſcriptis editis, quæ ſi abſque præjudicio legantur, rem omnem conficient. Vel an ille in atheorum claſſem eſſet referendus, qui, ut Taurellus fecit, tanta cum reverentia de rebus divinis prolocutus, tamque pio zelo *vanitatem philoſophiæ paganæ* & contrarias religioni chriſtianæ ſacrarumque literarum oraculis opiniones impugnavit, ſingularemque in eo quæſivit gloriam, ut *chriſtianæ philoſophiæ ſtudioſum* ſe nuncuparit? qui in præfatione *methodi medicæ prædictionis* aperte hæcce ſcripſit: *Me ſibi totum Chriſtus vendicat; nec Ariſtoteli quicquam attribuetur, niſi quod Chriſtus ipſe conceſſerit, nec ſi quid obtulerit Ariſtoteles, id protinus excipiam, niſi quod fuerit Chriſto acceptiſſimum. Hoc chriſtianæ mentis exemplar eſt, quod ſcholis omnibus & academiis propoſitum eſſe debebat.* Amicos habuit Taurellus inter eruditos claroſque viros ævi ſui non paucos, quamvis alicubi confiteatur, quod cum ad literas ſcribendum non adeo facilis promtuſque ſit, cauſam hanc exiſtimet, ut amicos tot non habeat, quot habeant multi. Ex illorum autem numero fuerunt *Theodorus* pater & *Jacobus* filius *Zuingeri*, *Sigiſm. Schnizerus*, *Dion. Gothofredus*, *Andr. Duditius*, *Rod. Goclenius.* De domeſticis Taurelli rebus ut nonnihil commemoremus, in matrimonio primo duxit *Catharinam*, *Iſraëlis Æſchenbergeri*, apud Baſilienſes Poligrammatei & *Annæ Keller*, filiam; hæc ejus ſocrus ſecundis nuptiis conjuncta fuit *J. Jac. Weckero*, Medico Colmarienſi, famamque conſecuta libello de re coquinaria, ægris præſertim & imbecillibus adminiſtranda, edito, atque ita comprobato, ut aliquoties idem ſit recuſus. Ipſa vero poſt obitum utriuſque mariti

riti ſui habitavit apud filiam uſque ad finem vitæ, qui accidit a. 1596. Ex hac uxore ſuſcepit Taurellus liberos tredecim, ex quibus duo Baſileæ, ſex vero Altorffii infantes defuncti; filios ſibi habuit ſuperſtites *Joh. Jacobum & Nicol. Fridericum*; ex tribus filiabus *Maria Salome* a. 1622. *Stephano Deckero*, mercatori Norimbergenſi, nupſit. Defuncta a. 1598. hac uxore, a. 1599. alteram ſibi elegit vitæ ſociam, *Vrſulam Halleriam* ab *Hallerſtein*, *Martini Halleri*, ſenatoris Norimb. filiam, quod vero conjugium diuturnum non fuit. Vna nempe ex ancillis Taurelli peſte correpta, ipſe quidem metu perculſus auffugit, ſed mox reverſus, eodem letifero malo infectus d. 28. Sept. 1606. ex vivis ſeceſſit, eodemque ſtatim die, ut fieri ſolet in ejuſmodi rerum humanarum ac temporum calamitate, ſepultus fuit.

Scripta ejus edita ſunt: *Philoſophia triumphus*, h. e. *metaphyſica philoſophandi methodus, qua divinitus inditis menti notitiis, humanæ rationes eo deducuntur, ut firmiſſimis inde conſtructis demonſtrationibus, aperte rei veritas eluceſcat, & qua diu philoſophorum ſepulta fuit auctoritate, philoſophia victrix erumpat*, Baſ. 1573. Arnh. 1617. 8. *Medicæ prædictionis methodus*, h. e. *recta breviſque ratio coram ægris præterita, præſentia futuraque prædicendi, morbos ſcilicet, morborumque cauſas, mortem, ſanitatem, recidivam, aliaque ſymptomata*. Franc. 1581. 8. *Theſes medicæ de partibus humani corporis*, 1583, 4. *Annotationes in quoſdam libros Arnoldi de Villa nova*, Baſ. 1585. fol. *De mutatione rerum naturalium theſes phyſicæ*, 1585. 4. *de cordis natura & viribus theſes medicæ*, 1585. 4. *de vita & morte libellus, in quo primum ex Ariſtotelis ſententia vitæ, mortiſque cauſa diſquiruntur: poſtea vero quæſtionibus & propoſitionibus aliquot accuratius & magis exquiſite, quid vita morſque ſint, exponitur*. Norimb. 1586. 8. *de ventriculi natura & viribus, theſes medicæ*, ib. 1587, 4. *de putrefactione theſes phyſicæ*, ib. 1591. 4. *idea doctrinæ peripateticæ de anima & variis ejus facultatibus atque operationibus*, 1591. 4. *de naturalibus facultatibus corporis humani theſes*, 1594. 4. *Emblemata phyſico ethica*, h. e. *naturæ morum moderatricis picta præcepta, vario conſcripta carmine*. Norimb. 1595. 8. ib. 1602. huic ſecundæ editioni acceſſerunt *carmina funebria, quæ magnorum aliquot clarorumque virorum memoriæ dicavit. Synopſis metaphyſicæ Ariſtotelis*, Hanov. 1596. 8. recuſa cura *Feuerlini* in *Taurello defenſo* &c. Norimb. 1754. 4. *Theſes de ornatu animæ*, 1596. 4. *Alpes cæſæ*, h. e. Andr. Cæſalpini, *Itali, monſtroſa & ſuperba dogmata, diſcuſſa*

&

& excuſſa: ſcriptum acre, philoſophiæ ſtudioſis ad enodanda & enucleandas controverſias & diſputationes phyſicas difficillimas admodum utile & neceſſarium. Franc. 1597. 8. *Theoremata de cauſis rei naturalis*, 1598. 4. Κοσμολογια, h. e. *phyſicarum & metaphyſicarum diſcuſſionum de mundo libri 2. adverſus* Franc. Piccolomineum, *alioſque peripateticos*, Amberg. 1603. 8. Ουρανολογια, h. e. *phyſicarum & metaphyſicarum diſcuſſionum de cœlo libri 2. adverſus* Franc. Piccolomineum *& alios peripateticos*, ib. eod. 8. *de rerum æternitate, metaphyſices univerſalis partes 4., in quibus placita Ariſtotelis, Valleſii, Piccolominei, Cæſalpini, Societatis Conimbricenſis, aliorumque diſcutiuntur, examinantur atque refutantur*, Marp. 1604. 8. *theſes philoſ. de ortu rationalis animæ*, Norimb. 1604. 8. *diſputatio phyſica & metaphyſica de loco*, ib. 1606. *Epiſtolæ quædam ad* Sig Schnizerum, *in bujus* ciſta medica, ib. 1625. 4. *de infiniti continui ſectione*, Franc. 1597. 8. Ανεκδοτα: *Phyſiologia medica. Commentaria in Hippocr. de natura hominis. De terræ motu.*

X. Johannes Beatus Helius natus Baſileæ an. 1552. omnibus ingenii atque animi viribus, quas excellentes habuit, ad ſtudia incubuit, atque literarum elementa avidiſſime arripuit. Ad lectiones publicas an. 1567. promotus philoſophicas diſciplinas ſedulo tractavit & a magiſtris diligentiæ ſuæ teſtimonia publica accepit, a. 1571. prima Laurea & a. 1576. doctoris philoſophici titulo honoratus; quo eodem anno profeſſor Logices conſtitutus præter muneris publici officia Theologiæ ſtudium omnibus viribus profecutus eſt. Quadriennii autem ſpatio cum Logicam publice tradidiſſet, d. 31. Maji 1580. Eloquentiæ cathedram obtinuit. Poſtea cœtus Martinianus d. 6. Apr. a. 1586. eum paſtorem depoſcit, votiſque adnuens & iſtud munus optima fide geſſit. Ut autem munus eccleſiaſticum eſt adgreſſus, pro modeſtia, qua judicavit, ſe forte gemino ferendo oneri & muneri imparem fore, ſua ſe ſponte d. 9. Jun. 1586. profeſſione abdicavit. Senatus vero academicus utilem, quam hactenus impendit, operam perpendens, vicariam ejuſdem Oratoriæ profeſſionis adminiſtrationem ei demandavit, loco priſtino eum ſedere jubens tam in regentia quam in actibus publicis. Sed a. 1590. non tam juſſus quam multo honore compellatus atque expetitus fuit, ut munus Gymnaſiarchæ in ſe ſuſciperet, precibuſque

ille

Digitized by Google

ille se eo adduci fuit passus, commodo publico se totum sacrificans. Hoc munus a. 1591. auspicatus omni fide gessit ad vitæ usque extremum, maximo juventutis emolumento. Vir nempe erat formandis atque fingendis ingeniis aptissimus, lenitate atque severitate justo tempore uti sciens, omnibus justus ac æquus, moribus pius ac integerrimus, quo apud collegas & discipulos adfectionem æque atque auctoritatem, utramque præceptori admodum necessariam, sibi conciliavit. Cum calendis Jan. 1620. ipso mane vota novi anni collegis & discipulis feciſſet, & paria pari adfectu recepiſſet, a prandio scholastico egeno beneficium expetenti obviam procedens, derepente mortuus concidit.

Scripsit *bibliothecam commentariorum in Ciceronis orationes*, Basil. 1594. fol. *Grammaticæ græcæ tyrocinia prima in usum adolescentum tertiæ classis Gymnasii Basiliensis*, Basil. 1610. 4.

XI. VINCENTIUS PRALLUS, Hamburgi a. 1537. genitus, studiorum causa Basileam venit a. 1561. eodemque anno prima laurea fuit ornatus. Ab hoc tempore operam suam locavit typographis, & diligentiam suam bonis auctoribus correcte excudendis impendit per annos 13., horas, quas correctoris negotiis vacuas habuit, philosophiæ ac theologiæ studio insumens. Ita bene præparatus & varia doctrina atque virtute exornatus, primum ecclesiæ Petrinæ diaconus fuit præpositus anno 1574. dein Thomæ Platero, gymnasiarchæ, rude donato, accepto prius a. 1577. L. A. M. titulo, a. 1578. vicarius constitutus, denique a. 1590. professio Oratoriæ ei fuit demandata, quam debita fide, quoad vixit, obiit. In matrimonio vixit cum *Barbara Schmied*, ex qua filium sibi cognominem, & duas filias suscepit. Terram reliquit spiritus cœlestia cupiens d. 28. Apr. a. 1594.

Edidit a. 1588. *N. T. cum translatione Erasmi, chronologia N. T., argumentis capitum, locis parallelis* &c. item *orationem de quæstione, utiliorne sit civitati, qui multos efficit idoneos gubernandæ reipublicæ, quam qui ipse eandem recte gubernat? theses de sforgis physicis*, d. 26. Jan. 1577.

XII. FRIDERICUS CASTELLIO, Rhetorices Professor Oratoriam cathedram adsecutus est d. 10. Jan. 1595. in eaque

Digitized by Google

eaque ſedit ad d. 18. Dec. 1610. quo Rhetoricam repetiit. V. Prof. Rhet. n. 9.

XIII. CHRISTOPHORUS BURCARD, qui d. 17. Febr. 1585. prognatus eſt parentibus, *Samuele Burcard*, ſenatore, & *Eliſabetha Iſelin*, a puero literarum flagrabat deſiderio, eaſque intenſo labore proſequebatur. Poſtquam in prima ſtudioſorum claſſe linguam latinam græcamque, poëticam atque Logicam ſatis mente ſua cepiſſet, & magiſtrorum judicio teſtimonium eruditionis primum, cui a lauri bacca nomen, a. 1601. accepit, in ſecundam philoſophiæ cultorum claſſem tranſiit, in qua profeſſores Ethicæ, Oratoriæ, Matheſeos atque Phyſicæ diligenter audivit & proprio ſtudio eos fecit profectus, ut a. 1604. Magiſterii dignitatem cum laude obtinuerit. Sublimior jam excolenda erat ſcientia, quam vero eligeret, nullus hæſitavit, ſed protinus avitum ſtudium juris arripuit, illudque omni diligentia tractavit. Nec domeſticis auxiliis, quæ tamen habuit præſtantiſſima, contentus exterorum invocavit ſubſidia, iterque per Germaniam atque Italiam cum fructu inſtituit. Hac peregrinatione ſatis ampla ad finem feliciter perducta, præceptoribus ſuis ſtudiorum rationem reddidit & ab iis 10. Cal. Jun. 1609. meritos diligentiæ honores atque titulos ſumſit, ſummum in utroque Jure gradum Doctoris Joh. Gutio JC. ipſi ſolenniter conferente. Academiæ proceres citius ejus opera uti decreverunt, eique cathedram Oratoriæ d. 18. Dec. 1610. detulerunt. Nondum autem integro anno in ea expleto, d. 28. Nov. 1611. ex ſubita defluxione vita deceſſit.

Edidit ſpecimen inaugurale, ſiſtens *illuſtrium & controverſarum ex Jure civili, canonico & feudali quæſtionum decades* III. Baſ. 1609. 4.

XIV. JACOBUS BURCARD telam hujus vitæ exorſus eſt d. 12. Apr. 1583. parenteſque habuit *Theodorum Burcard*, ſenatorem & triumvirum, & *Mariam Oberriedt, Jacobi*, conſulis, filiam. Hi obſervata pueri egregia indole atque ſagacitate, literis eum deſtinarunt, & Joh. Beato Helio, gymnaſiarchæ, inſtituendum tradiderunt, familiæ ejus ad aliquot annos adſcribentes. Ejus auſpiciis a. 1600. ad lectiones publicas promotus, ſtudia philologica

Digitized by Google

logica & philosophica impensius amare atque prosequi cœpit, eo cum successu, ut a. 1601. primæ laureæ & a. 1604. Magisterii insignia solenniter reciperet. Auctore avo materno Theologiæ operam dedit per biennium, sed revocabatur imperio parentis ad Jurisprudentiæ sacra, neque tamen piguit operam Theologiæ prius impendisse, quod hæc jurisprudentiæ alter sit ocellus, scientiam & conscientiam Jurisconsulti dirigens, & justitiam atque pietatem sancto connubio jungens. Non tantum autem professores publice docentes audivit, sed multo magis ex illorum familiaribus congressibus judicium suum formavit, & legum adplicationem ad usum fori didicit. Peritiam suam amplificaturus, exteras etiam nationes visitavit, cujus prima occasio ei obtigit jam a. 1602. cum legatis Helvetiorum ad regem Galliarum de fœdere sacro redintegrando missis jungeretur. Postea iterum Galliam adiit, nec non Angliam, Belgium atque Italiam. Finitis autem pluribus peregrinationibus, & cum magna celebritate famæ esset jam absentibus notus, natalis soli placidissimum portum repetiit, ut, cui destinatus erat, rei præficeretur; quem in finem nullis laboribus atque vigiliis pepercit, donec tandem a. 1611. Doctor in utroque Jure magno suo merito diceretur atque renunciaretur. Eodem hoc anno matrimonium contraxit cum *Elisabetha Liechtenhan*, quæ ei tres filios & filiam unam peperit, ex quibus patri superstes fuit *Lucas Burcard*, J. V. D. & Codicis Justin. Professor. Filius *Jacobus* tredecennis a. 1625. a leone Afro, spectaculo expositio, unguibus dentibusque, acerbissimo fato, fuit dilaceratus. Placuit autem senatui academico, egregium hunc virum suis usibus adserere, eique d. 3. Jan. 1612. professionem Eloquentiæ rite decernere, quam sibi concreditam provinciam per annos 17. ornavit atque exornavit, donec tandem d. 23. Oct. a. 1629. ad philosophiæ practicæ professionem, cui per annos 13. præfuit, magno suo merito fuit vocatus. Senectutis autem & exantlatorum laborum sarcina pressus, honorum quoque iteratorum satur, pietate ductus in filium *Lucam*, sponte sua a. 1642. a professione decessit rudemque accepit, qua occasione huic filio cathedra Logica obtigit. Peracta feliciter ætate, maturaque senectute mortuus est & ad populares suos adgregatus d. 26. Jan. 1661.

Edidit

Edidit *orationem funebrem de vita & obitu Felicis Plateri* Med. Doct. & Prof. a. 1614 *theſes de contractibus innominatis*, Baſil. 1611. 4. *Enodationem legis* 1. D. qui teſtam. facere poſſ. ib. 1612. 4. diſſ. *de teſtamentis* a. 1623.

XV. JOH. JACOBUS HOFMANN dictus fuit Eloquentiæ profeſſor d. 23. Oct. 1629. vix autem hocce officium ingreſſus ad aliud, nempe profeſſionis Inſtitut. d. 23. Jul. 1630. fuit vocatus. V. Prof. Cod. n. 15.

XVI. MATTHIAS HARSCHER d. 9. Nov. 1596. natus ex *Matthia Harſcher*, ſenatore, & *Eſthera Verzaſcha*, mature bonis literis fuit initiatus. Abſoluto triennali ſtudio philoſophico, ut vitæ ac morum ſic etiam doctrinæ præclaræ atque elegantis teſtimonium, docturæ videlicet philoſophicæ titulos & ornamenta d. 21. Mart. 1615. in publica panegyri accepit. Jam partitis ſtudiis philoſophiam ulterius excoluit & medicinæ operam dedit, eo cum ſucceſſu, ut in utraque arte excelluerit. Poſt conſueta examina atque diſputationem inauguralem d. 4. Jan. 1620. Medicinæ Doctor publice fuit creatus, habita prius oratione in quæſtionem: *An venenum in corpore humano generari poſſit?* Dein peregrinationes literarias utiliter inſtituit, Galliam primum luſtrando, exindeque Angliam quoque adeundo. Per Belgium & Germaniam domum reverſus, alterum in Italiam iter ſuſcepit, tum linguæ addiſcendæ, tum ſcientiæ quoque medicæ exercendæ & adornandæ deſiderio, quod utrumque adeo feliciter expeditum dedit, ut non modo promtam gallicæ & italicæ linguæ facultatem, ſed & brevi tempore ex praxi medica dextre & rara felicitate exercita, magnum ſibi nomen compararit, civibus & exteris, ſummis & imis gratam opem certatim implorantibus. Qua egregia viri virtute perſpecta, non modo celeberrimus *Caſparus Bauhin*, Med. Doct. & Prof. filiam *Mariam*, d. 7. Maj. 1625. ei in matrimonium collocavit, ſed & ampliſſimus Magiſtratus Baſil. non dubitavit eum d. 11. Nov. 1629. archiatrum ſuum conſtituere. Dum ita in facienda medicina occupatus fuit, academia etiam ejus operam ſibi vindicare ſtuduit, eumque d. 23. Jul. 1630. Eloquentiæ profeſſorem vocavit. Hanc ſpartam adminiſtravit ſedulo, donec adverſa fata curſum inhibuerunt. Sexennio nempe poſt dictæ uxoris

Digitized by Google

ris mortem finito a. 1636. alterum matrimonium iniit cum nobili *Veronica de Andlo*; hæc cum ſacris Romanis addicta, & copulatio clam in loco pontificio peracta fuiſſet, primo a conventibus, deductionibus & ſeſſionibus publicis d. 1. Mart., dein præſentibus Deputatis d. 18. Apr. 1637. a profeſſione & ſalario remotus fuit, conſtituto vicario M. *J. Jac. Wolleb*, Diacono tum Petrino. Reſtitutus autem d. 27. Oct. 1641. in antiquum ſtatum, officium ſuum diligenter explevit. Poſtea etiam a. 1647. in collegium medicum cooptatus & denique d. 8. Febr. 1650. ad profeſſionem Ethices promotus fuit. Diu multumque tribus morbis familiaribus, podagra, nephritide & lienteria vexatus, tandem ex apoſtemate virulento ſpatio 24. horarum, poſtquam ab ægroto, quem viſitaverat, domum rediit, d. 16. Apr. 1651. vita exceſſit.

Edidit diſſ. *de cauſis morborum*. a. 1617.

XVII. CHRISTOPHORUS BECK, filius *Sebaſtiani Beck*, S. Theol. Doct. ac V. T. Prof. & *Annæ Mariæ Burcard*, natus eſt a. 1626. & a piis parentibus doctrina ſollicite inſtitutus. Lycæo patrio inſertus ſapientiæ ſtudium ita diligenter tractavit, ut a. 1643. primam Lauream philoſophicam meruerit & d. 7. Febr. ex *Germani Obermeyeri*, Matheſ. Prof. atque Brabeutæ conſtituti manibus ſolenniter acceperit. Inſuper etiam, continuato, quem in philoſophicas artes atque ſcientias poſuerat, labore, d. 25. Mart. 1645. tiaram doctoralem ab *Hieron. Zenoino*, Linguæ Græcæ profeſſore, obtinuit. His ornatus titulis, vel potius ab hiſce diſciplinis probe inſtructus, eodem hoc anno 1645. matriculæ theologicæ nomen dedit, & S. Literis ſeſe mancipavit, haud tamen neglecto elegantiorum literarum ſtudio. Tempus autem cum adeſſet, quo ſpecimina pro obtinendo gradu miniſtri Evangelii eſſet editurus, d. 8. Febr. 1650. academiæ antiſtites, Eloquentiæ profeſſionem ipſi decernentes, ſibi eum adſeruerunt atque conſtanter retinuerunt. Hoc officio cum per quadriennium ſtudioſiſſime eſſet functus, aliud ei detulerunt patres conſcripti, & d. 15. Sept. 1654. Organi profeſſorem eum conſtituerunt. Sed nec hoc munus ultra quadriennium adminiſtrare ei fuerat datum, cum ſupremo mundi arbitro

placuerit, animam ejus e vinculis corporis exemtam menſe Auguſti 1658. in libertatem atque ſalutem filiorum Dei cœleſtem transferre.

XVIII. Joh. Fridericus Burcard Academiæ Baſilienſi procreatus eſt d. 22. Jun. a. 1629. a parentibus nobiliſſimis, *J. Rud. Burcard*, primum Ethices Prof. deinceps Reipublicæ archigrammateo, ſenatore atque Tribuno plebis & *Eſthera Battier*. Felici huic naſcendi ſorti acceſſit piæ & ſollicitæ educationis cura, qua filium obſequentem præceptoribus Gymnaſii noſtri aliiſque magiſtris literis moribuſque bonis ab ineunte ætate imbuendum commiſerunt parentes, qui etiam ad effectum bonorum conſiliorum venerunt, filioque pio ac erudito multum fuere delectati. Ad ſubſellia philoſophorum ex gymnaſio transmiſſus adtentum ſe præbuit auditorem, & in penſo ſuo abſolvendo impigrum ſe præſtitit. Utriuſque laureæ philoſophicæ, prioris quidem a. 1645. poſterioris vero a. 1646. ornatus inſignibus, animum operamque ſtudio Juris addixit. Hoc cum aliquamdiu tractaſſet, Galliam petiit atque luſtravit; dein prudenti conſilio celebre illud Imperii dicaſterium, quod Spiræ viget, deinceps comitia Ratisbonæ tum habita viſitavit, ubi multa & ſapientiæ & prudentiæ civilis documenta percepit, quæ ipſi per vitam univerſam in publicis privatiſque negotiis filum Ariadnaeum præbuerunt. Sed & Italiæ potiorem partem peragravit, illiuſque quoque linguæ cognitionem ceteris adjecit. Redux in patriam factus, protinus publicis negotiis adhibitus & d. 15. Sept. 1654. Oratoriæ profeſſor, nec non eodem anno d. 19. Dec. J. V. D. fuit creatus. Triennio poſt ei ſociata fuit fœdere lecti *Eſther Steiger*, quæ quaterna prole eum ditavit. Sed hæc bona academiæ non fuere durabilia. Ab aliquo nempe tempore ex catarrhis ſubinde eum infeſtantibus valetudinis detrimenta eſt paſſus, donec aſthmate atque hydrope prorſus fuit oppreſſus d. 26. Apr. 1673.

Edidit diſſ. *ad Conſtitutionem Henrici* VII. *Imp. Rom.* C. unic. qui ſint Rebelles in Extrav. *maxime accommodatam*. Baſil. d. 25. Nov. 1654.

XIX. Joh.

XIX. Joh. Rodolphus Wettstein Burcardo in cathedra Oratoria ſucceſſit d. 19. Sept. 1673. in eaque perſtitit ad d. 4. Jan. 1684. quo ad Græcam fuit translatus. V. Prof. V. T. n. 17.

XX. Theodorus Zuinger concordibus ſuffragiis profeſſionem Eloquentiæ nactus d. 22. Febr. 1684. eandem diligenter adminiſtravit, dum d. 18. Febr. 1687. ad Phyſicam promoveretur. V. Prof. Medic. Pract. n. 12.

XXI. Samuel Werenfels ex cathedra Græca elocatus in cathedram Oratoriam d. 18. Febr. 1687. eandem ornavit, donec d. 15. Sept. 1696. ad profeſſionem Locorum comm. ac controverſiarum Theol. fuit evectus. V. Prof. V. T. n. 18.

XXII. Joh. Jacobus Battier, Profeſſor Rhetorices, dictus fuit Eloquentiæ Profeſſor d. 22. Sept. 1696. hancque cathedram occupavit, uſque dum eam cum cathedra Inſtitutionum Imper. & Juris publici commutare fuit juſſus d. 20. Sept. a. 1706. V. Prof. Codicis n. 23.

XXIII. Joh. Henricus Staehelin electus eſt Eloquentiæ Profeſſor d. 19. Oct. 1706. eamque docuit uſque ad d. 13. Oct. 1711. cum profeſſio Anatomiæ & Botanicæ ei fuit demandata. V. Prof. Anat. & Bot. n. 12.

XXIV. Nicolaus Harscher, d. 1. Mai. 1683. *Reinhardo Harſchero*, ſenatore, & *Roſina Gottfried* generatus, mature magna animi incitatione ad literarum ſtudia ferebatur, quam parentes neutiquam inhibere, ſed pro viribus promovere quæſiverunt. Ludi literarii curſum demetitus, & ad philoſophorum prælectiones a. 1695. admiſſus ingenuis artibus ſtudioque ſapientiæ totus vacavit; meritorum etiam præmia tulit conſueta, nempe a. 1697. primam & a. 1698. ſecundam lauream philoſophicam. His ornatus diſciplinis atque titulis in tribum podalirii intravit, & partim Baſileæ, partim Lauſannæ medicæ arti diligenter operam dedit. Diademate doctorali a. 1704. ſolenniter cinctus Apollini non ita fuit addictus, ut a Muſis eſſet averſus, quin iſtis diligenter litare perrexit, bonam gratiam ipſi iiſdem referentibus.

rentibus. Anno nempe 1706. exeunte, vocato in patriam *Jac. Chriſtoph. Iſelio*, Theologo, profeſſio Eloquentiæ & Hiſtoriarum, quam Iſelius Marburgo decedens vacuam reliquerat, ſic ſuadente Iſelio, Harſcherò oblata fuit, quam is quaſi de manu in manum traditam ſub initium menſis Februarii a. 1707. auſpicatus per quinquennium fere laudabiliter geſſit. Cum autem a. 1711. Baſileæ cathedra Eloquentiæ fuiſſet vacuefacta, ea extra ordinem abſque promulgatione d. 13. Oct. 1711. omnium calculis Harſchero fuit adſignata. Adiit eam d. 15. Apr. 1712. prælectione ſolemni *de ingenio & moribus hominum ex ſtylo æſtimandis*, eamque omni fide atque diligentia ad finem uſque vitæ adminiſtravit. Præter alia munia academica ei & cura Bibliothecæ publicæ fuit demandata, quam ſolertiſſime geſſit. Praxin etiam medicam diu atque frequenter, pie atque feliciter exercuit. In conjugio vixit ab a. 1712. cum *Suſanna Thierri*, quam ſine prole ſibi ſuperſtitem habuit, iteratis apoplecticis inſultibus d. 27. Oct. a. 1742. de amplexibus ejus avulſus.

Edidit diſſ. *de tono ventriculi & inteſtinorum naturali & præternaturali*, Baſ. 1704. *Specimen de uſu & præſtantia hiſtoriæ, inprimis recentioris*, ib. 1706. *Orat. in nuptias Job. Wilh. Friſonis* &c. Marb. fol. 1709. *Orat. in memoriam Phil. Jac. Tillemann*, Theol. Dr. & Prof. ibid. 1709. *hiſtor. vitæ Thom. Gauterii*, Theol. Dr. & Prof. ibid. 1709. *Orat. parentalem in ob. Job. Laur. Crollii*, Theol. Dr. & Prof. ib. 1709. *de divinatione Ciceronis diatriben*, ib. 1710. *Orat. in nuptias Dorotheæ Sophiæ*, Marb. 1710. Diſſ. *de ingenio & moribus hominum ex ſtilo dijudicandis*, ib. 1710. *Laudat. fun. principis Mariæ Amaliæ* &c. ibid. 1711. fol. *Programma de vario peroràntium ingenio & ſcopo*, ib. eod. fol. *Orat. in laudem Gallorum*, Baſ. 1712. Diſp. *de conditionibus, quibus naſcuntur reſpublicæ*, Baſ. 1718. *Poſitiones de reviviſcentibus iis, qui mortui credebantur*, Baſ. 1721. Diſp. *de variolis ſponte natura ſanabilibus*, 1724.

XXV. JOHANNES BERNOULLI, J. V. D. Societatis regiæ Berolinenſis ſodalis, majorum æque ac ſui ipſius nec non filiorum meritis prænobilis, genitus eſt Baſileæ d. 18. Maj. 1710. patre *Johanne Bernoulli*, Med. Doct. & Matheſeos Prof. omnis ætatis & memoriæ clariſſimo, matre vero *Dorothea Falckner*. Puer animo vivaciſſimus omniumque ſcientiarum capaciſſimus ſine ulla mora

confe-

ra confeſtim literis deſtinatus fuit atque initiatus. Pro ſingulari, quam adhibuit induſtria, ſub manu optimi parentis privatorumque magiſtrorum tantos in ſtudiis fecit progreſſus, ut jam a. 1721. dignus haberetur, qui academiæ civibus adſcriptus in arcana philoſophiæ penetralia intromitteretur. Amor autem ſapientiæ eum adeo tenuit, ut omnes in ea acquirenda nervos intenderet, nec deſiſteret, donec ad altiorem ejus gradum pervenerit. Scientiis itaque atque artibus philoſophicis præclare inſtructum ordo ſapientiſſimus dignis ſtudiorum atque laborum præmiis adfecit, & quidem prima Laurea d. 25. Maj. a. 1723. fuit coronatus, habita prius oratione *de nobiliſſimo conſpicillorum ocularium invento;* Magiſterii vero dignitate una cum *Leonhardo Eulero*, Matheſeos hodie profeſſore Petropolitano per univerſum orbem celebertimo, honoratus d. 8. Jun. 1724. in qua promotione publica oratione inveſtigavit, *utrum Galli præſtent Anglis inventorum phyſicorum & mathematicorum laude.* Jam altioribus inſudare cœpit diſciplinis & præſertim ad Juriſprudentiæ ſtudium ſeſe contulit, tanta diligentia, tantoque profectu in eo verſatus, ut a. 1729. ſuperatis cum laude examinibus & publica diſputatione maſcule defenſa Licentiam in utroque Jure & dein d. 27. Mart. 1732. ipſum Doctoratus gradum digniſſimus obtineret. Cum ſtudio Juris autem indiſſoluto nexu conjunxit diſciplinas philoſophicas, & in iis præſertim Matheſin, ſtudium illud paternum atque quaſi hæreditarium, quod licet diffuſum per omnes ejus partes diligentiſſime tractavit, patrem præeuntem preſſe ſecutus. Hæc, quam in mathematicis atque phyſicis ſcientiis comparaverat, inſignis peritia ei amicitiam peperit atque familiaritatem magni *de Maupertuis*, ſubinde Bernoullium patrem honoris atque amoris cauſa Baſileæ viſitantis, quæ cum illo, Bernoullio filio, facta amicitia per plures annos conſtans atque perpetua manſit, non niſi morte interrupta, quam ſummus ille vir in ædibus Bernoullianis lento morbo conſumtus paſſus fuit d. 27. Jul. 1759. cui cum defuncti uxore atque ſorore amicorum intimus Bernoullius noſter, in templo Dornacenſi prope Baſileam mauſoleum erigi curavit, nec non a. 1762. in ſolemni eruditorum panegyri parentavit. A. 1732. iter ſuſcepit Petropolim, *Danielem* fratrem, Mathematicæ ſublimioris profeſſorem, ibi viſitaturus. Hic

academiæ profeſſoribus per fratrem mox innotuit & in eorum conventus facilem habuit aditum, munus vero academicum ipſi oblatum non accepit, ſed ſequenti anno cum fratre illinc profectus Pariſios contendit, ubi a ſupra laudato domino *de Maupertvis* ambo fratres humaniſſime excepti, in Academiam ſcientiarum introducti, & in familiaritatem clariſſimorum virorum provecti fuerunt. In patriam reverſus utrumque ſtudium, juridicum atque mathematicum, diligenter continuavit, & pro nata occaſione aliquoties ſpecimina publica edidit pro cathedra vel juridica vel philoſophica obtinenda, ſed minus proſpero ſucceſſu; tandem dies alba illuxit, quæ ei profeſſionem Eloquentiæ paravit, quod accidit d. 17. Maj. 1743. hancque d. 9. Jul. 1743. lectione inaugurali, qua *ſortem* ſibi faventem laudavit, auſpicatus eſt. Hoc munere diligenter functus eſt, donec mortuo parente & in ejus locum *Jac. Chriſtophoro Ramſpeck* ſurrogato, profeſſionem Matheſeos, quam dictus *Ramſpeckius* ei generoſo animo obtulerat, quamque mutationem Reipublicæ Magiſtratus d. 7. Oct. 1748. non modo ratam habuit, ſed & Bernoullio additamentum ſalarii, quo pater uſus erat, itidem conceſſit, conſecutus, dieque 25. Oct. 1748. ſolenniter auſpicatus eſt. Interim a Marchione Bada Durlacenſi expetitus a. 1736. cum ipſo regiones Marchicas peragravit eique thermis Longoſteinbacenſibus uſo ſocius fuit adſcriptus. Anno 1738. pro deſiderio antiſtitum ſcholæ Bernenſis, vacante cathedra mathematica atque philoſophica Lauſannenſi, publicum edidit ſpecimen, tanto adplauſu acceptum, ut ab illius Reipublicæ magiſtratu moneta aurea honorifice dono ipſi fuerit oblata. A. 1739. comitabatur Dominum de *Maupertvis* in *Cirey*, ubi aliquamdiu commoratus eruditæ Marggraviæ *de Châtelet* in notitiam venit. A. 1742. eruditorum viſendorum cauſa Genevam adiit, & a. 1745. cum domino *de Maupertvis* obſidionem Friburgi Briſgoienſis viſurus animi gratia brevius iter confecit. Ceterum aliquoties problemata Academiæ Scientiarum Pariſienſis diſſolvere fuit conatus; nec ſine ſucceſſu, ut qui a. 1736. cum quæſtio eſſet *de propagatione lucis*, præmium propoſitum ſolus obtinuit. A. 1737. ipſe ut & frater *Daniel* præmium accepit ob demonſtratam *aptiſſimam anchorarum figuram, methodumque eas fabricandi atque tentandi optimam.* A. 1741. præmii

præmii duplicati quartam partem fuit adeptus ob propositionem *de Carbestano* optime solutam; denique a. 1746., cum quæstio esset *de natura atque proprietatibus magnetis*, triplicati præmii, L. 7500. tertiam partem fuit sortitus; cum fratre nempe *Daniele* composuerat in hanc materiam dissertationem sub titulo: *Nouveaux principes de mechanique & de physique tendans à expliquer la nature & les proprietés de l'Aiman*; ejusdem præmii tertiam partem obtinuerat Dominus Prof. *Leonh. Euler*, Basil. & D. *du Tour* Correspond. Acad. Paris. quæ tres dissertationes occurrunt in actis Acad. Paris. a. 1748. Connubia autem Bernoullius noster conjunxit felicissima d. 10. Febr. 1744. cum *Susanna Kœnig*, *Emanuelis Kœnig* Med. Doct. & Prof. filia, quæ quinque filios ex eo peperit, *Johannem*, J. V. D. Astronomum regium Berolinensem; *Emanuelem*, mercatorem; *Danielem*, Med. Doct. Physices Prof. vicarium; *Nicolaum*, arti chimicæ atque pharmaceuticæ operam dantem, & *Jacobum*, J. V. L. huic fratrum quinioni illustri eximius in monetis excudendis artifex, *Vlricus Samson*, Basilienſis, effigiem patris pulcherrime æri incisam dedicavit a. 1767. D. 4. Febr. 1747. Bernoullius noster regiæ Borussicæ Societatis Scientiarum sodalis fuit adlectus. Præter alia munera academica præclare gesta a. 1772. cum amplissimo *Falcknero* Academiæ nomine legationem subiit ad Reverendissimum Episcopum Basilienſem, Procancellariatus continuationem solenniter petiturus, qua & egregie fuerat functus.

Edidit dissertationem inauguralem *de Compensationibus.* 1729. *Theses juridicas ex vario Jure desumtas.* 1731. *Theses Rhetoricas*, eod. *Theses ex Jure naturæ*, eod. *Reponse a une lettre Anonime sur la figure de la terre.* Journ. Helvet. 1740. Mens. Sept. p. 219. *Theses Oratorias.* 1743. *Theses juridicas miscellaneas.* 1746.

XXVI. Jacobus Christophorus Ramspeck, natus Basileæ d. 6. Sept. 1722. ex *Jac. Christophoro Ramspeck*, pastore Elisabethano & *Dorothea Linder*, ingenium felix ad capessendum literarum cultum citius adpulit atque studiosius. In scholam patriam ductus elementa literarum ac pietatis celeriter hausit, & præsertim in græcis latinisque literis tantum profecit, ut dignus judicaretur ab ordine sapientissimo, qui a. 1734.

ad lectiones publicas promoveretur. In ſtudio philoſophico ordine proceſſit atque diligenter. Literaturam græcam atque latinam ad ductum optimorum præceptorum gnaviter fuit profecutus, omnis generis auctores ſtudioſe evolvendo atque in uſum ſuum convertendo. Logicam etiam atque Ethicam, Phyſicam atque Matheſin non obiter ſed exquiſito ſtudio atque judicio excoluit. Honoribus itaque, ut erat digniſſimus, a magiſtris fuit adfectus; & quidem prima Laurea cinctus erat d. 5. Jun. 1736. a *Joh. Balth. Burcardo*, Rhet. Prof. poſtquam orationem habuit *de ratiocinationis præſtantia*; anno autem 1738. ſumma in philoſophia dignitas ei fuit decreta, quam ut legitime impetraret, abſque præſide, rariſſimo exemplo, theſes varias hiſtoricas d. 14. Febr. 1738. maſcule defendit. Ipſa vero hæcce dignitas doctoralis philoſ. ei abſenti, Ebroduni nempe addiſcendæ linguæ gallicæ cauſa tum commorabatur, a *Joh. Bernoullio*, Matheſ. Prof. d. 3. Jun. 1738. fuit collata. Domum reverſus de certo vitæ genere ſerio cogitare cœpit, & ut ſecundum poëtam *naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ*, animum ad medicinam inclinantem fuit ſecutus. Profeſſores itaque alioſque Medicinæ doctores avidiſſime audivit, iterumque methodum rectam atque deliberatam, optimam in diſcendo magiſtram, rite ſervavit. Cum autem latiſſimos artis apollineæ campos ſumma cum laude maximoque cum fructu decurrit, & examina æque ac publicam diſputationem pro gradu doctoris medici obtinendo a. 1745. cum adplauſu ſuperavit, majoris ingenii cultus gratia exteras academias adiit, & primo quidem per Gieſſam, Marpurgum, Gotham, Erfurtum, Jenam, Halam, Lipſiam, atque Wittenbergam, ſalutatis ubique eruditis, Berolinum ſe contulit, & majores in Anatomia, Chirurgia, Botanica, nec non praxi Medica, magnum noſodochium, *Charité* dictum, frequenter adeundo, fecit progreſſus. Hinc *Cartheuſerum* & *Carolum a Bergen* inviſurus, Francofurtum ad Oderam excurrit. Berolinum autem reverſus decem menſium commorationis ſpatium explevit. Hinc peragrato Magdeburgo & Helmſtadio, ubi *Heiſterum* ſalutaverat, Gottingam contendit, ibique ſtudia medica diligenter continuavit, ſectatus præcipue *Hallerum*, cujus & ſingularem favorem meruit, & cum quo in ſylvam hercyniam, montem bructerum - - - excurſum botanicum decem dierum perfecit.

fecit. Elapso integro anno mense Dec. 1747. relicta Gottinga Lutetiam abiit, Anatomiam atque Chirurgiam, itemque praxin medicam perfecturus; hic præcipue *D. Ferreinium*, nec non publica nosodochia frequentavit. Sequente anno reditum in patriam, ubi eum diligentiæ atque eruditionis præmia atque honores manebant, paravit, atque mense Junio instituit. Salvus suis redditus, & d. 8. Jul. 1748. doctoris medici insignibus exornatus, illico d. 6. Sept. 1748. specimen pro cessante professione mathematica exhibuit, quam & d. 10. ejusdem mensis & anni forte obtinuit; eandem vero statim cum cathedra Eloquentiæ, quam *Joh. Bernoullius* ornaverat, consensum reipublicæ magistratu d. 7. Oct. 1748. largito, commutavit, eamque Eloquentiæ cathedram d. 12. Nov. 1748. solenniter auspicatus est. A. 1753. iter botanicum instituit in Helvetiam, & montana Glaronensia atque Rhætica diligenter perlustravit. Notitiam Botanicam atque Anatomicam magis adhuc ampliaturus, consentientibus Academiæ proceribus, mense Augusti 1755. iter in Belgium suscepit, & Lugduni Bat. subsistens *Albinum*, *Gaubium*, *Muschenbroeck*, *van Royen*, *Allamand* - - - docentes audivit, hortosque botanicos sæpe invisit. Julio 1756. in Angliam trajecit, Londini innotuit domino *Collinson*, *Parsons*, *Hunter*, *Phil. Miller*, cujus hortum botanicum in *Chelsea* situm sæpius lustravit, & inprimis Archiatro regio, domino *Paingle*; nec intermisit & hic nosocomia celebriora invisere. Sub finem Nov. 1756. petiit Oxonium, quæ ibi literatis memorabilia occurrunt, maxime autem hortum botanicum *Dillenii*, observaturus. Anglia relicta Parisios denuo petiit, Anatomicas demonstrationes *Ferreinii* & *Antonii Petit* sedulo frequentans; institutionem etiam in chymia experimentali a *Dn. Rouelle*, itemque in arte obstetricia a modo dicto *D. Petit* & *D. Levret* percipiens. Tempore verno atque æstivo a. 1757. Botanicæ præcipue operam dedit, favore singulari usus *D. Bernh. de Jeussieu*, quem quotidie fere in horto regio familiariter adlocutus & botanicos excursus facientem semper est secutus, qua occasione plures plantas rariores invenit herbarioque suo inseruit. Denique mense Aug. 1757. in patriam redux officii publici negotia strenue gessit, etiamque artem clinicam diligenter exercuit. Mense autem Junio 1766.

ipſo petente, graviſſimum Gymnaſiarchæ munus in eum fuit translatum, cui etiamnum præeſt.

Edidit *faſciculum theſium hiſtor.* 1738. *Schediaſma rhetoricum* a. 1741. *Meletemata philologica*, 1744. diſſ. *de Cambyſe, ſecundo Perſarum rege*, 1744. *Bigas remediorum praſtantiſſimorum; Infuſi reſinoſi atque olei Cajeput*, 1745. *ſpecimen theſium mathematicarum*, 1748. *ſpecimen obſervationum Anatomico phyſiologicarum atque botanicarum* I. 1751. II. 1752. Etiam in epiſtolis eruditorum virorum ad *Alb. Hallerum* miſſis plures occurrunt, quæ eum auctorem agnoſcunt, omnes botanici argumenti, ut P. 1. V. 2. n. 367. 373. 380. 381. 386. 392. 402. T. 3. n. 449. 464. 505. 528. 578. 598. 629. 668. V. 4. P. 4. n. 3. & 9.

XXVII. Joh. Jacobus D'Annone, J. V. D. Reip. Syndicus, Fac. Jurid. Baſ. adſeſſor, Societatis Amicorum Naturæ Curioſorum Berolinenſis, Academiæ item Etruſcæ Cortonenſis, nec non Societatis Phyſ. Baſ. ſodalis, Juris, Naturæ, atque Antiquitatum indagator ſtrenuiſſimus, natus eſt d. 12. Jul. 1728. patre *Joh. Jacobo d'Annone*, matre *Magdalena Bernoulli*, *Nicolai*, ſenatoris, filia. Puer ingenii maturitatem celeriter adſecutus literiſque citius initiatus, primum gymnaſium publicum intravit, ejuſque claſſes tam laudabiliter percurrit, ut novem præmiis acceptis ex eo ad academiam tranſmitteretur. Hic, ingenio optimo præditus, linguas eruditas, literas humaniores, arteſque ingenuas citius atque accuratius didicit, tamque felices in ſtudiis fecit progreſſus, ut honeſtiſſima eruditionis & virtutis teſtimonia, primam ſcilicet Lauream d. 2. Jun. 1744. & philoſophiæ doctoris dignitatem d. 8. Jun. 1745. aufferret. Jactis itaque artium & linguarum fundamentis, & eruditionis nactus inſignia, recta via Jurisprudentiam eſt adgreſſus, ſtudiis philoſophicis haudquaquam neglectis. Ducem inprimis eſt ſecutus *Nicolaum Bernoullium*, J. V. D. ac Prof. nec non primæ magnitudinis Mathematicum, avunculum ſuum optimum, a quo matheſin puram atque adplicatam, itemque juris omnis elementa percepit, quoque duce ad ſublimiorem in hiſce ſcientiis gradum adſcendit. Huic autem latiſſimo licet campo ſe nondum incluſit, ſed in proximas diſſitaſque ſcientiæ regiones exſpatiatus, hiſtoriam univerſalem & ſpeciatim helveticam excoluit; matheſi phyſicam junxit; antiqui-

antiquitates omnis generis, præſertim Romanas, diligenter excuſſit, hiſtoriæque literariæ atque naturali plurimum eſt operatus. Collegit etiam bibliothecam copioſam atque pretioſam, omnium facultatum rariores atque præſtantiores codices complectentem. Nec non multum operæ ac ſumtuum impendit in nummis græcis, romanis, helvetiis, præſertim baſilienſibus, nec non rebus naturalibus, marinis atque terreſtribus, metallicis, petrefactis, aliiſque colligendis; ut adeo cimeliarchium *Annonianum* inter celebriora ſit referendum; illud etiam ab exteris cum delectatione perluſtratur, ipſe vero poſſeſſor tanquam muſeum vivum & in rebus dubiis certum oraculum a civibus & exteris conſulitur. Interim a. 1749. matrimonio ſibi junxit *Annam Margarethan Burcard*, *Joh. Jacobi*, ſenatoris integerrimi, filiam, qua adjutrice adhuc utitur fidiſſima atque ſuaviſſima. Ceterum d. 24. Oct. 1752. ſummo ſuo merito J. V. D. creatus fuit atque proclamatus. Etiam Academia tantum virum ſibi vindicare ſtuduit, quod autem per ſortem non licuit uſque ad d. 12. Sept. 1766. quo Eloquentiæ profeſſor fuit electus; ad ſuperiora ab illo tempore adſcendiſſet, niſi ſors obſtitiſſet iniqua. Interim publicis privatiſque lectionibus commoda ſtudioſorum promovere omni ſtudio laborat. Reipublicæ etiam Magiſtratus a. 1774. eum Advocatum ſuum ſ. Syndicum Reipublicæ dixit, quo graviſſimo munere omni fide, integritate atque prudentia, cunctis amatus atque honoratus, fungi pergit. Utinam ſerius illa ſubſequatur dies, quæ cœlo reddat Virum a cœlo acceptum!

Hactenus edidit d. 30. Aug. 1748. *ſolutionem tergemini problematis arithmetici, geometrici & aſtronomici*; d. 12. Jul. 1754. *Adumbrationem vitæ geſtorumque Imp. Traiani*; d. 12. Sept. 1760. *ſpecimen philoſ. vacante Juris nat. & gent. cathedra*; d. 25. Maj. 1751. diſſ. *de Uſuris & Interuſurio.* d. 23. Sept. 1757. *farraginem Obſervationum Jurid.* d. 25. Apr. 1760. *Specimen jurid.* In Actis Helv. Phyſ. Med. V. 2. *de Balanis foſſilibus, præſertim agri Baſil.* ib. V. 3. *de cancris lapidefactis Muſei ſui.* ib. *obſervationes meteorologicas Baſileæ inſtitutas*; ib. V. 4. *de Petrificatis quibuſdam minus cognitis. Epiſtolam ad J. Henr. Reſpingerum*, Med. Doct. *Obſervationes Meteorologicas factas Baſileæ* a. 1757. ib. V. 5. *obſervationes meteorol.* a. 1759. V. 6. *obſerv. meteor.* a. 1760. Superius memorata tractatio *de Petrificatis quibuſdam minus cognitis, una cum obſervationibus litholo-*

litbologicis, de Balanis foſſilibus & de Cancris lapidefactis, modo adlatis, germanice verſa legitur in *Delectamentis mineralogicis* (mineralogiſche Beluſtigungen) Lipſ. 1770. 8. Tom. V. p. 53—62. 147—175. Porro edidit *deſcriptionem trium ſpeciminum* Quarzi verſicoloris (*Schielerquarz*) *ex terra* Labrador, *cujus incola nomine* des Eskimaux *deſignari ſolent, quæ adſervantur in Bibliotheca Acad. Baſil. publica, inſertam Commentar. Societatis Amicorum Nat. Curioſ. Berol.* (Beſchæftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde) T. 3. 1777. 8. p. 173—181. *Epiſtolas 2. ad Cel.* de Murr, *notitiam librorum aliquot variorum, & ſymbolam ad hiſtoriam artis* Xylographicæ & Chalcographicæ, *ſubminiſtrantes, ſubjuncto Indiculo Tabularum nonnullarum ligno ac æri inciſarum, ex vetuſtioribus ac rarioribus, Bibliotheca publica Baſilienſis, inſert. Diar. Cel. de Murr* (Journal zur Kunſtgeſchichte und zur allgem. Litteratur Norimb. 1776. 1777. 8.) P. IV. p. 51—55. P. V. p. 3—30. p. 195—201. *Notis illuſtravit Cel.* Du Cange *diſſertationem* de Imperatorum Conſtantinopolitanorum ſeu de inferioris ævi, uti vocant, numiſmatibus, *ſubjunctam novæ Gloſſarii Ducangiani editioni, quæ prodiit Baſil.* 1762. T. 3. fol. *Præterea ad ſplendidiſſimum opus* Knorrianum, *quod Corpora lapidefacta exhibet ære ſuiſque coloribus expreſſa, Norimbergæ* a. 1755—1773. 4. *Voll. fol. editum, ibidemque etiam gallice, & Amſtelod.* 1773. *belgice converſum, ſuam contulit ſymbolam* LX. *circiter continentem Tabulas Delineationum, variorum Muſei ſui Corporum lapidefactorum, quorum deſcriptionem cum Cel.* Walchio, *commentariorum opus illuſtrantium auctore, communicavit.*

PROFESSORES LOGICÆ.

I. Simon Sulcer, A. L. M. a. 1532. Logicam profeſſus eſt publice; paulo vero poſt Bernam fuit profectus, humaniora ibi traditurus. V. Prof. V. T. n. 5.

II. Hieronymus Artolphus, Rhætus, ſecundum Vrſtiſium in MS. Logicam docuit a. 1540. V. Prof. Medic. n. 7.

III. Vlricus Hugobaldus Logices Profeſſor fuiſſe legitur a. 1541. eodem vero anno ad Ethicam translatus. V. Prof. Pædag. Cl. 2. n. 1.

IV. Seba-

IV. SEBASTIANUS LEPUSCULUS (*Hæslein*) natus est a. 1501. in Basilea minori. Studiis dicatus & a. 1520. Academiæ civibus adscriptus, licet multum in literis fuerit progressus, sero tamen gradus academicos admisit, præferens, eosdem plus satis mereri, quam præpropere accelerare; hinc ætate jam gravis 1. Oct. 1538. cum *Jac. Wildio*, *J. Frid. Munzingero*, *Marco Hoppero* & *Severino Erzbergero*, qui singuli literis inclaruerunt, gradu Baccalaureatus, & triennio post d. 4. Jan. 1541. cum *Vdalr. Hugwaldo*, *Anton. Wildio*, *Marco Hœpperle* & *Sever. Erzbergero* Magisterii gradu fuit condecoratus. Literis elegantioribus æque ac studio theologico multum operæ impendit, hinc & ad munera academica atque ecclesiastica fuit adhibitus. A. 1536. pastor creatus fuit in nosodochio; dein 8. Id. Febr. 1538. præceptor collegii sapientiæ apud Dominicanos, & eodem anno Diaconus ecclesiæ transrhenanæ fuit constitutus. A. 1542. professio Logica ei fuit demandata, quam in Organum Aristotelicum prælegendo administravit. A. 1545. ad pastoratum apud Franciscanos atque in nosodochio rediit. Sequente anno 1546. Augustam Vindelicorum abiit, inde tamen a. 1549. rediit & professionem Linguæ Græcæ obtinuit, auditoribus Homerum exponens. Ab hac professione iterum transiit a. 1556. ad aliam, nempe Hebræam, & denique a. 1560. Archidiaconus S. Templi fuit electus, ab ipso ejusque ædibus parochialibus angiportus ille, ubi sitæ sunt, nomen *angiportus Lepusculi* (*des Hæslins Winckel*) obtinuit. Ceterum vir erat pius, doctus, dexter, facundus, laboriosus, blandus, jucundus, Theologus, Philosophus, Philologus; eo d. 4. Sept. 1576. defuncto jacebant pii lepores atque gratiæ.

Edidit *Sim. Grynæi*, quem præceptorem veneratus adeo diligenter frequentaverat, ut, quemadmodum ipse testatur, ne unicam quidem lectiunculam, quas in l. 8. Topic. Aristotelis habuit, neglexerit, *commentarios in l. 8. Topic. Aristot. præfatione illis præfixa, qua ecclesiæ & academiæ Basil. statum, qualis a. 1546. fuerat, describit.* Item *Josephum de bello Jud. hebr. & Lat. ex versione Munsteri; de suo autem addidit varia collectanea rabbinica de decalogo, de decem captivitatibus Jud.* &c. Basil. 1559. 8.

V. CON-

V. CONRADUS LYCOSTHENES docuit Logicam Cæsarii a. 1544. Professione autem sese abdicavit, Diaconus Leonhardinus a. 1545. electus. V. Prof. Pædag. Cl. 1. n. 1.

VI. MARCUS HOPPERUS, A. L. M. & J. V. D. nec non Linguæ Græcæ professor, Logicam legere cœpit a. 1545. & in utraque hac professione perrexit, donec a. 1549. Physicæ Professor denominaretur. Vid. Prof. Institut. n. 3.

VII. JOHANNES ACRONIUS, aliis *Atrocianus*, natale solum habuit Frisiam, hinc Frisius & Phrysius solet vocari. Basileam juvenis studiorum gratia adiit & Academiæ nomen dedit a. 1542. Literas elegantiores, inprimis disciplinas mathematicas, excoluit diligentissime, hinc & mature laboris atque meritorum præmia accepit. Cum enim d. 21. Oct. 1545. primæ Laureæ, & d. 6. Jul. 1547. Magisterii philosophici ornamentis fuisset cohonestatus, eodem anno 1547. professio mathematica ipsi fuit commissa, quam, dum vixit, retinuit, & omni fide gessit, maximo auditorum emolumento, in quibus & fuit *Christian. Vrstisius*, qui ipso fidissimo præceptore se usum fuisse gratus agnovit & in minori suo Chronico publice est confessus. Huic muneri proceres academiæ addiderunt aliud, professionem Logices a. 1549. ei demandantes, quam cum matheſi administravit ad a. 1553. quo Logica ei fuit remissa. Præter hæc studia philosophica etiam studium Medicum diligenter tractavit, Theoriæ atque Praxi ejusdem omnem operam impendens, utque cum aliqua dignitate medicinam exerceret, ab ordine gratioso publicum testimonium petiit, quod & facile obtinuit, d. 2. Maj. 1564. a Felice Platero publice Medicinæ Doctor creatus. Obtigit autem mors viro huic doctissimo & de multorum studiis optime merito ex peste d. 18. Oct. 1564.

Scripsit *Chronicon; elegiam de bello rustico; epigrammata*, Friburg. Brisg. 1528. *scholia in Æmil. Macrum*, ibid. 1530. *de miraculorum effectibus*, Bas. 1561. 8. *Querelam carmine elegiaco de Bello rusticano in Germania &c.* Hanov. 1611. *Homiliam ad bonas literas exhortatoriam*, Bas. 1569. l. *de sphæra & terræ motu; prognostica astronomica; commentationem de Astrolabii & annuli astronomici confectione; nec non historiam*

floriam Davidis Georgii, *vel, ut se Basileæ vocaverat*, Johannis de Bruck, *cum argumento ejus doctrinæ*, 45. *Aphorismis expresso. Non tantum enim linguæ Batavæ, qua Georgius iste libros suos exaraverat, erat peritissimus, sed & ipsius Georgii ob pietatem, quam præ se ferebat, amicus satis familiaris. Hinc factum, ut magistratus Basilienses, detecta Davidis Georgii jam a triennio defuncti fraude & erronea doctrina, præcipue Acronii nostri opera, traditis ei scriptis, quæ in arce Binningensi arcæ ferreæ inclusa atque alibi in ædibus Georgianis reperta fuerant, tanquam testis certi atque oculati uteretur. Res ita fuerat peracta, ut a.* 1559. *Georgii cadaver jam a triennio fere in templo S. Leonhardi sepultum e terra effossum & in loco supplicii consueto ante portam lapideam una cum ejus libris per carnificem fuerit combustum.*

VIII. PHILIPPUS BECHIUS, Medicus, Logicam professionem adiit a. 1553. eaque functus est ad a. 1560. quo vita decessit. V. Prof. Pædag. Cl. 1. n. 4.

IX. VLRICUS COCCIUS, Ecclesiastes Martinianus, vocatur ad Logicam publice docendam a. 1560. & licet a. 1562. pastor Petrinus constitueretur, tamen professionem hanc retinuit, donec d. 20. Nov. 1564. professionem N. T. obineret. V. Prof. N. T. n. 5.

X. JOHANNES FUEGLINUS, Professor Rhetorices, eligitur Logicæ Professor a. 1564. & in hac cathedra subsedit ad a. 1571. ad Eloquentiæ cathedram promotus. V. Prof. Pædag. Cl. 2. n. 3.

XI. JOH. NICOLAUS STUPANUS, Med. Doct. & Eloquentiæ Professor, Logicam professionem nactus d. 1. Febr. a. 1571. ea functus est, donec a. 1575. ad professionem Organi transiret. V. Prof. Med. Theor. n. 7.

XII. JOH. BEATUS HELIUS, A. L. M. Professor Logices constituitur a. 1576. quam spartam d. 31. Maj. 1580. cum professione Eloquentiæ permutavit. V. Prof. Eloquentiæ n. 10.

XIII. PHILIPPUS SCHERB, Med. Doct. Logicæ professor designatus a. 1580. hanc provinciam administravit per quadriennium; vices autem permutavit d. 5. Febr.

Digitized by Google

Febr. 1584. ad Ethicam tranſeundo. V. Prof. Med. Theor. n. 6.

XIV. HENRICUS JUSTUS, Rhetorices in pædagogio profeſſor, in Academiam ad docendam Logicam arceſſitus fuit d. 5. Febr. a. 1584. profeſſionem auſpicatus eſt d. 25. Mart. 1584. & perrexit ad a. 1587. Ethicæ tunc profeſſor conſtitutus. V. Prof. pædag. Cl. 2. n. 7.

XV. THOMAS COCCIUS, Med. Doct. & Prof. Poeticæs in pædagogio, Julio in cathedra Logica ſucceſſit d. 6. Apr. 1587. ſed menſe Septembri 1589. Ethicam docere fuit juſſus. V. Prof. pædag. Cl. 2. n. 6.

XVI. MARTINUS CHMIELECIUS a Chmielnick lumen foliis vidit primum Lublini, nobili Poloniæ civitate d. 5. Nov. a. 1559. patre uſus *Johanne Chmielecio* a Chmielnick, matre *Catharina Sczuka*, Stanislai Sczukii de Sczuka filia, adeoque parente utroque ex ordine equeſtri. Literis devotus atque in patrio ludo pro ætate imbutus Baſileam venit a. 1577. illuc ob præclaram indolem atque induſtriam eum vocante generoſiſſimo *Johanne Oſmoſski* L. Barone in Prawieniki. Lares hujus viri, quibus adſcriptus erat, ea fide & religione coluit, ut non modo ipſius adfectum ſed & præmia ampliſſima meruerit. Muſis etiam litavit animo pio, a. 1578. ad lectiones publicas cum laude promotus. Præter philoſophiam diligentem operam dedit Medicinæ, eo in hac arte progreſſus, ut d. 30. Maj. a. 1587. phœbeam lauream ex manibus *Felicis Plateri* publice acciperet. Hac viri diligentia atque eruditione delectati proceres academiæ, eum a. 1589. Logicæ profeſſorem conſtituerunt, quam provinciam per annos 21. integros omni, qua debebat, fide adminiſtravit. Hinc autem d. 18. Dec. 1610. ad profeſſionem Phyſices vocatus eidem dexterrime per annos 22. præfuit. Membrum fuit collegii philoſophici atque medici, hinc & utriuſque ordinis decanatum aliquoties geſſit. Artem clinicam diligenter, prompte & cum ſingulari humanitate ac comitate exercuit, ut vere *gratioſus Medicus* audiret, non tantum a civibus noſtris ſed & ab exteris, imo a principibus, deſideratus, ut qui duorum Epiſcoporum Baſilienſium Archiatrum egit. Bina etiam vice Academiæ nomine legationem ſubiit ad Epiſco-

Digitized By Google

Episcopum Basil., academiæ nostræ Cancellarium, una a. 1608. cum *Ludov. Iselio* JC. ad *Wilhelmum Rinck* de Baldenstein; altera a. 1629. ad *Henricum ab Ostein* cum *J. Jac. Faschio* JC. Successive tres habuit uxores: primam, *Christinam Zuinger*, Theodori Medici filiam, & *J. Wern. Huberi*, Medici, viduam duxit a. 1588. quina prole ex ea suscepta. Haec d. 1. Oct. 1610. defuncta, ad secunda vota transiit cum *Christina Werenfels*, quæ filium ei peperit unicum; hac quoque a. 1619. ex hydrope sublata, ad tertium matrimonium accessit cum *Vrsula Vrstisen*, Christiani Vrstisii, Theologi, historici, mathematici & archigrammatei filia, cum qua reliquum vitæ exegit; cursum absolvit fulmine apoplectico tactus d. 3. Jul. 1632. Reliquit ex primo conjugio filium studiorum laudisque paternæ ex asse hæredem, *Joh. Lucam*, qui a. 1621. Basileæ Medicinæ Doctor creatus & a. 1628. Mullhusium vocatus Poliatri, senatoris, quæstoris atque consulis munera dexterrime gessit, a. 1662. ibi fato defunctus; relicto itidem filio *Martino*, Medic. Doct. qui etiam Mullhusii Consul obiit a. 1694.

Ejus exstat diss. *de humoribus*, Basil. 1619. it. diss. *de elementis*, ib. 1623.

XVII. Joh. Fridericus Wertenberg in hanc lucem editus est a. 1572. patre *Marco Wertenberg*, senatore, matre *Vrsula Rewia*. Literis destinatus non adeo mature, neque enim juventus illis temporibus ut nostris ante ætatem sapere cogebatur, sed justa ætatis & judicii maturitate ad studia literaria accessit, Academiæ demum a. 1593. insertus, Baccalaureus d. 6. Nov. 1594. A. L. M. d. 17. Febr. a. 1596. formatus. Felicissime interim in utroque & philosophico & medico studio, quod post acceptum magisterii artium gradum est amplexatus, perrexit, Doctoris Medici titulo, insignibus & privilegiis multo suo merito d. 23. Jul. 1601. decoratus. Medicinæ practicæ sedulam dein navavit operam pius, candidus atque sincerus, civibus atque exteris charus atque gratus. Connubium iniit a. 1604. sed prole destitutum. Professio Logicæ ei data fuit d. 18. Dec. 1610. quam, quamdiu vixit, magno studiosorum fructu administravit. Juventuti studiosæ & post fata profuturus Academiæ certam pecuniæ summam legavit, ex cujus reditibus annuis industria & conatus studiosi egeni foverentur. Ex quo acidularum potu non usque adeo feliciter

liciter eſt uſus, ſubinde graviter fuit adfectus, donec per menſem integrum morbo lectoque detentus ſupremum diem obiit d. 10. Jan. 1630.

Edidit diſſ. *de ſuffuſione oculorum*, Baſ. 1601.

XVIII. FELIX PLATER natalem habuit d. 1. Aug. 1605. parentes vero *Thomam Platerum*, Med. Doct. & Prof. itemque *Chriſchonam Jeckelmann*. Ab his itemque a patruo *Felice Platero*, Med. Doct. ac Prof. prole carente, literis moribuſque optimis initiatus fuit atque innutritus, idque pro optima ejus indole feliciſſimo cum ſucceſſu. A. 1621. ad audiendas publicas philoſophorum lectiones admiſſus liberalibus diſciplinis adſiduam operam dedit, tantoſque in iis fecit profectus, ut d. 26. Nov. 1622. primæ Laureæ, & d. 11. Maj. 1624. doctureæ philoſophicæ dignitatem reportaret; habita in prima promotione oratione in ſenſum oraculi Apollinis: γνωθι σεαυτον; in ſecunda vero verba fecit *de viribus magnetis*. His ita præſtructis, ſtudium avitum, medicum, excolere cœpit, patruum præcipue, patre præmature defuncto, ducem ſecutus. Sed & exteras regiones adire conſtituit & a. 1626. iter in Galliam, Angliam atque Belgium ſtudiorum cauſa ſuſcepit; quo feliciter finito, præviaque exquiſitiſſima vitæ, morum & doctrinæ cenſura d. 28. Jul. 1629, ſummum doctoratus Medici axioma accepit. Eodem etiam anno matrimonium iniit cum *Helena Epiſcopia*, Nicolai Epiſcopii Reip. Baſ. a conſiliis ſecretioribus, filia, ex qua 14. liberos ſuſcepit, ex quibus 8. præmiſit, ſex autem ſibi ſuperſtites habuit, in his *Felix* etiam Medicinæ operam dedit, & pro gradu doctoratus obtinendo ſpecimen diſputatorium edidit, poſtea vero rei militaris labores ſuſcepit, & a. 1672. centurionem & a. 1689. tribunum militum egit, ſequente autem anno 1690. militiæ valedixit; alter filiorum *Franciſcus*, Medicinæ Doctor, 40. annorum ſpatio Medicinam feliciter exercuit, & d. 17. Nov. 1711. diem obiit hujus familiæ ultimus. Platerus noſter mox a conjugio contracto profeſſoribus adnumeratus & d. 3. Nov. 1630. profeſſor Logicæ & d. 15. Mart. 1633. profeſſor Phyſicæ fuit denominatus. A. 1651. Poliatri officium a civitatis magiſtratu ei fuit commiſſum, quibus aliiſque muneribus qua fide debuit, quibus viribus potuit, impiger præfuit

præfuit. Poliatri munus biennio ante obitum ob vires corporis imminutas depositum in *Bernh. Verzascham*, Med. Doct. senatorem atque scholarcham transtulit. Sed munere academico professoris citius sese abdicavit, & jam mense Septembri a. 1656. dimissionem petiit. Senatus acad. una alterave vice ea de re habita deliberatione, æquum & utile duxit, eum privatim per amicos de dignitate acad. retinenda monere & hortari. Verum stetit sententia semel concepta, cui tandem ordo acad. adsensus honorificam a professione dimissionem indulsit. Dimissus non tam ipse Reipublicæ operam dedit, quam ad ejus partes studiose fuit protractus; primum fori judiciarii, dein matrimonialis adsessor & tandem a. 1664. senator electus. Praxin autem medicam, quamdiu per vires licuit, diligenter exercuit, & de ea hoc memorabile invenimus, eum nec pharmacopolis nec chirurgis magnum lucrum conciliasse, dum phlebotomiæ usum rarius consuluerit, & sumtibus ægrotorum parcens medicamenta pauca tantum, eaque simplicia atque obvia, plerumque adhibuerit. Ipse denique post diutinos scrophulariæ dolores toleratos ex phthisi obiit d. 3. Jun. 1671.

Edidit: *decades* 4. *thesium philos.* a. 1632. *Theoremata ex philosophia*, eod. *theoremata de physicæ genere*, 1634. *theoremata de physicæ subjecto*, eod. *theoremata philos.* 1637. disp. *de visu*, 1639. disp. de *meteoris in genere & speciatim de ignitis*, 1640. disp. *de stellis in genere*, 1641. disp. *de materia*, 1643. disp. *de motu*, eod. disp. *de maris æstu*, 1644. disp. *de locinatura*, eod. disp. *de influxu astrorum*, eod. disp. *de elementis*, eod. disp. *de magistratu*, 1645. disp. *de meteoris aqueis*, eod. disp. *de toto & partibus*, 1646. *quæstiones* philos. eod. disp. *de anima hominis*, eod. disp. *de iride*, eod. *theses miscell.* 1648. disp. *de causa & causato*, 1651. disp. *de mundo*, 1654. disp. *de virtute heroïca*, 1655. disp. *de fortitudine*, eod. *quæstionum medicarum centuriam*, 1656.

XIX. Joh. Jacobus Hagenbach natus d. 18. Febr. 1595. parentes veneratus est *Beatum Hagenbach*, senatorem, & *Catharinam Henck*. Hi observata in puero indole satis felici eum studiis manciparunt & gymnasii disciplinæ tradiderunt. Intra hos carceres stetit ad a. 1611. quo ex iis emissus & stadium academicum feliciter ingressus ad metam strenuus decurrit & alteram laurum d. 8. Jun. 1613. alteram, quæ magisterii est, d.

21. Mart. 1615. meruit atque accepit. Summa dein animi alacritate & fervente ardore ſtudium medicum adgreſſus, in patria primum privata induſtria atque publica profeſſorum inſtitutione ſolidiora artis medicæ jecit fundamenta, dein vero fama *Guilielmi Fabricii Hildani* permotus a. 1619. ad eundem Bernam commigravit, & triennio integro ibi ſubſtitit. Eximia in praxi medica atque chirurgica comparata notitia, ægris civibus profuturus, in patriam reverſus & d. 23. Jul. 1622. Medicinæ Doctor ſolenniter fuit proclamatus, habita oratione in quæſtionem: *an læſa cerebri ſubſtantia homini protinus ſit moriendum?* Ab hoc tempore illud ſibi operæ & officii datum credidit, ut talentum a Deo conceſſum proximi commodis ſolerter impenderet, imis æque ac ſummis inſerviendo, uti etiam utriſque, quinimo principibus quoque viris eruditionem ſuam, fidem, dexteritatem probavit. Academiæ quoque ornamento fuit & uſui, etenim d. 15. Mart. 1633. ad profeſſionem Logicam & d. 21. Oct. 1642. ad profeſſionem Ethices vocatus utramque ſpartam diligentiſſime adminiſtravit. Geminum iniit matrimonium, unum cum *Catharina Gœtz*, Balthaſaris, ſenatoris & triumviri, filia, trina prole, ſed præmature abrepta, fœcundum; alterum ſed ſterile cum *Barbara Jœcklin*, ſenatoris filia. Cum ergo videret, ſe αστικον aliquando obiturum, memor ſuæ in Deum pietatis & beneficiorum ab ordine acad. acceptorum, de gratia Deo hominibuſque habenda cogitavit, & teſtamento d. 25. Jul. 1642. cavit, ut poſt obitum ſuum Academiæ Baſil. ex hæreditate penderentur duo millia librarum Baſilienſium in ſortem elocanda, atque ex illis reditibus fiſco medico 10. philoſophico totidem libræ quotannis cederent, reliquum in duos ſtudioſos, medicinæ alterum, alterum philoſophiæ ſtipendii loco conferretur, Bibliotheca quoque ſua ſatis eleganti & ampla, una cum herbariis vivis, Bibliothecæ publicæ Baſil. conſecrata, quæ ſingula poſt beatum ejus obitum ex voluntate teſtatoris pie præſtita fuere & adhuc præſtantur. Menſe Februario 1649. catarrhos ſibi moleſtos ſenſit, ut ad tempus domi ſe continere neceſſe haberet, a quibus tamen ſed ad breve tempus utcunque convaluit; tandem malo gravius recrudeſcenti & extrema minitanti, diuturnos

&

& exquisitos cruciatus passus, eodem anno d. 1. Jun. concessit.

Edidit *theses philos. miscell.* Bas. 1625.

XX. Lucas Burcard, J. V. D. Logicæ professionem adeptus est d. 21. Oct. 1642. ea decessit, d. 30. Maj. 1645. Institutionum professor designatus. V. Prof. Codicis n. 18.

XXI. Christophorus Fæsch natus d. 5. Aug. 1611. patre *Joh. Rodolpho*, consule, *Remigii* consulis filio & *Annæ Gebweyler*, Joh. Alberti serenissimo Marchioni Badæ Durlacensi in judiciis primariis filia. Primam literaturam in gymnasio patrio hausit, ex quo d. 16. Mart. 1625. dimissus in Academia studia philosophica tractavit & laudabiles in linguis pariter ac scientiis fecit progressus. Accepta d. 13. Dec. 1626. prima Laurea, nec non deinceps magisterii dignitate, invitantibus majorum exemplis & fratre præcipue *Remigio* J. V. D. ac Prof. ita suadente, jurisprudentiæ studuit, publicos professores publice privatimque diligenter audiens. Exterorum ritus atque mores coram contemplaturus a. 1630. iter instituit Parisios, dein in Angliam trajecit, hinc per Belgium atque Germaniam reversus præceptoribus profectuum suorum rationem reddidit partim in privatis examinibus, partim in publica diserta simul & erudita disputatione, & ab iisdem Licentiam V. J. obtinuit a. 1638. His vero nondum contentus etiam Italiam petiit, pretiosissimarum antiquitatum visendarum desiderio captus, cui peregrinationi annuum fere tempus impendit. Denique cum ob singularem genii & ingenii felicitatem, vitæ integritatem & morum elegantiam, tum ob multivariam præclarissimarum rerum doctrinam & experientiam, solidam inprimis & exquisitam in jure pontificio & cæsareo scientiam, quam ex celebrioribus Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ Belgiique academiis tanquam rem pretiosissimam, multo labore & sudore partam, secum reportavit, supremis ac diu promeritis in utroque jure honoribus, doctorali nimirum dignitate, a patruo Joh. Jac. Fæschio, J. V. D. ac Prof. Reip. Syndico, d. 29. Oct. 1644. fuit condecoratus, publice eum recitasset orationem in quæstionem: *An & quate-*

nus in bene conſtituta Rep. Gynæcocratia ſit admittenda? Sed hæcce ſecuta ſunt ornamenta ſublimiora. Primo enim d. 30. Maj. 1645. electus fuit Logicæ Profeſſor, cui muneri diligenter vacavit, donec, exſpirante profeſſione Organica, aut verius ad Logicam reducta, nova publicis auſpiciis felicique omine ex cineribus adſurrexit in ejus locum hiſtoriarum profeſſio, ea lege, ut in gratiam tyronum quidem hiſtoriæ univerſalis compendium, in provectiorum vero, inprimis exterorum Politices ſtudioſorum uſus Tacitus partitis horis prælegeretur, quod munus ipſi tanquam in utroque ſtudio excellenter verſato omnium conſenſu facile fuit commiſſum d. 25. Mart. 1659. Regentiæ vero decretum de creanda nova hac profeſſione factum erat d. 24. Jan. idemque a ſummo magiſtratu adprobatum d. 5. Febr. anni ejuſdem 1659. Novo hoc munere functus fuit itidem ſingulari diligentia atque dexteritate. Jam a. 1643. ſociam vitæ ſibi junxit *Catharinam Gunzer*, Sebaſtiani, mercatoris, filiam, Joh. Jac. Freyi, Linguæ Græcæ Profeſſoris, viduam, cum qua per annos 40. pie vixit, & ex qua tres filios, treſque filias ſuſcepit; in illis præcipue inclaruit *Sebaſtianus*, J. V. D. ejuſdemque Profeſſor. Noſter cum duodecim fratribus tribuſque ſororibus ſupervixiſſet, tandem etiam laboribus atque diebus contritus mortem obiit d. 22. Oct. 1683.

Edidit a. 1638. diſp. *de Venatione* &c.

XXII. SAMUEL BURCARD, *Joh. Ulrici*, mercatoris, filius, *Samuelis*, ſenatoris, nepos, natus eſt a. 1634. Parentes puerum, in quo egregiam indolem excellenſque ingenium animadverterunt, gymnaſio patrio bonis literis atque moribus probe inſtituendum & formandum mature tradiderunt. Jactis ibi primis ſtudiorum fundamentis, & exantlatis minus gratis ludi literarii laboribus, bona pace ad muſas elegantiores fuit dimiſſus, & in numerum Academiæ civium cooptatus. Hic cum in linguis æque ac in ſcientiis egregios feciſſet profectus, digniſſimus fuit habitus, qui d. 29. Maj. a. 1649. prima Laurea coronaretur; in quo actu promotorio *pro Rhetorica* græce differuit. Cum etiam in ſecunda claſſe philoſophica non minorem præſtitiſſet induſtriam & eruditionem æque ac mores magiſtris ſatis probaſſet, d. 14. Jan.

1651.

1651. poſtquam prius diſerta oratione monſtraſſet, *bonas leges & ſedulam ipſarum cuſtodiam Rempublicam inprimis beare*, axiomate doctorum philoſophiæ fuit condecoratus. Dein Juriſprudentiæ ſtudio operam navavit, & indefeſſa diligentia amplam Juris ſcientiam inquiſivit, adeo ut ei jam a. 1656. ſummi in utroque jure honores decernerentur, quos vero demum d. 4. Dec. 1660. publice accipere voluit, qua occaſione habuit orationem in quæſtionem, *quibus virtutibus judicem præcipue præditum eſſe oporteat, & quodnam illius ſit officium?* Antequam autem corona themidea fuit decoratus, profeſſio Logicæ ei obtigit, nempe d. 29. Apr. 1659. Tunc etiam ante electionem in Regentia ſtudium logicum, introducto pleniore & utiliore ſyſtemate, *Burgerſdicii* videlicet, & definito quoque docendi modo, reformatum fuit. Hoc munus Burcardus diligenter curavit, donec fato ſiniſtro phantaſia ejus corrupta, ipſeque ad docendum minus idoneus fuit redditus. Decreverunt itaque academiæ patres d. 18. Nov. 1683. ut, donec convaluerit, vicarius ei conſtitueretur, qui dimidiam ſalarii partem pro labore acciperet, & Burcardo defuncto in officio ſuccederet. His conditionibus ſex ſucceſſive electi fuere vicarii, quorum primus erat a. 1684. *Samuel Werenfels*, d. 21. Jul. 1685. ad profeſſionem Linguæ Græcæ translatus. Secundus a. 1685. *Bonifacius Faſch*, d. 5. Jan. 1686. Rhetor electus. Tertius a. 1685. *Johannes Wettſtein*, J. V. D. a. 1687. Græcæ linguæ profeſſor deſignatus. Quartus a. 1687. *J. Georg. Mangold*, Med. Doct. d. 5. Jul. 1689. ex vicario ordinarius Rhetoricæ factus. Quintus a. 1689. *Joh. Jac. Battier*, J. V. D. qui a. 1693. cathedram Rhetoricam obtinuit. Sextus denique a. 1693. *Joh. Rod. Beck*, Med. Doct., qui vivo adhuc Burcardo d. 22. Sept. 1695. ordinarius Logicæ fuit denominatus, Burcardus vero rude donatus. Huic ordinario jam integrum ſalarium ſolvebatur, Burcardo vero dimidium ſalarium ſolvere tenebatur, qui in claſſe philoſophorum noviſſimus erat electus. Denique Burcardus ex febri lenta & catarrho apoplectico miſeram vitam finiit d. 4. Nov. 1705.

Edidit diſp. *de Adulteriis* a. 1657. & diſp. Log. *de Oppoſitione* a. 1659.

XXIII. Joh. Rodolphus Beck in lucem editus eſt d. 9. Aug. 1657. ab *Emanuele Beck*, ſenatore, *Sebaſtiani*,

Theologi, filio, & *Dorothea Hummel.* Emenſo ludi literarii ſtadio, in palæſtra philoſophica ſtrenue cucurrit & palmam ſemel iterumque accepit; d. 10. Nov. 1674. prima Laurea, & d. 2. Maj. 1676. corona doctorali philoſophica redimitus. Summis dein opibus ſtudium medicum adgreſſus egregiam in arte clinica comparavit ſcientiam, eamque porro aucturus peregrinationem per Galliam, Angliam, Belgium atque Germaniam ſapienter inſtituit, eamque non ſine fructu feliciter abſolvit. Poſtquam ita domi foriſque nullis laboribus ac ſumtibus pepercisſet, nihilque omiſiſſet eorum, quæ ad rem facere putabantur, ſtudiorum morumque cenſuræ ſe decenter ſubjecit, dignuſque fuit habitus, qui ſummos in Medicina honores acciperet; hos publice ipſi contulit *Jac. Roth*, Med. Doct. ac Anat. & Bot. Prof. d. 22. Mart a. 1681. oratione prius habita, qua perſuadere contendit: *Medice vivere optime eſſe vivere.* Artem autem, quam ita diligenter didicerat, in ſolatium proximi adflicti exercere incœpit, magnumque ægris adtulit auxilium. Philoſophica vero ſtudia itidem diligenter continuavit, probe cognoſcens, ea medico haud exiguam adferre utilitatem. Mox etiam occaſio ei fuit data, & hac eruditionis ſuæ parte commodis publicis ſerviendi, cum a. 1693. profeſſor vicarius Logicæ cum ſpe ſucceſſionis conſtitueretur; quæ ſpes haud diu poſt fuit completa, ipſeque d. 22. Sept. 1695. ordinarius Logicæ profeſſor deſignatus. Huic officio, ut & viſitatoris Gymnaſii, ex aſſe ſatisfecit, ut qui ſingulari ſemper fuit induſtria, parteſque ſuas omni fide ſtrenuus explevit atque adſiduus. In hoc autem cum decurreret ſtadio, d. 21. Aug. 1711. a Theod. Zuingero, Med. Doct. ac Theor. Prof. unico adhuc collegii medici membro ſuperſtite, tanquam eorum philoſophiæ profeſſorum, qui medici erant, ſenior, in collegium medicum, ne illud totum exſpiraret, fuit adſcitus, qui dein, poſtquam collegio philoſophico valedixiſſet, ab eoque honorifice dimiſſus fuiſſet, in actibus publicis acad. nec non catalogo profeſſorum, ſenatu academico conſentiente, ſupra profeſſores philoſophiæ inter Medicos locum occupavit. Ex cathedra autem Logica d. 22. Dec. 1711. in cathedram Phyſicam vocatus, novum munus auſpicatus eſt d. 27. Apr. 1712. prælectione habita de *mundo.* Uxorem interim duxit a. 1695. *Annam Margarethan Zæslin*, ipſi ſuper-

ſuperſtitem, quæ duas filias ei peperit, in tenera ætate morte extinctas. Ipſe autem ſupremum diem explevit d. 28. Sept. 1726. apoplexia ſubito abreptus.

Edidit *themata philoſophica* a. 1678. diſp. de *Gonorrhœa virulenta*, a. 1680. & *poſitiones philoſ.* a. 1713.

XXIV. Joh. Rodolphus Zuinger, Med. Doct. ab academiæ proceribus, tum ut fidem ſervarent patri ejus *Theodoro* factam, qua promiſerant, ſe, ſi operam ſuam academiæ Baſil. perpetuo addiceret, nec apud exteros, qui eum ad ſe pertrahere ſtudebant, munus profeſſorium unquam acciperet, hunc filium proxima data occaſione ad profeſſionem ipſius eruditioni convenientem promoturos, tum ut merita ipſius filii remunerarent, eumque arctius ſibi devincirent, d. 16. Febr. 1712. annos nondum natus viginti Logices Profeſſor fuit electus, hancque cathedram ornavit, donec d. 16. Dec. a. 1721. ad ornandam cathedram Anat. & Botan. vocaretur. Biographiam magni hujus Viri jam inter Medicos traditam ſuppleturi, hic commemoramus, quod demum in noſtri notitiam pervenit, eum aliquando ſingulare divinæ providentiæ objectum fuiſſe. Res accidit Baſileæ, & hæc eſt. Eum pontem Rheni tranſiturum proxime præcedebat traha, cui magnus ferreus uncus, jungendis atque trahendis trabibus inſerviens, erat adnexus. Hic autem cum inter currendum duos tranſverſos pontis aſſeres ſecum aufferret, accidit, ut Zuingerus, qui viſu minus pollebat, & erecto corpore meditabundus incedere ſolebat, pontem apertum non obſervans, protinus per interruptos aſſeres decideret, & ab utroque latere brachiis ſuſtentatus, ponte ſuſpenſus hæreret. Hoc viſo confeſtim quis accurrit, eumque ſub axillis, de quibus corpus admodum grave, vir nempe erat procerior, pendebat, prehenſum ægerrime extraxit, & ab extremo vitæ periculo liberavit. Ereptus poſtmodum id doluit maxime, quod, poſt Deum, liberatori ſuo, qui ipſi ignotus manſit, gratias agere atque referre nunquam potuerit. V. Prof. Med. Pract. n. 13.

XXV. Nicolaus Bernoulli, J. V. D. d. 8. Apr. 1722. Logicam profeſſionem primus ſorte adeptus, eadem egregie fuit functus, dum d. 28. Maj. 1731. eam

cum cathedra Codicis & Juris feudalis permutare fuerat juſſus. V. Prof. Cod. n. 25.

XXVI. PETRUS RYHINER commodis Academiæ Baſil. natus d. 28. Nov. 1692. patre *Emanuele Ryhinero*, mercatore & CC viro, matre vero *Maria Werenfels*, *Petri Werenfelſii* S. Th. Doct. ac Prof. nec non Antiſtitis, filia, a teneris moribus literiſque bonis fuit inſtitutus, idque felici ſucceſſu. In triviali ludo rudimentis primis feliciter perceptis, ad Academiam tranſiit a. 1705. & philoſophiæ diligentiſſimam operam navavit. Primum Latias atque Pelaſgas artes ſibi familiares reddere contendit; quo ſcopo Latium totum peragravit, auctores latinos, hiſtoricos, oratores, poëtas legendo atque relegendo, ſparſim inde flores decerpendo, ſtilumque ſuum illis exornando. Ex Latio Athenas curſum deflexit, & græcos non minus quam romanos auctores ſibi fecit familiares. Sic græcorum & romanorum literis probe tinctus, ad magis realia animum adplicuit, & metaphyſicam atque logicam exactius perveſtigavit, philoſophiam moralem diligenter tractavit, etiamque algebræ profunda, matheſeos abſcondita, Phyſices difficillima ſcrutari eſt adgreſſus. Non mirum ergo, eum ſumma cum laude honores philoſophicos adſecutum fuiſſe. Primam nempe Lauream obtinuit d. 31. Maj. 1707. Magiſterii artium autem dignitatem d. 28. Maj. 1709. Ab his linguis, artibus atque ſcientiis inſtructiſſimus ſtudium theologicum, cui d. 16. Nov. 1708. nomen dedit, capeſſivit, olim avunculum, *Sam. Werenfelſium*, non ſolum ut magnum Philoſophum, ſed & ut magnum Theologum, imitatione ſedula expreſſurus. Hujus præſertim in hoc ſtudio, ut jam antea in philoſophico, uſus fuit opera fidiſſima atque optima, eoſque fecit progreſſus, ut a. 1712. in numerum candidatorum S. Miniſterii adlegeretur. His feliciter ſuperatis, philoſophica æque ac theologica ſtudia perfecturus, exteras regiones inviſit, & Neocomi *J. Frid. Oſterwaldii*, Genevæ *Alphonſi Turretini*, intimorum Werenfelſii amicorum, ſibi conciliavit amorem. Dein a. 1722. Pariſios contendit, ipſique ab avunculo Werenfelſio commendato ad celeberrimos illius Academiæ viros, nec non ad Academiam Scientiarum, aditus patuit. Domum reverſus d. 4. Febr. 1725. matrimonium contraxit cum *Veronica Battier*, *Fride-*

Friderici Battierii, paſtoris Albani & *Margarethæ Iſelin*, filia, *Albrechti Schaubii* vidua, ex qua, ſibi ſuperſtite, duos filios, *Petrum* mercatorem, & *Emanuelem*, Theologiæ ſtudioſum defunctum, treſque filias ſuſcepit. Interim tam in lingua gallica quam germanica conciones habuit ſacras, ſicque ad paſtoratum olim rite fungendum, ſi ita providentiæ divinæ placeret, ſeſe præparavit; ſed & ſtudioſæ juventuti prælectionibus privatis theologicis atque philoſophicis prodeſſe ſtuduit, academiæ uſibus itidem ſeſe conſecrans. Ad utrumque, vel in Eccleſia, vel in Academia Deo proximoque ſerviendi, paratus, Deo duce, ad uſus academicos arceſſebatur, cum ei primum vicariatus profeſſionis Ethicæ deferretur, quem ab a. 1726. ad a. 1732. omni diligentia adminiſtravit. Iſte autem cum laude geſtus vicariatus ei ordinariam comparavit profeſſionem, nempe Logicæ, quæ ipſi obtigit d. 26. Oct. 1731. quam d. 12. Dec. 1731. prælectione de *utilitate Logicæ artificialis* adiit, quamque ad dies vitæ ad ductum potiſſimum *artis cogitandi*, Baſil. 1749. recuſæ, ſumma cum laude obiit. Collegia privata ſtudioſis indulſit utiliſſima, eaque, dum per vires licuit, diligentiſſime continuavit. Ab a. 1744. viſitationem Gymnaſii cum fructu ſubiit, & juventutis commoda ſtrenue promovit. Rectoratum academiæ iterum, Decanatum philoſophicum octies geſſit dextre atque decenter. Ceterum vir erat acuti ingenii, pius, diligens, officioſus in omnes, philoſophus atque theologus ſincera fide ornatus. Ex marasmo ſenili obiit d. 28. Apr. 1771.

Edidit diſſ. *de æternitate mundi*, 1708. diſſ. *de uſu conſequentiarum in Theologia*, 1713. *theſes logicas de ſyllogiſmis a Logicis vulgo omiſſis*, 1722. *theſes phyſicas*, a. 1727. diſſ. *de fundamento Juris N. & G. ex Matth.* VII. 12. 1727. *theſes logicas de reductione cogitationum ad minimos terminos*, 1731. *theſes logicas de methodo diſputandi*, 1736. diſſertationes *de judiciis temerariis*, I. 1736. II. 1737. III. & IV. 1739. *poſitiones philoſ.* eod. *orationem funebrem in obitum Sam. Werenfelſii*, 1740. *Ejuſd. Opuſcula auctiora* 2. Tom. in 4. cum præfationibus, Lauſ. 1739. *Hubneri Geographiæ* T. I. *in gallicam*, & *Oſterwaldii obſervationes in V. T. in germanicam linguam tranſtulit.*

XXVII.

XXVII. Lucas Legrand natus d. 15. Mart. 1735. ex parentibus *Chriſtophoro Legrand*, mercatore ac CC. viro, & *Maria Juditha Linder*, ob acutiſſimum ingenium & incredibile literarum ſtudium, quo puer erat præditus, mature muſis devotus optimiſque magiſtris inſtituendus fuit datus. Nec irrita fuere ſtudia atque conſilia in eum locata. Citius enim, cum ex gymnaſio ad academiam tranſiit, omnes philoſophiæ partes ſibi fecit familiares, & pro ſingulari, quam in eas addiſcendas impendit, induſtria pulcherrimos fecit progreſſus. Honores autem academicos, quos ſapientiſſimus ordo ſolet largiri, nempe primam Lauream d. 26. Maj. 1750. Magiſtri artium autem dignitatem d. 8. Jun. 1751. digniſſimus adeptus, Juriſprudentiæ ſe dedit, non quidem totum, literis elegantioribus partem quandam otii temporiſque ſui reſervans. Studium tamen juris tanta diligentia fuit proſecutus, ut conſueta examina magna cum laude ſuperarit & ſpecimen diſputatorium pro gradu doctoratus obtinendo, anno 1757. exhibitum, nec non eodem anno alterum ſpecimen pro vacante cathedra juridica, omnium adplauſu defenderit; hinc & ex decreto ampliſſimi JC. ordinis d. 16. Dec. 1757. J. V. D. creatus fuit atque promulgatus. His ornatus titulis, cum juris ſcientia literarum humaniorum ſtudium porro junxit atque proſecutus eſt aviditſime, ut non ſolum cum Catone Reipublicæ prudenter conſultare, ſed & cum Platone in academia acute philoſophari poſſet. Hunc in finem etiam Argentoratenſis academiæ primarium lumen, *Dan. Schœpflinum*, adiit, ejuſque prælectiones hiſtoricas atque antiquarias magno cum fructu audivit. In literatura græca atque latina verſatiſſimus etiam hebraicam eſt adgreſſus, idque ſucceſſu ſatis felici. Quicquid enim tentat, id haud obiter ſed accurate tractat, nec deſiſtit, donec in intimum inquiſiverit. Variis autem occaſionibus cum ſingularem ſuam eruditionem publice oſtendiſſet, contigit ei tandem adeo eſſe felici, ut die 15. Nov. 1771. profeſſionem *Logicæ*, cui & ex decreto ſenatus academici *Metaphyſica* alternis vicibus tractanda fuerat juncta, ſortito obtineret, quam d. 17. Jan. 1772. publice adgreſſus, quaque hactenus, *Baumeiſteri* elementa philoſophiæ recentioris Viennæ 1774. & alibi excuſa auditoribus exponens, pro viribus diligenter eſt functus. Vtinam vires corporis animi reſponderent viribus!

Edidit

Edidit *observationes philoſ. miſc.* d. 4. Jun. 1751. *Conjecturas miſc. hiſtoricas* d. 30. Aug. 1754. *Obſervationes jurid.* d. 9. Sept. 1757. d. 4. Oct. 1757. iterum *obſervationes jurid. ſubitaneas*; d. 31. Aug. 1762. *Obſervat. philolog. gr.* d. 19. Apr. 1765. *obſervat. miſc. hiſt.* d. 5. Sept. 1766. *meditationes ſuper latinæ linguæ ſtudio; primas lineas theologiæ naturalis*, 1771. 8. *tentamen philoſophicum de principio rationis ſufficientis*, 1772. 8. *ſpecimen obſervatorum in Æſchyleo Agamemnone*, Baſ. 1778. 8.

PROFESSORES LINGUÆ GRÆCÆ.

I. SIMON GRYNÆUS, Profeſſor Linguæ Græcæ Heidelbergenſis, ab Oecolampadio, ita jubente magiſtratu Baſilienſi, illinc vocatus, a. 1529. profeſſionem græcam adiit, eaque ſeſe abdicavit a. 1536. ad explicationem N. T. translatus. V. Prof. N. T. n. 2.

II. JOHANNES OPORINUS, (*Herbſter*) natus eſt Baſileæ d. 25. Jan. 1507. patre *Johanne Herbſt*, Argentinenſi, pictore ſuæ ætatis artificum haud poſtremo, cive Baſilienſi facto, matre *Barbara Lupfart*. Hi parentes re anguſta, quæ domi erat, admodum preſſi, pater nempe ad uxorem nil præter induſtriam, mater ad maritum excepta virtute nihil dotis adtulerat, nihil tamen in liberis bene educandis fecerant reliqui, & ipſemet pater hunc filium literarum rudimenta docuit, in publicum ludum literarium deduxit, & a præceptoribus tradita ab ipſo exegit atque cum eo repetiit. Poſtquam domi feliciter literarum rudimenta percepit, ob patriæ inopiam Argentinam deſcendit, & in pauperum ſcholaſticorum contubernio quatuor fere annos vixit. Oporinus pro ingenii, quo pollebat, acumine in hac ſchola tantum profecit, ut & latine pure atque expedite loqueretur, & græcæ linguæ non prorſus eſſet ignarus; adeo verum eſt illud Virgilianum:

— — — labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Maturitatem ætatis & judicii adeptus patriam repetiit, & publicos profeſſores artes humaniores tradentes ſedulus audivit. Sed cum paupertas domeſtica ſubſidia negaret, ad Abbatem S. Vrbani ſeſe contulit, & ibi juventutem,

ventutem, quæ aliquando in collegium recipienda erat, docuit. Hac vitæ conditione in monaſterio Lucernenſi degens venit in familiaritatem *Xylotecti*, canonici, qui doctum & lepidum, ut ea ferebant tempora, ſcribebat carmen, & Oporinus eo non erat inferior. Non multo poſt Xylotectus Evangelii puritatem amplexus, ampliſſimos illos reditus deſeruit, ductaque uxore, Baſileam conceſſit, ubi deinde peſtis contagione infectus, vitam cum morte commutavit. Oporinus quoque monaſticæ ſcholæ pertæſus, amicum ſecutus, Baſileam rediit, cœptum ſtudiorum curſum continuaturus, & cum laude confecturus. Sed cum nec tum quidem ulla ſubſidia a quopiam ſubminiſtrarentur, Græcos Theologos deſcribendos ſuſcepit, quos Frobenius typis excudit. Tandem Xylotecti viduam a. 1527. uxorem duxit, vetulam moroſam & auſteram, imperioſam atque immitem, cum qua non minus ac olim Socrates cum ſua Xantippe philoſophari didicit & injurias patienter perferre. Hoc etiam tempore, a. 1529. Oporinus aliud patientiæ exercendæ habuit objectum, nempe ſcholam S. Templi, quam ipſe gubernabat, & in qua juventutis ſtudia, ut erat tractandorum ingeniorum peritus artifex, moderabatur. Sed is quoque ſcholaſticæ vitæ curſus cito eſt interruptus. Quum enim naturæ præſtantia nonniſi ad ſumma hortaretur, & doctorum virorum, *Eraſmi* præcipue & *Glareani*, elogiis exſtimulatus non quieſceret, de ineunda alia ſtudiorum ratione cogitare cœpit. Hoc meditanti Oporino *Oecolampadius* auctor fuit, ut Medicinæ ſtudio ſe addiceret, præſertim cum Baſileæ tum verſaretur *Theophraſtus Paracelſus*, qui unius anni ſpatio eximium artis doctorem ſe perfecturum ſuperbe jactitabat. Conſilium Oecolampadii ſecutus Oporinus Theophraſto ſe adjunxit, & quamdiu Baſileæ fuit, ab ejus conſuetudine nunquam diſceſſit; imo etiam operam ipſi ſuam, famuli & amanuenſis officio functus, locabat, ſperans ſe vel hac officioſa diligentia perfectam artis cognitionem, quam doctor iſte plenis buccis crepabat, conſecuturum. Cum ita per biennium inſanos magiſtri, vino ſæpius madidi, mores patienter tuliſſet, tandem Theophraſtus Baſilea diſceſſit & Oporino vaſa chymica reliquit. Oporinus autem ſpe pellectus, magiſtrum, ut promiſerat, *Laudani* conficiendi rationem ipſi traditurum, eum in Alſatiam eſt comitatus, & bien-

biennium adhuc hominis importunitatem tulit. Tandem se a magistro suo, quod cupiebat, impetraturum diffidens eum deseruit, & ad imperia uxoris rediit, laudani portione prius ab illo accepta, qua paulo post ex mortis faucibus fuerat ereptus. Sumto enim purgandi causa mercurio præcipitato, rixa cum uxore orta, noctu domo egressus, ad patrem contendit. Hausta in via aqua copiosiore, & quia pulsandis ædibus patri dormienti molestus esse nollet, ad fores adsidens, frigore oborto, toto corpore, capite inprimis, adeo intumuit, ut de vita Medici desperarent. Dum ita aliquamdiu decumberet, & quodam die solus domi in lecto esset, recordatus laudani, ad peram, qua continebatur, adrepsit, ac tres pillulas devoravit; somno dein insecuto, tumor evanuit, isque incolumis evasit, maxime stupente uxore, quæ ex templo domum reversa se virum mortuum inventuram sperabat. Non multo post Oporini uxor, cum qua per octennium vixit, Lucernæ obiit, quo bonorum suorum causa quotannis adscendebat. Amplam quidem hæreditatem ex facultatibus mortuæ conjugis sibi obventuram putabat, sed fraude adfinium ejus hac spe fuerat frustratus, sicque in pristinam concidit paupertatem atque miseriam, ex qua autem mox eum eripuit *Simon Grynæus*. Hic cum a. 1536. a professione græca & collegii Augustiniani administratione ad professionem N. T. vocaretur, auctoritate sua effecit, ut Oporinus, quem græce doctissimum noverat, in stationem hanc utramque substitueretur. Ad studia itaque & ad secundas nuptias cum *Maria Ficina* reversus, magna cum laude & auditorum fructu munere professoris est functus. Plutarchi vitas græce scriptas frequentibus auditoribus docte & prudenter enarravit. Collegio præfectus *Erasmo* Friburgo Basileam reduci vinum honorarium officii causa offerebat. In mutuum complexum postquam venirent & dextras jungerent, Erasmi manum Oporinus durius compressit; ille, ut erat chiragricus, se graviter lædi, sive serio sive joco, exclamabat, hic adtonitus obmutuit. Id animadvertens Erasmus, Oporinum amice compellat, vinum infundi jubet, & ut animum recipiat hortatur. Consedit cum suo comitatu satis frequenti Oporinus, & semel atque iterum in orbem redeunte poculo, ad se quoque reversus, docta & gravi oratione atque ipso dignas

gna Eraſmo Eraſmum excepit. Sed hæc vitæ conditio ſupra biennium non duravit. Cum enim ſenatores acad. a. 1539. decernerent, ut quiſque Miniſtrorum eccleſiæ, qui nomen in album nondum retulerat, id ſine mora faceret, quiſque etiam Profeſſorum ſummum in ea arte, quam profitebatur, gradum, ſi nondum haberet, conſequatur, alii quidem obediebant, alii vero, præcipue ætate jam provecti, renuebant & dimiſſionem accipiebant; in horum numero erat & Oporinus. Verum adceſſit etiam cauſa domeſtica, quæ, ut a munere profeſſorio tam facile abiret, eum commovit. Vxor nempe ſumtuoſa treſque filii proluvium matris imitantes, eum hiſce ſumtibus imparem adegerunt aliud vitæ genus magis lucroſum eligere. Deſerta itaque academia, cum *Roberto Wintero*, adfine ſuo, libros excudere cœpit. Verum iterum invita fortuna hæc agebantur. Contraxit æs alienum, quod ſolvere nullus poterat. Proceres quidem Academiæ ei ſuccurrere cogitabant, eique, qui olim *Bonif. Amerbachium* jura explicantem audiverat, profeſſionem juridicam offerebant, quam vero, qui quietis erat amantiſſimus & flexibiles illas in utramque partem caſuum diſputationes quam maxime averſabatur, accipere noluit. Ita ſibi relictus, ſoluta cum Wintero ſocietate, acceptaque mutuo ſatis ingenti pecuniæ ſumma, ſolus typographiam exercere cœpit, majori autem longe publici quam ſuo cum commodo. Vir nempe erat, qui plures ſumtus in eruditorum lucubrationes nec non in operas typographicas impenderat, quique præterea cenſuum rationes nunquam inibat, rerum ſuarum incurius atque negligens; his adceſſerant etiam uxor liberique ſumtuoſi atque prodigi; quæ omnia, ut & fœneratores, quos pro ſorte centum florenorum ipſi locata viginti imo triginta uſuræ annuæ loco extorquere non puduit, nec non Oporini temeritas, qua pro aliis fidem ſuam interpoſuit, itemque alia fata adverſa rem ejus familiarem magis magiſque diſſipabant. Interim licet omnes nervi eſſent præciſi, forti tamen animo has ærumnas pertulit, in officina ſua operoſiſſimus, adeo, ut omnes libros, quos majori numero impreſſerat, ipſemet correxerit, hinc & correctiſſimi hocque etiam nomine omnibus accepti ex officina ejus prodierunt. Licet autem ipſe premeretur, preſſis opera ſua ſupra vires adſtitit. Non ſolum enim patrem, qui conſcientia ductus artem

pictoriam

pictoriam deſeruit, verebatur nempe, ne a ſe pictæ imagines ad idololatriam adhibeantur, nec non ſorores, mater autem mature fuerat mortua, aluit, fovit, ſuſtentavit, ſed & hoſpites, auxilio deſtitutos, ſuſcepit & liberaliter habuit. Subinde quidem inter nubila phœbus lucere inceperat. Nam ipſe *Ferdinandus* Imperator hominis probitatem amplexus benigniſſime ipſi conceſſit, ut merces ejus improfeſſæ Briſaci prætereherentur. Palatinus etiam Elector *Fridericus* Oporini integritatem & in excudendis libris induſtriam admiratus, eum Heidelbergam amplis conditionibus evocavit; ſed natalis ſoli dulcedine captus hæc commoda repudiavit. Etiam, ut alia mittamus, inter felices eventus numerare potuit, quod voluptuoſa uxor, cum qua triginta & aliquot annos ſine jurgiis (perita nempe erat artium, quibus indulgentiores mariti capiuntur, & ad obſequia uxorum flectuntur) vixerat, ipſo Francofurti in nundinis abſente, a. 1564. peſte obierit, ejuſque loco ſemeſtri elapſo tertiam uxorem, *Eliſabetham Holzach*, Eucharii filiam, *Joh. Hervagii* junioris, typographi viduam valde dotatam atque generoſam duxerit. Sed fluxa erant hæc omnia, & commoda hæc uxor quarto conjugii menſe præmatura morte ei fuit abrepta. Verum nova mox rerum oborta eſt cataſtrophe, & quidem lætior. Quartam duxit uxorem; vetulus mulierem juvenculam, *Fauſtinam Amerbach*, *Ulrici Iſelii*, JC. viduam, quæ præter nominis honeſtam exiſtimationem in Oporino nihil expetiit. Hæc res mariti diligentius perpendens, eumque ætate jam gravem, laboribus iſtis ferendis imparem eſſe videns, aſſidue inſtabat atque orabat, ut vendita officina ſe expediret. Difficulter quidem conjugis precibus ceſſit, quod ſtationem hanc, in quam a Deo eſſet collocatus, temere deſerendam, & privato otio publicum commodum poſtponendum non putaret, ſæpe etiam diceret: *Moleſtiæ typographicæ finem mortem ipſam jam propinquam exceptúram eſſe.* Victus tamen juſtis uxoris precibus typographiam vendidit, nunquam ſuarum rerum ſubducta ſumma. Non multo poſt ſuſcepit filium, *Emanuelem*, d. 25. Jan. 1568. Lætitiam quam inde perceperit Oporinus judicabunt iſti, quorum omnis in prole unica nominis & generis propagatrice ſtat cura. Nullæ certe ad doctos mittebantur literæ, in quibus *Oporinuli* non multa fieret mentio. Sed nec hæc

bona fuere durabilia. Quinto nempe poſt natum filiolum menſe ex catarrho & cephalalgia epidemia cœpit decumbere, nullum antea morbum paſſus, excepta paralyſi, qua a. 1558. obruebatur, denique d. 6. Jul. 1568. fortunæ jactationi ereptus placide vita exceſſit. Filiolus, *Emanuel*, patrem mox ad æterna gaudia ſecutus eſt, natus annos duos cum dimidio. Omnium ab Oporino editorum librorum catalogum ſatis amplum una cum ejus vita edidit *Andreas Joſiſcus* Argentorati 1569. 8.

Ipſe autem conſcripſit *ſcholia in Solinum*, & *Ciceronis varia; annotata in Demoſthenem, Plinii hiſtoriam naturalem, Plutarchum, Heſiodum, Platonem, Pollucem. Bucolicorum latinorum authores, quotquot a Virgilii ætate ad ſua uſque tempora eo poëmatis genere uſi ſunt, collegit ediditque.* Baſil. 1546. 8. *Darii Tiberti epitome vitarum Plutarchi ab innumeris mendis repurgata per Jo. Oporinum prodiit*, Baſil. 12.

III. MARCUS HOPPERUS, J. V. D. Græcas literas publice profeſſus eſt an. 1544. & Homerum expoſuit; hoc officio ſe abdicavit & munus profeſſoris Phyſicæ adiit a. 1549. V. Prof. Inſtit. n. 3.

IV. SEBASTIANUS LEPUSCULUS Hoppero ſucceſſit a. 1549. ſed per triennium tantum auditoribus Homerum prælegit. V. Prof. Log. n. 4.

V. SEBASTIANUS CASTELLIO ex Allobrogum exiguo vico *Chatillon*, & a tenuibus parentibus, quibus curta erat ſuppellex, ortum duxit a. 1515. Pertenues autem licet fuerint parentes, pii tamen fuerunt atque probi, qui liberos, quantum in illis erat, a vitiis abſtractos ad virtutem ducebant. Ita ipſe refert de patre: *Hoc habuit meus pater boni, quamvis in magna religionis ignorantia, ut a furto, & mendacio inprimis, & ipſe abhorreret, & abhorrendum doceret. Itaque erat nobis vulgo me puero in ore hoc noſtrate proverbium:* ou pendre, ou rendre, ou les peines d'enfers attendre. Omnibus igitur ſubſidiis deſtitutus, proprio marte in literis tantum profecit, ut juvenis adhuc tribus adoleſcentibus nobilibus Lugdunenſibus ephorus conſtitueretur. Lugduni cum degeret, accidit, ut eum quidam errore nominis

minis pro Caſtellione *Caſtalionem* vocitaret. Quod ille nomen audiens a muſarum fonte Caſtalio derivatum adamavit atque amplexus eſt, ſeque, omiſſo deinceps Caſtellionis nomine patrio, Caſtalionem adpellavit; quin etiam idem nomen ſcriptis nonnullis præfixit. Sed poſtea, cum majorem veri adeptus eſt cognitionem, omiſſa illa, quam exſecratus eſt, gloriola græca, iterum ſe Caſtellionem vocavit & ab aliis adpellari cupivit. Lugduno relicto a. 1540. Argentinam petiit, ubi *Calvino* in notitiam venit, ejuſque rogatu rectoratum ſcholæ Genevenſis in ſe ſuſcepit, & magno cum fructu per triennium geſſit. Calvinus autem, qui Caſtellionem eruditionis cauſa magni habebat, mox ei fuit infenſiſſimus, ita ut in publicis ſcriptis in eum acerbiſſime inveheretur, ad quas autem objectiones Caſtellio fortiter nec ſine ſale reſpondit. Initium diſſidii derivandum a Caſtellionis inconſtantia: cum enim a. 1542. Genevæ peſtis graſſaretur & Calvino atque Petro Blancheto Caſtellio ex miniſtris ſolus operam ſuam in viſitandis ægrotis offerret, accidit, ut jacta ſors Caſtellionem primum deſignaret, qui iſtud muneris in ſe ſuſciperet, quod vero is, mutata ſententia, præſtare negavit. His mox acceſſerunt & alia, nempe nonnullæ Caſtellionis ſententiæ a Calvini ſententia diverſæ, quas jam irritatus perferre non poterat. Haud enim in Calvinum quadravit illud *Sim. Grynæi* dictum:

Non eadem ſentire bonis de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Caſtellio autem, pacis amantiſſimus, maluit loco cedere, quam inter diſcordes vivere; dimiſſionem itaque petiit atque obtinuit, teſtimonio ornatus ab ipſo Calvino, quod hactenus ineditum ex MS. *Zuingerianis* hic adponimus, ex quo conſtabit, qua mente tunc Calvinus erga Caſtellionem fuerit, & quænam præcipua capita fuerint inter eos controverſa:

Cum Sebaſtianus Caſtalio ſcholæ noſtræ hactenus præfuiſſet: miſſionem petiit a Senatu, ac impetravit. Iſta enim lege ſuſceperat hanc provinciam, ut ſibi integrum foret, eam relinquere, ſi poſt aliquod temporis ſpatium nimis ſibi incommodam eſſe ac gravem expertus foret. Nunc, quoniam alio migrare habebat in animo: teſtimo-

nium a nobis petiit anteactæ vitæ, quod illi non esse denegandum censuimus. Hoc ergo breviter testamur, talem fuisse a nobis habitum, ut nostro omnium consensu jam ad munus pastorale destinatus esset, nisi obstitisset una causa. Nam cum ex more inquireremus, num in tota doctrinæ summa inter nos & illum conveniret, duo esse respondit, in quibus non posset nobiscum sentire: Quod Salomonis Canticum sacris libris adscriberemus: & quod descensum Christi ad inferos acciperemus in catechismo pro eo, quem sustinuit, conscientiæ horrore, cum pro nobis sisteret se ad Dei tribunal, ut peccata nostra, pœnam ac maledictionem in se transferendo, sua morte expiaret. Quantum ad hoc posterius spectat, quin pia esset ac sancta doctrina, quam profitemur, non negabat: de eo tantum erat controversia, num sic intelligendus esset hic locus. Primum rationibus conati sumus eum adducere in nostram sententiam: quæ contra objecit argumenta refutavimus, ut potuimus. Cum nihil hoc modo proficeremus, inita tandem a nobis fuit alia ratio. Ostendimus symbolum fidei non alio pertinere, neque in alium fuisse finem compositum, nisi ut extaret brevis ac simplex christianismi summa, quæ & sanam doctrinam contineret, & populum doceret de rebus maxime ad salutem necessariis. Sufficere ergo illi debere, si non nisi sanam pianique doctrinam haberet nostra expositio, & ad ædificationem apta esset. Neque enim nos improbare ecclesias, quæ secus interpretarentur. Tantum id nobis curæ esse, ne quod ex variis expositionibus grave malum nasceretur. Respondit, nolle se recipere, quod præstare, nisi repugnante conscientia, non posset. Verum præcipuum nobis certamen de Cantico fuit. Existimat enim lascivum & obscœnum esse carmen, quo Salomo impudicos suos amores descripserit. Principio obtestati eum sumus, ut ne perpetuum universæ ecclesiæ consensum temere pro nihilo duceret. Nullum dubiæ fidei librum esse, de quo non fuerit mota olim & agitata aliqua disceptatio. Quin etiam ex iis, quibus certam auctoritatem nunc deferimus, quosdam non fuisse initio absque controversia receptos: hunc a nemine palam fuisse unquam repudiatum. Obtestati quoque sumus, ne suo judicio plus æquo arrogaret: præsertim cum nihil proponeret, quod non omnes ante eum natum vidissent. Quod argumentum attinet, admonuimus formam esse Epithalamii, alteri non absimilem, quæ Ps. 45. habetur. Nec omnino quicquam

inter-

intereſſe, niſi quod quæ hic in genere breviter dicuntur, fuſius & quaſi minutatim explicantur in Cantico. Decantari enim in Pſalmo Salomonis pulchritudinem & ſponſæ ornatum, ita ut res reſpondeat: diſcrimen in ſola dictionis figura eſſe. Cum hæc nullius apud eum momenti eſſent, conſultavimus inter nos, quidnam opus eſſet facto. Una omnium ſententia fuit, periculoſum & mali exempli fore, ſi ad miniſterium cum hac conditione admitteretur. Bonos enim primum non leviter offenſum iri, ſi audiant, miniſtrum eſſe a nobis creatum, qui librum, quem in ſacrorum librorum catalogo habeant omnes eccleſiæ, reſpuere ſe ac damnare palam profiteatur. Malis & improbis, qui & infamandi Evangelii & hujus eccleſiæ lacerandæ occaſionem captant, ita feneſtram per nos apertam iri. Poſtremo hac lege nos obſtrictum iri in poſterum, ne cui alteri vitio vertamus, ſi aut Eccleſiaſtem, aut Proverbia, aut unumquemque librum ex reliquis repudiet: niſi forte in hoc certamen deſcendere libeat, quis Spiritu S. dignus ſit, aut indignus. Ne quis ergo aliud quidpiam cauſæ eſſe ſuſpicetur, cur a nobis diſcedat Sebaſtianus: hoc quocunque venerit, teſtatum eſſe volumus, ſcholæ magiſterio ſponte ſe abdicavit. In eo ita ſe geſſerat, ut ſacro hoc miniſterio dignum judicaremus. Quo minus autem receptus fuerit, non aliqua vitæ macula, non impium aliquod in fidei noſtræ capitibus dogma, ſed hæc una, quam expoſuimus, cauſa obſtitit.

Miniſtri Eccleſiæ Genevenſis;
Johannes Calvinus omnium nomine ac mandato ſubſcripſi.

Caſtellio itaque a. 1544. cum uxore, quam ibi duxerat, Genevam reliquit & Baſileam venit, literarum ſtudia proſecuturus. Hic autem cum uxore atque liberis jejunas ſæpe cœnas toleravit, quin fame fere pereundum ipſi fuiſſet, niſi pietas *Joh. Oporini* eum fuſtentaſſet. Hic præſertim ei fuit auctor, ut latinam Bibliorum verſionem, quam a. 1542. Genevæ inceperat, abſolveret, quod, præmiſſis aliquot Scripturæ libris particularibus, Pentateucho atque Pſalterio, tandem a. 1551. præſtitit, & ipſemet Oporinus editionem curavit. Ea in publicum emiſſa, mox diverſa expertus eſt judicia; laudabatur ab his, vituperabatur ab illis. Inprimis calamum contra eum ſtrinxerat *Theod Beza*, ei imputans, quod nimia puritatis latini ſermonis adfectatione haud raro

impia & a mente Spiritus S. aliena in textum ſacrum intulerit; ſed contra hunc & alios peculiari ſcripto maſcule ſe defenderat Caſtellio; ad recte modeſteque monita vero adtendere haud neglexit & plura in ſecunda atque tertia editione ſtudioſe correxit atque emendavit, obſcurorum locorum intelligentiam precibus ſæpenumero a Deo efflagitans. Paupertate autem ille, quatuor filiis quatuorque filiabus obrutus, magis magiſque premebatur, ita ut ad viliores operas ſeſe demittere neceſſe haberet. Aliquando occaſione forte invitante, & frigore urgente, in ripa Rheni, qua ille ſuburbium S. Albani, in quo Noſter habitabat, præterlabitur, ligna foco accendendo deſtinata, quæ præceps torrentum vis ex Byrſa fluvio ruptis obicibus in Rhenum abripuerat, ipſe harpagone ex lintre adtraxit, ſicque uno die ſeptem lignorum ulnas faſtigiavit, pro quarum ſingulis a Magiſtratu quaternos ſolidos, laboris pretium recepit, dum interim ex reſiduo muſæ ejus incaluere, cujus operæ & laboris pro temporum illorum ratione eum non puduit, uti nec piſces captare, & prædiolum domui ſuæ adjacens colere ſibi probro duxit, ut eſt ingenioſa & laborioſa paupertas. Cujus tamen facti fama ut ad exteros, moris hujus, qui tum Baſileæ vigebat, & adhuc viget, ignaros erat delata, vitio imo furto ipſi eſt datum, a quo tamen ipſe in *defenſione* ad autorem libri, (Joh. Calvinum) cui titulus eſt: *calumniæ nebulonis*, ſolide ſe liberum præſtitit; hanc ſui defenſionem his verbis clauſit: *Sed revera comperio verum eſſe dictum cujuſdam antiqui*: neſcio quomodo nihil tam ſtultum eſt, quod non ab aliquo ſapientum dictum ſit. *Faxit Deus, ut tam manifeſtus caſus ſit tibi occaſio ſurgendi; id quod certe fiet, ſi Deum diliges.* Mitior deinde adfulſit fortuna virtuti; academia nempe a. 1553. omnigena ejus eruditione, qua non pollebat tantum, ſed & jam tum inclareſcebat, inprimis autem theologiæ & linguarum, hebraicæ, græcæ atque latinæ cognitione, impulſa, Linguæ Græcæ profeſſorem rite eum conſtituit, in qua ſtatione Iſocratem atque Homerum auditoribus interpretatus eſt magno rei literariæ commodo, nominiſque ſui celebritate. Etiam, ut profeſſione rite fungeretur, d. 1. Aug. 1553, ab Henrico Pantaleone publice A. L. M. fuit creatus. Quamvis autem munus, ipſi in academia concreditum, illum quidem adjuverit, ut commodius vitam tranſigere

transfigere potuerit, attamen non tantopere ejus facultates auxit, ut cum liberis laute viveret, sed ut cum adversariis *Calvino* atque *Beza*, hæreseos eum reum peragentibus, *Theologis Turicensibus* atque *Mart. Bonxhao*, Theologo Basil. ita & cum egestate ad extremum usque vitæ ipsi fuerat conflictandum. Adparet utrumque ex epistola excusatoria ad Consulem & Senatum Basil. a. 1563. data, in qua hæc fuerunt verba; „Est „mihi, mei clementissimi Domini! a magnifico Do„mino Rectore & ceteris Ecclesiæ Doctoribus & Pasto„ribus demonstratum, quemadmodum vobis scriptæ „fuerunt literæ, in quibus ego gravissime accuser: cu„jus accusationis partes sunt duæ: una ex libro „Theod. Bezæ sumta, altera super mea dialogorum „*Bernhardini Ochini* translatione. Quod istos dialogos „transtulerim, non puto, id mihi fraudi esse debere, „transtuli enim (sicut & alia ejus opera transtuleram) „non ut Judex, sed ut translator, & ex ejusmodi „opera ad alendam familiam quæstum facere solitus." Prima accusatio Genevæ, altera Turico Basileam venerat. Castellio patronis usus est, qui causam ejus susceperunt; attamen ipsi a Senatu mandatum fuit, ut munere suo fungeretur, Græcaque doceret; Theologos vero suis rebus prospicere pateretur. Quod autem ad litem cum *Borrhao* attinet, res ita erat comparata: Scripserat Borrhaus *commentarios in quinque libros Mosis*, in quibus doctrinam Reformatorum de decreto Dei tuitus est. Castellio *annotationes in caput IX. Epistolæ Pauli ad Romanos* fecit, quas Borrhaus in *Commentariis suis* refutavit. Ipse autem Castellio in libello *de prædestinatione ad Martinum Borrhaum*, qui diu post ejus obitum *in scriptis selectis & rarissimis* ejus editus fuit, rem ita narrat: „In præfatione statim, non semel, inquit, „hortatus es me, Martine Borrhae! ut, quæ tu de „prædestinatione scripsisses, legerem, & si quid mihi „non satisfaceret, contra scriberem, tibique argumenta mea scripta traderem. Legi, sed quominus hactenus scripserim, causæ fuere duæ potissimum. Una „est, quod cum olim meam hac de re sententiam scripsissem in annotatione in IX. caput ad Romanos: „Vos censores annotationem illam jam excusam jamque unis nundinis una cum Bibliis distractam, tollendam curastis de Bibliis: & tu postea in tuis

„ in Moſen commentariis contra annotationem iſtam „ ſcripſiſti, cumque me poſtea ad ſcriptum tuum legen„ dum, ut dixi, contraque ſcribendum hortatus fue„ ris, & ego ex te quæſiviſſem, num permiſſuri eſſe„ tis, ut imprimeretur, ſi quid ego ſcripſiſſem; reſpon„ diſti: vos omnino non permiſſuros, ſed cupere te, „ mea argumenta tibi tradi, ut hac ratione redderem „ ego te armatiorem; miratus ſum ſane reſponſum „ tuum, idque mihi, ut verum tibi ingenue dicam, „ perinde viſum eſt, ac ſi quis dicat adverſario: Tra„ de mihi arma tua, ut ego te tanto facilius oppri„ mam." Tandem atrophia, quam aſſiduis ſtudiis, curis & vigiliis, forte etiam vini abſtinentia, contraxerat, graviſſimos ſtomachi dolores, quos potu lactis intempeſtivo magis exacerbaverat, cum lenta febre perpeſſus, itemque lapſu, vitam miſeram vir vere pius ac eruditus clauſit d. 29. Dec. a. 1563. Moriens eas reliquit opes, quæ chriſtiano homine theſaurum ſuum in cœlis quærente dignæ erant. Sepultus in ſummo templo, & a tribus nobilibus Polonis epitaphio ornatus. Hoc ſingulare de ejus ſepultura refert *Scaliger*, eum ſepulcro, quod Grynææ genti fuerat proprium, conditum fuiſſe, ſed *J. Jac. Grynæum*, qui celebris Theologus Baſileæ fuit, hinc extractum in alio ſepulcro poſuiſſe, forte ne pulvis ſuus cum *Myſtici* hujus pulvere miſceretur.

Edidit *Moſen Latinum ex Hebræo factum*, 1546. *Pſalterium Latinum*, 1547. Baſil. 1556. 12 *Biblia S. Lat. cum annotationibus*, Baſ. 1551. 1554. 1556. f. ſæpius poſtea recuſa, 1573. 1663. 1697. 1699. Lipſ. 1701. 8. 1728. 4. T. 12. 1750. 8. *Biblia S. Gall.* Baſ. 1555. fol. *Dialogos* 4. *de prædeſtinatione*, *electione*, *libero arbitrio* & *fide*. Aresdorffii (Baſileæ per Petr. Pernam) 1578. cum præfatione *Felicii Turpionis* (*Fauſti Socini*) his adjecit *quæſtionem*, *an perfecte legi Dei ab homine per Spiritum S. obediri poſſit? reſponſionem ad* D. Mart. Borrhaum *de prædeſtinatione*, *defenſionem adverſus Joh. Calvini Nebulonem* & de *calumnia* l. 1. hic libellus de *calumnia* factus germ. iterum prodiit a. 1695. nec non in *Gottfr. Arnoldi Kirchen- und Ketzerhiſtorie*. Scaph. 1740. fol recuſus; hæc ſingula autem lat. iterum adparuerunt Goudæ a. 1613. & Francof. 1696. *Dialogos S.* 1545. 1548. 1551. 1559. 1562. 1565. & poſtea ſæpius. *Kempiſium de imitando Chriſto latinum edidit* a. 1563. recuſum Baſil. 1576. 12. 1606. Goth. 1697. Franc. 1707. 12. *Enumerationem*

tum 5. *impedimentorum, quæ mentes hominum a vero in divinis abducunt* a. 1604. *Eclogam de nativitate Christi* Baſ. 1546. *Vitam Johannis Bapt. carmine græco heroico*, Baſ. 1548. *Jonam prophetam carmine latino heroico*, Baſ. 1545. 8. 1547. 4. *Odas in Pſalmos & carmina Moſis*, Baſ. 1551. *Xenophontem de Republica Athen. Cyrillum de exitu animæ &c. latinum fecit. Sibyllina oracula carmine heroico* Baſ. 1546. *defenſionem translationum Bibliorum, & maxime Novi Fœderis*, Baſ. 1562. 8. *Theologiam germ.* ſub nomine *Theophili*, opuſculum myſticum, quod Caſtellio denuo vertit; ejus auctor eſt aliquis ex ordine equitum Teuton. qui Francof. ad Oderam habitaverat, quodque in Boruſſia inventum *Lutherus* a. 1517. primus ediderat; prodiit ex verſione Caſtellionis Baſil. 1557. 8. Lipſ. 1730. 12. *Traité du vieil & du nouvel homme. Conſeil à la France deſolée. Recueil latin de certaines articles & arguments extraites des livres de M. Jean Calvin*, qui libellus Pariſios mittendus, ut ibi imprimeretur, incidit forte in via in manus Joh. Calvini, qui eum cum ſuis reſponſionibus, inſcio Caſtellione edidit. Sed Caſtellio nunquam ſuum voluit agnoſcere. Ejus opera prodiit & Homerus Gr. & Lat. in fol. c. n. Baſ. 1561. *Bernh. Ochini Senenſis, dialogi XXX. in duos libros diviſi, quorum primus eſt de Meſſia, continetque dialogos XVIII. ſecundus eſt cum de rebus variis, tum potiſſimum de Trinitate.* Hic liber myſticus a Caſtellione ex Italico translatus prodiit a. 1563. non tamen nomen ejus expreſſum legitur. *Moſis Inſtitutionem Reipublicæ græco latinam edidit ex Joſepho &c.* Baſil. *Liber Jobi interpr. Seb. Caſtal.* Tremow. 1554. 8. *Nov. Teſt. ex verſione Seb. Caſtal.* ſeorſim excuſum enchiridii forma, Baſ. 1551. 1556. 1572. 12. Amſt. 1683. 12. *Salomonis Proverbia, Sap. Eccleſiaſt. lat.* Baſ. 1556. 12. *Quo jure hæretici ſint coërcendi gladio vel igne*, 8. belgice converſ. 1613. 4. *Xenophontis opera græce, cura Seb. Caſtalionis*, Baſ. 1540. 3. Voll. 8. ibid. 1576. 8. *Rutilii itinerarium cum ejuſdem & aliorum animadverſionibus*, Amſt. 1687. 12. *Herodotus, interpr. Laur. Valla & Conr. Heresbachio, emendatus a Seb. Caſtalione*, Baſil. 1583. 8. Caſtellionis librum MS. *de arte dubitandi & confitendi, ignorandi & ſciendi* citat *Wettſtenius* in Prolegom. ad N. T. Amſt. 1730. 4. Ubi p. 176. ex ejus P. I. c. 12. plura exhibet. Vulgo quidem Caſtellioni etiam adſcribitur *Dialogus inter Calvinum & Vaticanum*, a. 1554. editus, ſed is ab aliis *Lælio*, rectius vero ab aliis *Fauſto Socino* tribuitur.

VI. THEODORUS ZUINGER, Med. Doct. huic profeſſioni vacavit ab a. 1564. ad a. 1571. quo ad profeſſionem Ethicam tranſiit. V. Prof. Med. Theor. n. 5.

VII. MATTHÆUS MEYER Zuingero ſucceſſit a. 1571. ab officio remotus d. 23. Apr. 1582. V. Prof. Pædag. Cl. 1. n. 6.

VIII. CASPAR BAUHIN, Med. Doct. Meyeri aliquamdiu vicarius, electus fuit linguæ græcæ profeſſor ordinarius d. 23. Apr. 1582. hancque provinciam adminiſtravit, donec d. 15. Oct. 1589. profeſſionem Anat. & Bot. adiret. V. Prof. Med. Pract. n. 5.

IX. FRIDERICUS CASTELLIO, *Sebaſtiani*, Linguæ Græcæ Profeſſoris, filius, paternam cathedram occupavit a. 1589. exeunte, ſed eam mox cum cathedra Rhetorica permutavit. V. Prof. Rhet. n. 9.

X. SAMUEL HOLZACH, Rhetor. Prof. græcam cathedram adiit a. 1589. Ejus vices aliquamdiu geſſit *Joh. Buxtorff*, Prof. Linguæ Hebr. & poſt hunc a. 1594. *Jacobus Zuinger*, Med. Doct. Holzachius tandem a munere fuit remotus d. 16. Oct. 1595. V. Prof. Pædag. Cl. 2. n. 5.

XI. JACOBUS ZUINGER, *Theodori Zuingeri*, Medici ac polyhiſtoris, & *Valeriæ Rudin* filius, in lucem editus eſt d. 15. Aug. 1569. patrem autem luſtricum habuit ſummum virum, *Petrum Ramum*, tunc Baſileæ exulem, quem pater Zuingerus ad hoc officii vocaverat tum ob veterem amicitiam Lutetiæ ſancitam, tum ob ſingularem viri doctrinam atque pietatem, qui vero triennio poſt in matutinis Pariſienſibus ſicaria manu fuit trucidatus. Pater Theodorus excellens filii ingenium præſentiens in duplici hac cura mentem omnem habebat fixam, ut filium honeſtate morum redderet pium ac probum, deinde ut liberali artium diſciplina imbueret; & quoniam ſatius eſt, liberos fieri meliores quam doctiores, ideo patri hæc erat votorum meta, ut filio cum lacte materno inſtillaret fidei & religionis nectar quoddam, quod in ſuccum ſanguinemque ſuum converteret. Adhibuit etiam, præterquam quod ipſe præceptis optimis filium inſtruxit, ephorum atque doctorem privatum, *Petrum Roth*, Freiſtadienſem Sileſium, eleganter doctum. Duplex autem hæcce cura atque inſtitutio proſperrime ceſſit, nec contigit Zuingero, quod multis

multis contingit parentibus, quorum concepta de filiis *fallitur augurio spes bona sæpe suo.* Puer enim industriam atque obedientiam, quæ, Æschylo judice, mater est felicitatis, ita probavit omnibus, ut pares haberet paucos, superiorem vero neminem. Ludo publico a. 1583. immissus tam cito pensum absolvit, ut jam a. 1585. a patre maturus haberetur, qui cum fructu exteras Academias visitaret. Quamvis enim ætate adolescens esset, ingenio tamen atque cognitione senem æquabat, linguæ non saltem latinæ atque græcæ admodum peritus, sed & philologiæ, Logicæ atque universæ philosophiæ callentissimus, quin & jam aliquam Medicinæ possedit notitiam. Primum igitur anno ætatis 16. in Italiam mittitur, philosophica atque medica studia prosecuturus atque perfecturus. Majorem Italiæ partem cum perlustrasset, Patavii sedem fixit, & *Jac. Zabarella* non tam præceptore quam domestico plane amico usus, ejus in Logicis acumen, in Physicis sublimitatem usu & consuetudine suam fecit. In Ethica audivit *Franc. Picolhomineum*; in arte medica imitandos sibi proposuit *Capivaccium, Massariam, Campolongum, Aquapendentem, Guillandinum*, maxime autem *Horatium Augenium* & *Herculem Saxoniam*; hic adeo favebat Zuingero, ut, nisi aliqua religionum obstitisset disparitas, ipsum adoptare & amplissimi patrimonii hæredem scribere cogitarit. In philologicis autem & literis humanioribus potissimum secutus est *Pancirollam* & *Pinellum.* Biennio hic transacto, Germaniam petiit, & postquam eam majori ex parte peragrasset, satis diu in variis celebrioribus civitatibus commoratus, tandem, octennio apud exteros consumto, reditum paravit, & a. 1593. salvus Basileæ advenit. Sequente statim anno ordini gratioso studiorum rationem reddidit, & dignus fuit habitus, qui d. 29. Oct. 1594. phœbeam lauream publice acciperet; præmissa oratione in quæstionem: *quomodo homo cetera animalia functionum præstantia certisque ad id destinatis organis exsuperet?* nec non promotoris, *Felicis Platteri, Theodori Zuingeri* vitæ enarratione. Circa hæc tempora, d. 25. Sept. 1596. vitæ indissolubilem consuetudinem iniit cum *Juditha Brand, Bernhardi* JC. & Tribuni plebis filia, ex qua 3. filios filiasque totidem suscepit, in illis inprimis celebrem *Theodorum*, S. Theol. Doct. ac Prof. nec non Sacrorum Antistitem. Jam anno huic præcedente, d.

16.

16. Oct, 1595. Academiæ proceres Linguæ Græcæ professorem eum constituerunt, quam provinciam, si quisquam alius, eximie exornavit; eandem autem cathedram jam a. 1594. vicario nomine conscenderat. Erudita pietate, ac pia eruditione, qua pollebat, principibus etiam viris placebat, in his *Mauritio* Hassiæ Landgravio, coram quo potentissimo heroe Zuingerus nomine & loco publico cathedram conscendit, & facundissima oratione disseruit, *quomodo philosophandum sit principi.* Nec non, ut alios mittamus, *Guilielmo Arragosio*, Gallo Tolosano, Cæsareo ac Regio Medico summo, religionis causa apud Basilienses exuli, qui in arte medica ac præcipue chymica Zuingerum diligentissime instituit, & jam juvenem tanto favore excepit, ut cum iter in Italiam institueret, hæcce albo amicorum ejus inscripserit: *Mane in Christo, & ejus verba retine. Sic quicquid voles, obtinebis. Ergo ora Patrem, ut per Filium tibi Spiritum concedat: quo mediante, ipsius veritatem dignoscas, & ejus voluntati obedias. Hæc in ingenui, speique peroptimæ adolescentis*, Jacobi Zuingeri *gratiam, Guil. Aragosius scribebat*, XIV. *Kal. Jul.* CIↃ. CI. XV. C. Eundem etiam in patriam reducem idem in sinu gestavit, & bibliothecæ aliarumque facultatum hæredem scripsit; cœlebs autem Aragosius Basileæ mortuus est annos natus 97. ex marasmo senili d. 12. Maj. 1610. Medicinam autem exercuit Zuingerus diligentissime atque felicissime, præcipue in pauperes benignissimus. Nosocomium etiam vario morborum genere laborantibus refertum gratis annos bene multos invisit, non sine valetudinis periculo, studiosis etiam eo ad αντόψιαν deductis. Ita autem cum Civitati atque Academiæ maximo esset ornamento atque emolumento, fatalis hora advenit, quæ hunc Medicorum florem in ipso ætatis flore demessuit & in beatorum sedes transposuit d. 11. Sept. 1610. postquam cum uxore sex horarum spatio ante eum exstincta, peste correptus septem dies decubuisset. Hoc eum carmine deploravit *Janus Gruterus*:

Ergo etiam, Zuingere, jaces, medioque juventæ
Tramite destituis corda propinqua tuo!
O dolor! o luctus! sic luxuriantibus arbor
Plena bonis, Boreæ flamine torta cadit.

Sic

Sic ablata carina ſuis lætiſſima ventis,
In ſaxa, in ſcopulos, in vada cœca ruit.
Macte tamen Zuingere; tuis nam quicquid ab annis
Parcarum abraſit pernicioſa trias:
Fœnore multiplici ſoboles ter terna Monetæ
Adiiciet ſcriptis tempus id omne tuis.

Edidit *diatriben philoſ.* 1597. 4. *theſes de methodis*, 1598. 4. *de oratione & pſalmis ὠδographiam*, 1599. fol. *auctarium dialectorum omnium ad Scapulam*, 1600. 1605. recuſum 1620. 1628. 1665. Lond. 1637. *Vitam Luciani*, 1602. 8. *oceanum philoſ. de anima* eod. 4. *theſes logicas de ſyllogiſmo communi*, eod. *themata philoſ.* eod. diſp. *de ſtatu & formis Rerum publ.* Baſil. 1609. 4. diſp. *de peregrinatione*, ib. 1610. 4. patris *theatrum vitæ humanæ* auctius 1606; *tabulas de græcorum dialectis*; *examen principiorum chymicorum*, *ad Hippocratis*, *Galeni ceterorumque Græcorum & Arabum conſenſum* 1606. 8. *phyſiologiam ad parentis methodum expoſitam*; *etymologicum græcum magnum*; *commentarium in l. Galeni de definitionibus medicis*; *analyſin in pleraſque Pauli epiſtolas*; *Salomonis proverbia ad certos titulos revocata*; *formulas precum*; *catechiſmum religionis chriſtianæ*; *teſtimonium de collato in Job. Phil. Pareum Magiſterii artium gradu* d. 9. Cal. Mart. 1599. editum Hanov. 1647. 4.

XII. Henricus Jeckelmann, Baſilienſis, Philoſophus ac Theologus eximius, natus eſt d. 2. Maj. 1565. patre *Franciſco*, celebri chirurgo. Cum præclara ingenii, judicii atque memoriæ dona raro connubio in ipſo juncta mature emicuerunt, amicorum hortatu ſtudiis operam dedit; ludo literario exemtus a. 1581. biennio poſt Baccalaureus & a. 1587. Magiſter artium fuit renunciatus. Poſtea Theologiæ nomen dedit & in ea magnos fecit progreſſus. Præcipue autem variis linguis addiſcendis adlaboravit, & quidem, cum tenaciſſima poluerit memoria, feliciſſimo ſucceſſu. Græcam linguam tam promte loquebatur ac latinam; gallicam atque anglicam ut germanicam; libros italicos & hiſpanicos legit ac intellexit; hebræam, chaldaicam atque ſyriacam callebat optime, ut in his ſicut illis alios cum fructu potuerit erudire. Has autem linguas didicit partim domi proprio marte ex libris, partim apud exteros per uſum. Domo enim per XIV. annos continuos abfuit, Tubingæ, Heidelbergæ, Marpurgi, Wittenbergæ, Lipſiæ, Francofurti ad Oderam commoratus; Galliam etiam atque Angliam

Angliam peragravit, integros novem annos cum Angliæ gubernatore Douvrenſi converſatus. Linguam græcam atque hebraicam ſtudioſos docuit gnaviter jam cum inter exteros verſaretur, quo non tantum ſibi viaticum ſed & haud modicum pecuniæ ſupra uſus ſuos comparavit. Domum cum rediiſſet laboris præmia accepit, & d. 19. Febr. 1611. profeſſor linguæ Græcæ fuit deſignatus, quam ipſi demandatam provinciam ſumma fide, dum vixit, adminiſtravit; vir ceterum fuit humanitatis, modeſtiæ, manſuetudinis, pacis atque temperantiæ, pietatis in Deum atque homines ſtudioſiſſimus. Vixit cœlebs annos totos LVIII., in conjugio vero annos X. cum *Dorothea Lang*, ſed prole deſtitutus. Sefquianno ante obitum fulmine apoplectico fuit ictus & in lectum dejectus, acceſſerunt dolores nephritici exquiſitiores, denique his malis liberatus d. 4. Maj. 1633.

Edidit *carmine græco inferias ſacratas memoriæ Amandi Polani*, Theologi, & *Jac. Zuingeri*, Medici, Baſ. 1610. *deplorationem cladis Baſil. græce, qua viri celebres peſte a.* 1610. *defuncti commemorantur*, ib. 1611.

XIII. JOH. JACOBUS FREY natus eſt ex antiquiſſima familia Baſilienſi, quæ jam a. 1438. *Burcardum Frey*, virum fortiſſimum, Reipublicæ ſenatorem dedit integerrimum; natalis ejus incidit in d. 6. Jun. 1606. parentes vero veneratus eſt *Joh. Henricum Frey*, mercatorem, & *Eſtheram Oſtein*. Hi unicam hanc prolem omni cura educarunt, omnemque laborem ejus ſaluti impenderunt. Mox in infantia publicis privatiſque informatoribus, præcipue *Beato Helio*, gymnaſiarchæ, commendatus tantos in literis atque moribus fecit profectus, ut a. 1621. ex decreto philoſophorum ordinis in promotione verna ad lectiones publicas fuerit admiſſus. Civibus academicis adſcriptus adſidua lectione, meditatione, auſcultatione atque exercitatione ita urſit ſtudia, ut jam a. 1622. d. 13. Sept. publice de *patria cœleſti* cum adplauſu verba fecerit, eodemque anno d. 26. Nov. primam Lauream obtinuerit; dein Phyſicæ, Matheſi atque Ethicæ tam diligenter operatus eſt, ut ſummos honores philoſophicos d. 14. Maj. 1624. cum laude adipiſceretur. Linguis eruditis artibuſque liberalibus jam probe inſtructus ad ſublimiora, quibus hæc inferiora famulantur, tranſiit ſtudia,

ſtudia, videlicet theologica, nomen ſuum inter theologiæ ſtudioſos eodem a. 1624. profeſſus; omnem nempe ſcientiam magis obeſſe quam prodeſſe, ſi deſit ſcientia Optimi, rectiſſime judicavit. Magno autem animi ardore ſeſe ſacris literis addixit, illas nocturna, illas diurna manu verſare delicias ſuas duxit, unde ſummo cum adplauſu d. 30. Jun. 1625. theſes de *triplici Chriſti mediatoris officio* publice defendit. Solidiſſimis jam eruditionis atque veræ religionis jactis fundamentis, & alias regiones inviſere conſtituit; maturus enim jam erat ætate atque prudentia, qui cum fructu peregrinaretur; itaque permittentibus illis, a quorum voluntate pendebat, ſub initium Auguſti a. 1625. Genevam verſus iter adgreſſus eſt, quo ſalutatis in via Murato, Paterniaco atque Lauſanna d. 11. Aug. pervenit. Hic Theologos præſertim, *Turretinum*, *Diodatium* atque *Tronchinum* frequenter adiit atque audivit, aliquoties publice concionatus eſt, & binis vicibus in diſputationibus reſpondentis vices maſcule egit. Genevam reliquit medio Maji 1626. & idibus Maji Lugdunum adtigit; perrexit mox in itinere, & idibus Junii Lutetiæ advenit. Diutius hic ſubſtitit & propoſitum in Angliam iter in ſequentem annum rejecit. Saluravit ſtudioſe hujus urbis eruditos, bibliothecam regiam aliaſque curioſis oculis luſtravit, exercitiis academicis interfuit, & quicquid viſu dignum id omne avide atque adtente conſideravit. Valedixit tandem Lutetiæ d. 8. Apr. 1627. & mox ad terram anglicam adpulit feliciter. Conſideratis quæ Cantuariæ, Roceſtriæ, Londini ſunt memorabilia, Oxoniam contendit, ibique ſtudiorum cauſa aliquamdiu ſubſtitit. Paulo poſt vero comes Corcagiæ, *Richardus Boyle* ipſum filii primogeniti, domini de Dungarvan ephorum deſideravit, cui & operam ſuam addixit & menſe Januario a. 1630. Lyſmoram cum eo conceſſit; ita autem hanc ſpartam geſſit, ut ipſemet Prorex eum omnibus modis cuperet promotum; quod & citius evenit, cum d. 6. Maj. ejuſdem anni a *Theophilo* Epiſcopo Menevenſi Diaconus eccleſiæ anglicanæ conſtitueretur. Sed eodem anno patriam repetiit & d. 4. Jun. ſalvus in ea advenit, illico paſtor Margarethanus deſignatus. Indulgente autem magiſtratu Baſil. alterum in Angliam atque Hiberniam ſequente anno inſtituit iter. Cum ſecundo flumine in Germaniam inferiorem deſcendit, Lugdunum Bat. atque Hagam comitis accuratius conſideravit

Digitized by Google

deravit, nec ab eruditis ſolum ſed & a Regina *Eliſabetha* & principibus Palatinis humaniſſime exceptus. In Hiberniam redux inprimis exoptatus fuit comiti Corcagiæ, qui tum ab ipſo tum per literas a magiſtratu Baſilienſi deſideravit, ut aliquamdiu apud ipſum permaneret, filiumque ſuum, dominum de Dungarvan, per Angliam atque Galliam iter facientem comitaretur. Conſentientibus ambobus, novam hanc provinciam adiit, & pro omnium votis adminiſtravit. Interim Baſileæ cathedra Linguæ Græcæ fuit vacuefacta. Inclinabant quidem nonnullorum ſententiæ in Doctorem *Joh. Lucam Chmielecium*, Medicum Mullhuſinum; ſed eum ſenatus iſtius loci munere ſenatorio arctius ſibi devinctum retinere ſtuduit. Hinc eo abnuente vocationem, d. 28. Jan. 1634. Freyius noſter profeſſionem iſtam obtinuit, quam poſthabitis, quibus in Anglia frueretur, maximis honoribus atque reditibus accepit. Cum vero reditum in patriam non ita accelerare poſſet, ut ſtudioſorum commoda requirebant, ejus interea vices egit partim *Samuel a Brunn*, miniſter Jacobæus, partim *Joh. Rodolphus Wettſtein*, ejus poſtea in eodem hoc munere ſucceſſor. Advenit tandem d. 17. Jul. 1635. & munus ſibi commiſſum adiit d. 18. Aug. 1635. prælectione, qua *ad hiſtoriam linguæ græcæ ſpectantia* delineavit. Eodem anno d. 9. Nov. uxorem duxit *Catharinam Guntzer*, *Sebaſtiani Guntzeri* & *Margarethæ Stæhelin* filiam, *Jacobi Bernoullii* viduam. Cum autem ſpartam ſuam exornare contenderet atque exornaret, eo ipſo menſe, quo connubia concelebravit, literas accepit a *Guilielmo Bechero*, equite aurato, quibus inſtitutio junioris ducis Buckingamiæ ipſi offerebatur, & cum ea reditus & honores ſupra votum. Sed arctioribus jam catenis patriæ adligatus hos honores a ſe declinavit. Sub illud ipſum autem tempus mortuo Decano Armachano ad ſplendidam illam in Archiepiſcopatu Armachano functionem legitime fuit vocatus, eique illa vocatio a *Jac. Uſſerio* Archiepiſcopo Armachano & *Thoma Littel*, Proregis Hiberniæ ſecretario inſinuata; quin ipſe Prorex ea de cauſa ad magiſtratum Baſil. literas pro impetranda dimiſſione exaravit. Re mature deliberata adnuit vocationi & proximo vere ad iter in Hiberniam faciendum ſeſe accinxit. Sed Dei cogitationes eædem non ſunt ſemper quæ noſtræ, iſque haud raro aliter diſponit, quam homo ſibi propo-

proponit. Id & hic accidit. Omnia cum itineri eſſent præparata, incidit Freyius in febrem ardentem, qua d. 21. Aug. 1636. animam exhalavit, relicta uxore gravida, quæ d. 11. Dec. 1636. filium peperit, *Joh. Jacobum*, qui d. 2. Oct. 1720. paſtor Leonhardinus obiit.

Scripſit *orationem de lingua græca*, *hodœporicon* & alia non edita; nec non diſſ. *de vocatione ad Chriſtum*, Genev. 1626.

XIV. Joh. Rodolphus Wettstein electus Linguæ Græcæ profeſſor d. 3. Mart. a. 1637. hanc cathedram per integrum ſexennium ornavit, d. 10. Mart. 1643. ad Organicam vocatus. V. Prof. N. T. n. 9.

XV. Hieronymus Zenoin natus eſt Baſileæ a. 1612. patre *Michaële Angelo Zenoin*, Veneto Vicentino, qui cum fratribus, *Thoma* atque *Hieronymo*, jus civitatis Baſilienſis acquiſivit. Ab ineunte ætate literis adhibitus tanta in iis fecit incrementa, ut a. 1628. gymnaſii noſtri carceres egreſſus philoſophiæ cultoribus fuerit adſcriptus. Philoſophiæ autem eum ſedulam operam navaſſet, & A. L. M. titulum d. 29. Nov. 1631. meritus accepiſſet, Medicinæ ſtudio ſe totum ſacravit, eo uſque in eo progreſſus, ut ſummos in Medicina honores d. 28. Sept. 1641. pro merito ſuo publice referret. Ægrotis dein conſiliis ſuis ſaluberrimis promtus adfuit atque ſedulus, in praxi medica atque præſertim chymia multum occupatus. Vxorem, animi laboribus fatigati oblectationem, habuit *Eliſabetham Thurneiſen*, *Joh. Vlrici*, ſenatoris, filiam, ex qua 4. liberos ſibi ſuperſtites habuit. Productus autem fuit ob ſingularem in ſtudio philologico atque literatura græca peritiam ad uſus academicos & d. 10. Mart. 1643. Linguæ Græcæ profeſſor denominatus; cui provinciæ fide qua debuit, atque, qua licuit, induſtria præfuit. Etiam a. 1650. Oeconomia ſuperioris collegii ei fuit commendata, quam itidem dextre atque fideliter adminiſtravit, donec præmaturo fato tactus ad metam pervenit d. 2. Jan. 1654.

XVI. Theodorus Wolleb, filius *Johannis Wollebii*, S. Theol. Doct. ac Prof. nec non Sacrorum Antiſtitis, & *Catharinæ Falckeiſen*, vitæ lumen adiit d. 28.

Apr. a. 1625. Absoluto feliciter ludi literarii curriculo, a. 1640. ad Academiam transiit & sapientiæ amori deditus philosophicas prælectiones publice privatimque frequens audivit; audita etiam diligenter repetendo atque meditando, insuperque optimos auctores legendo atque relegendo ad eam pervenit in hisce scientiis eruditionem, ut sapientissimus ordo ei solennia eruditionis testimonia publice conferri decreverit; accepta itaque d. 18. Jan. 1642. prima Laurea, & d. 6. Jun. 1643. doctoris philosophici dignitate, studium paternum adgressus eodem hoc anno nomen in album studiosorum theologiæ retulit, & ab ore consummatissimorum Theologorum, *Seb. Beckii*, & *Theodori Zuingeri*, totus pependit. Nulla enim capitalior pestis studiosos invadit, quam si sui juris sint, priusquam sint sui judicii; hoc demum si ad maturitatem pervenit, & verba magistrorum, in quæ utique non jurandum, æqua lance ponderari & ad lydium lapidem, infallibile Dei verbum, probari & non nisi probata retineri possunt debentque. Hac via Wollebius Theologiam tractavit, hacque via felicissimos in ea fecit progressus, ut a. 1646. omni suo merito in numerum S. Ministerii Candidatorum fuerit adlectus. Opera vicaria concionatoria in urbe & agro aliquamdiu præstita, Genevam abiit, ibique specimina eruditionis concionibus frequentibus edidit. Galliam inde petiit ad statum ecclesiarum & praxin ecclesiasticam pernoscendam. Cum deinde a. 1649. *Dorothea Sophia*, comes Hohenloënsis, concionatorem aulicum a ministerio eccles. Basil. expeteret, in eum ampliſſima spe consensum, ipseque in arcem Schillingsfürst amandatus est. Hinc, universæ hujus nobilissimæ familiæ perenni gratia sibi conciliata, a. 1654. in patriam reversus & d. 15. Sept. ejusdem anni professor Linguæ Græcæ & paulo post Visitator Gymnasii constitutus fuit. Biennio autem hoc munere cum laude functus, aliam vocationem obtinuit, & pastoratum Martinianum d. 29. Apr. a. 1656. sibi oblatum, deposita professione, accepit. Hujus etiam muneris partes concionando, monendo, consolando, docendo, explevit singulas, ægrotos, etiam peste correptos, vocatus & non vocatus invisit, quin cum ipse primos pestiferæ luis insultus sentiret, ad peste correptum concessit, a quo domum reversus, ægrius habere cœpit & denique d. 7. Nov. 1667. lue hac epidemia fuit exstinctus.

Relicta

Relicta 13. annorum conjuge, *Vrſula Imhof*, ſenatoris filia, ex qua quaternam prolem ſuſtulit, filiolum autem *Johannem* jam a. 1661. defunctum deflevit.

Edidit idiomate germanico aliquot concionos funebres, itemque *decadem quæſtionum phyſicarum de cœlo ſydereo* &c. Baſ. 1646. 4.

XVII. JOHANNES ZUINGER Linguæ Græcæ Profeſſor denominatus eſt d. 3. Oct. 1656. iſtudque munus obiit, donec d. 3. Mart. 1665. Locorum communium ac Controverſiarum Theol. Prof. fuit deſignatus. V. Prof. V. T. n. 15.

XVIII. JOH. HENRICUS GLASER Zuingeri in profeſſione græca ſucceſſor conſtitutus fuit d. 21. Apr. 1665. & in hac cathedra ſubſedit uſque ad d. 30. Sept. 1667. quo profeſſio Anat. & Botan. ei obtigit. V. Prof. Anat. & Bot. n. 7.

XIX. JOH. JACOBUS HOFFMANN natus 11. Sept. 1635. ex *Joh. Jacobo Hoffmann*, præceptore gymnaſii & *Juditha Kærber*, literis moribuſque bonis mature atque ſollicite imbutus, &, emenſo ſcholæ trivialis curriculo, a. 1647. ad lectiones publicas fuit promotus. Philoſophiæ autem cum ſedulus ſtuduiſſet, & profeſſoribus diligentiam ſuam in ſtudio philoſophico certis argumentis probaſſet, laboris mercedem, primam Lauream, obtinuit d. 12. Dec. 1648. præmiſſa oratiuncula in quæſtionem: *An arrogantia ſit ſcopulus virtutis?* continuato hoc ſtudio atque eruditione haud parum adaucta, etiam altero præmio adfectus, &, poſtquam *cauſas eclipſium ſolis & lunæ* publice ediſſeruit, d. 20. Aug. 1650. doctoris philoſophici titulo fuit condecoratus. Eodem anno ſtudio ſacro initiatus Theologiæ dogmaticæ atque polemicæ diligentem operam navavit, & linguarum textus Scripturæ originalium, hiſtoriæ eccleſiaſticæ atque antiquitatum ſacrarum eximiam ſibi comparavit notitiam, adeo ut d. 23. Mart. 1655. magno ſuo merito Miniſtris verbi divini fuerit adnumeratus. Cum autem corporis atque valetudinis infirmitas obſtaret, quo minus duriores Miniſterii S. labores perferret, in id incubuit maxime, ut ſcientia atque peritia divinarum atque humanarum

narum rerum, quam indies cumulaverat, aliis prodeſſet & inſtar Bezaleelis Naſiræos ſacros ad opus Dei in eccleſia atque academia perficiendum formaret atque inſtrueret. Hanc ſuam ſingularem in aliis docendis induſtriam atque peritiam cum jam ſatis probaſſet, Academiæ proceres ei publicum munus detulerunt, eumque d. 19. Nov. 1667. linguæ Græcæ profeſſorem dixerunt. Hanc provinciam omni diligentia adminiſtravit, donec d. 21. Dec. 1683. ad profeſſionem Hiſtoriarum fuit translatus, quam adiit d. 7. Mart. 1684. prælectione inaugurali de *Hiſtorici officio*, atque, dum vixit, diligentiſſime obiit. Interim vacante ex morte Joh. Rodolphi Wettſtenii, patris, cathedra theologica, operam ſuam una cum Joh. Rod. Wettſtenio, filio, ampliſſimæ Regentiæ & ordini theol. modeſte obtulit, & editis conſuetis ſpeciminibus petiit, imo ut peteret animatus fuit, ἀξίωμα doctoris theologiæ, quod, quia id prolixe meritus fuerat, promotione ſolenni cum J. Rod. Wettſtenio, qui hanc cathedram tum obtinuit, a Doctore, Profeſſore atque Antiſtite, Petro Werenfelſio, d. 2. Jun. 1685. accepit, qua occaſione *de eccleſia ultimorum temporum* publice diſſeruit. Denique aliis cum ſatis docendo profuiſſet, d. 10. Maj. 1706. maraſmo ſenili conſumtus ad aſtra ſcandit. Donavit fiſco acad. in uſum pauperum ſcholarium libras ducentas valoris Baſil.

Edidit diſſertationem de *Individuo*, 1659. *de ſcientia demonſtrativa*, eod. *de notitia Dei naturali*, 1660. *quæſtiones philoſ.* 1661. *aſſertiones philoſ.* 1665. *theſes ex Socraticis dialogis*, 1667. *de ſucceſſione*, 1670. *de natura animæ humanæ*, 1671. *theſes ex philoſophia organica*, 1674. *de mendacio officioſo*, eod. *poſitiones philoſ.* 1677. *de mundo*, 1679. *de politica natura*, 1684. *poſitiones politicas*, I. 1687. II. eod. III. 1689. IV. eod. V. eod. VI. VII. VIII. 1690. IX. 1691. X. XI. XII. 1694. XIII. 1695. XIV. 1696. XV. XVI. 1697. XVII. 1698. XVIII. 1700. *theſes ex philoſophia morali*, 1691. *de ſermone ad reip. ſalutem relato*, I. 1695. II. 1696. *de hoſpitalitate*, 1697. *de paſſionibus animæ Chriſti*, 1685. *de peccato*, eod. *Lexicon univ. hiſtorico, geographico, chronologico, poëtico philologicum*, 1667. recuſum 1674. 4. T. fol. ejus continuatio edita 1683. & totum opus auctius prodiit Lugd. Bat. 1698. *Poëmata*, 1684. *Epitomen hiſtoria univ.* 1686. 12. *hiſtoriam Paparum*, 2. T. 1687. *Progymn. poëtic. rerum terrenarum*, Baſ. 1691. 12. Ejus etiam opus eſt *Hiſtoria Auguſta Impp. Rom. a C. Jul. Caſ. uſque ad*

Digitized by Google

ad Josephum ex Jo. Petri Lotichii & Jo. Jac. Hofmanni *tetrastichis*, &c. Amstelæd. 1707. fol. c. f.

XX. JOH. RODOLPHUS WETTSTEIN ex Oratore fit Græcus d. 4. Jan. 1684. & d. 10. Jul. 1685. ad professionem Locor. comm. & Controv. Theol. transfertur. V. Prof. V. T. n. 17.

XXI. SAMUEL WERENFELS, vicarius professoris Logici, Græcus eligitur d. 21. Jul. 1685. & ad Oratoriam transiit d. 18. Febr. 1687. V. Prof. V. T. n. 18.

XXII. JOHANNES WETTSTEIN, J. V. D. Logicæ professor vicarius, Græcam cathedram occupavit d. 10. Jun. 1687. prælectione inaugurali *de græcæ linguæ studio recte formando*, mutavit autem hanc cathedram cum Ethica d. 27. Sept. 1695. V. Prof. Pand. n. 11.

XXIII. EMANUEL KOENIG, Med. Doct. constitutus linguæ græcæ professor d. 19. Dec. 1695. ad Physicam vocatur d. 18. Dec. 1705. V. Prof. Med. Theor. n. 15.

XXIV. JOHANNES BERNOULLI, seculi sui *Archimedes*, *Cartesiis*, *Newtonis*, *Leibnitiis* non secundus, decimus fuit partus parentum, *Nicolai Bernoullii*, mercatoris ac CC. viri & *Margarethæ Schœnauer*, editus d. 27. Jul. 1667. In juvene raræ animi dotes observatæ atque a parentibus ad mercaturam faciendam destinatæ fuerunt, quo fine a. 1682. carceres Gymnasii egressus, Neocomum abiit, ut linguam gallicam simulque mercaturæ elementa addisceret. Sed, divina providentia ad mercaturam bonarum artium destinatus, hoc negotii genus majori amore atque labore fuit prosecutus, quam illud, cujus gratia illuc fuerat missus. Hæc cum in eo a. 1683. domum reverso observarentur, genio suo, id est, musis, optimis ominibus, fuit permissus. Hanc facultatem adeptus, novo fortiorique impetu in literarum studia ferebatur. Philosophiæ sedulam operam dedit, & in omnes ejus partes penetrare contendit. Primam Lauream d. 10. Jun. 1684. ei imposuit Nicol. Eglinger, Med. Doct. & Phys. Prof., in qua promotione *de igne lambente* carmine latino verba fecit. Secunda autem

laurea, quæ Magiſterii eſt, idem promotor eum ornavit d. 8. Dec. 1685. habita prius oratione, qua carmine græco *principem eſſe propter ſubditos* facunde probavit. His jactis fundamentis, Medicinæ ſtudium ſibi proſequendum propoſuit, quod itidem omnibus viribus præſtitit, ut a. 1690. præmiſſis conſuetis examinibus atque erudita diſſertatione de *effervescentia & fermentatione* Licentiam ſummum in Medicina honoris gradum accipiendi maxima cum laude obtineret. Hunc autem Medicinæ Doctoris titulum, præmiſſa altera diſſertatione *de motu muſculorum*, ſibi demum tribui paſſus eſt d. 20. Mart. 1694. publice ſermocinatus *de origine & dignitate Medicinæ*, *& una de utilitate Matheſeos ad ſtudium medicum.* Ceterum ad exemplum atque ductum fratris XIII. annis majoris, *Jacobi Bernoullii*, Matheleos Profeſſoris Baſilienſis celeberrimi, a prima jam juventute mathematicis ſcientiis vacavit, tanto fervore tantaque animi intentione, ut non ſolum biennii ſpatio omnes tam veteres quam recentiores mathematicos perlegerit, ſed & plura meditando ipſe nova detexerit, quemadmodum ejus ſcripta demonſtrant; in primis laboribus, quos edidit, quique famam eruditionis ejus longe lateque ſparſerunt, nominandus eſt *calculus differentialis* atque *integralis*; ſcripta autem huc pertinentia occurrunt in actis Eruditorum, collecta autem cum aliis in Operibus ejus Lauſannæ editis. Labente anno 1690. Genevam profectus Mathematicorum præcipue aliorumque Eruditorum amicitia fuit uſus, præ aliis autem ſibi habuit conjunctiſſimum *Joh. Chriſtophorum Fatio de Duillier*. Elapſis 8. menſibus, Septembri 1691. in Galliam tranſiit, & per Lugdunum Lutetiam Pariſiorum, elegantiorum literarum patriam, contendit. Hic hebdomadariis Academiæ Scientiarum conventibus atque exercitiis interfuit, & in familiaritatem venit *P. Malebranche*, *de la Hire*, *Varignon*, aliorumque primi ordinis eruditorum; quin a nobiliſſimo Marchione *de l'Hoſpital* hoſpitio exceptus, magnique habitus fuit. In hujus patroni agro tuſculano, in *Blois* ſito, quatuor menſes commoratus *calculum exponentialem* invenit. Pro deſiderio parentum Novembri 1692. patrios lares reviſit, & cum magno *Leibnitio* commercium philoſophicum & mathematicum inſtituit, quod in lucem prodiit 2. T. in 4. Lauſannæ 1745. Eodem Leibnitio auctore princeps Braunſchwei-

Digitized by Google

Braunſchweigenſis, *Antonius Vlricus*, a. 1693. Bernoullium noſtrum Guelpherbytum vocavit, ut publico nomine diſciplinas mathematicas doceret, ſed de ea provincia accipienda ſeſe apud eum humillime excuſavit. Paulo poſt, nempe d. 6. Mart. 1694. matrimonio ſibi conjunxit *Dorotheam Falckner*, quæ novem liberorum ex eo facta eſt mater. Ex quibus duo filii, *Daniel* atque *Johannes*, ille Phyſicam, hic Matheſin, in Academia Baſil. ſumma cum laude adhuc docent; natu major vero, *Nicolaus*, J. V. L. natus d. 27. Jan. 1695. poſtquam inde ab a. 1722. Bernæ per triennium Jura, & Petropoli a d. 26. Oct. 1725. per octo ſaltem menſes Matheſin docuiſſet, etiamque ſcriptis variis inclaruiſſet, acerbiſſimo fato d. 26. Jul. 1726. Petropoli diem obiit, honoris cauſa ſumtibus imperatoriis elatus. Patri autem Bernoullio a. 1695. duæ ſimul oblatæ fuere cathedræ mathematicæ, una Halæ Saxonum, altera Groningæ Friſiorum, hanc illi prælatam adiit d. 28. Nov. 1695. eamque provinciam maximo cum adplauſu & auditorum atque ſpectatorum concurſu, inprimis cum phyſicam experimentalem tractavit, ſolertiſſime obiit. Certatim mox a plurimis ſcientiarum academiis atque ſocietatibus ſodalis fuit adlectus, ut a. 1699. a *regia academia ſcientiarum Pariſina* una cum fratre *Jacobo*, qui honos eo magis æſtimandus, quod 8. tantum peregrinis ad eum aditus pateat; a. 1701. a *regia Berolinenſi*; d. 1. Dec. 1712. a *regia Londinenſi*; a. 1724. a *Bononienſi*; a. 1725. ab *imperatoria Petropolitana* -- -- -- Rex Boruſſiæ, *Fridericus* I. ad cujus mandatum Bernoullius in *Academiam Scientiarum Berolinenſem* ſuſceptus fuit, eidem monetam auream, 40. ducatorum pondere, cui effigies regia impreſſa eſt, ex occaſione barometri lucentis ab eo confecti, quo rex inprimis delectabatur, dono miſit. Interim a. 1703. Curatores academiæ Vltrajectinæ magnum hunc virum ſibi vindicare ſtuduerunt, eique profeſſionem Mathematicam decreverunt; ſed Groningenſes, aucto ſalario, eum retinuerunt. Academia etiam Baſilienſis fructus a cive ſuo percipere deſiderans eum d. 18. Dec. 1703. profeſſorem linguæ Græcæ deſignavit; quam quidem provinciam cum gratiarum actione accepit, efflagitavit tamen, ut ipſi permitteretur, adhuc aliquamdiu Groningæ ſubſiſtere. Hoc ei conceſſum, & interea vicarius, qui integro ſalario frueretur, conſtitu-

tus eſt *Samuel Battier*, Med. Doct. Antequam autem Groninga diſcederet, & profeſſionem Græcam adiret, ſenatus acad. Baſil. d. 21. Sept. 1705. ei obtulit profeſſionem Matheſeos, ex obitu fratris Jacobi vacantem, quam & d. 17. Nov. 1705. publice auſpicatus eſt prælectione *de altioris geometriæ nova analyſi, ejuſque uſu & neceſſitate ad ſtudium phyſicum*; quæ academiæ vocatio non tantum a Magiſtratu Baſil. rata habita fuit atque adprobata, ſed & novo huic profeſſori ſupra ſalarium conſuetum, honorarium, ad dies vitæ continuandum, fuit decretum. Circa hæc tempora iteratum ſed fruſtraneum iterum fecerunt tentamen de Bernoullio adipiſcendo Vltrajectini curatores, quod a. 1709. repetierunt, ſed irrito iterum conatu. Etiam an. 1714. Patavini & an. 1717. Groningenſes iterum lautis conditionibus eundem ad ſe invitarunt. Sed his omnibus jam amor prævaluit patriæ. Præterquam quod officii publici partes omnes exacte implevit, Rectoratum acad. iterum & Decanatum philoſ. octies dextrę geſſit; commoda Gymnaſii, cujus viſitator erat ab a. 1725. ſingulari induſtria promovit. A. 1722. legatione fungebatur nomine Academiæ ad Epiſcopum Baſil., idque graviter atque decenter. Inter hoſce honores atque labores publicos privatim phyſica atque mathematica ſtudia diligentiſſime profecutus eſt, non ſolum legendo atque meditando, ſed & ſcribendo atque libros plurimos edendo; commercium literarium inſtituit atque continuavit cum philoſophorum atque mathematicorum principibus, *Leibnitio*, *Newtonio*, *de Fontenelle*, *Marchione de l'Hopital*, *de Moivre*, *de Mairan*, *de Montmort*, *Varignon*, *Hermanno* Baſil., equite *Renau*, *de Maupertuis*, *de Tſchirnhaus*, *Jac. Scheuchzero*, *Michelotti*, *Craig*, *Burnet*, *Wolfio*, *Cheyne*, *Poleni*, *de Crouſaz*, *Cramer*, *Bulfinger*, *S'graveſande*, *Eulero* Baſil. cum quibus aliiſque de ſuis aliorumque inventis diligenter communicavit. Controverſiæ quæ ipſi cum equite *Renau*, *Jurin*, *Broock*, *Taylor*, *Keil*, *Pemberton*, *Robins*, comite *Ricati* atque aliis fuere obortæ, ejus famæ non ſolum nihil detraxerunt, ſed eam auxerunt potius atque gloriofiorem reddiderunt. A. 1730. ab academia ſcientiarum Pariſienſi obtinuit præmium L. 2500. ob ſolutionem problematis *de cauſis phyſicis ellipticarum figurarum planetarum*; & a. 1734. geminati præmii L. 5000. dimidiam

diam partem ipſe & alteram filius *Daniel* ab eadem academia accepit ob ſolutionem problematis *de inclinatione mutua orbitarum planetarum*. Tandem vir acutiſſimus, a multis ad aſtra ſublatus, maraſmo ſenili exeſus, d. 1. Jan. 1748. aſtra petiit, cœlitibus æternum adſociatus. Ejus Elogium legi potest in Hiſtor. Acad. Scient. Pariſ. a. 1748. p. 124. ut & in Hiſtor. Acad. Scient. Berolin. a. 1747. p. 22. it. a. 1750. p. 173. nec non in Pinacotheca Bruckeriana.

Opera ejus Actis Eruditorum Lipſienſibus, Pariſienſibus, Berolinenſibus ac Petropolitanis inſerta, nec non ſeparatim excuſa, etiamque manuſcripta, in unum collecta & IV. Tomis in forma 4. c. f. edita ſunt Lauſannæ 1742. præter commercium literarium Leibnitianum atque Bernoullianum, quod ibidem ſeorſim 2. T. in 4. c. f. prodiit 1745.

XXV. SAMUEL BATTIER, facundia græca pollentiſſimus, lucem hanc adſpexit primum d. 23. Jan. 1667. Puer miſſus eſt in gymnaſium patrium, in quo abſque ullius præceptoris privati opera per ſingularem diſcendi cupiditatem tantum profecit, ut a. 1680. ſub æquinoctii autumnalis tempus ad lectiones publicas in academia audiendas admitteretur. Ab eo tempore audivit diligentiſſime profeſſores in philologicis & philoſophicis diſciplinis docentes; præcipue autem uſus eſt inſtitutione privata *Joh. Rod. Wettſtenii*, filii, tum quidem Oratoriæ, poſtea S. Theologiæ profeſſoris, quo duce etiam in græcis egregia eruditionis ſuæ fundamenta poſuit. Eodem etiam Wettſtenio brabeuta utramque philoſophicam lauream publice obtinuit; primam quidem d. 30. Maj. 1682. ſecundam autem 4. Dec. 1683. Laureatus *Hectorem* carmine heroico laudavit; artium vero Magiſter carmine græco *triumphum Germaniæ de Turca* expoſuit. In omnigena jam ſapientia probe exercitatus, & artium propædeuticarum notitia eleganter imbutus, ſtudio artis medicæ ſe dedit, cujus diſcendi cauſa audivit publice privatimque *Joh. Caſp. Bauhinum*, *J. Rod. Burcard*, *Jac. Roth*, *J. Jac. Harder*, *Nic. Eglinger* & *Theod. Zuinger*. Non abjecit interim ſtudium philoſophicum & philologicum. Matheſin ſolertiſſime didicit, præceptore uſus *Jac. Bernoullio*. Algebram item calculum differentialem ac analyſin infinite parvorum ſibi familiarem reddidit. Studio medico finito, doctoratus

medici dignitates & immunitates accepit d. 30. Dec. 1690. publice differens *de matheſeos in medicina utilitate.* A. 1696. iter literarium ſuſcepit in Galliam, ibique mathematicos, philoſophos, philologos & medicos, *Tournefort*, *du Vernay*, *Homberg*, *P. Malebranche* &c. frequenter audivit publice privatimque differentes. In bibliothecis Pariſinis, regia præcipue, adſiduus fuit, in qua & ſæpius quinque aut ſex horas continuas exegit, manuſcripta omnis generis græca evolvens. Argentoratum dein profectus adiit *Bæclerum*, *Kühnium* & *Scheidium*. Cum rediiſſet domum, accepit literas a *Nic. Gurtlero*, Baſil., qui tum apud Bremenſes docebat, qui eum ad ſtationem aliquam in ea ſchola obeundam invitabat. Porro *J. Henr. Wettſtein*, etiam Baſilienſis, ſed qui Amſtelodami typographicam artem ſumma cum laude exercebat, ipſum ad ſe aut in aliam Batavorum academiam traducere laborabat. Verum patriam relinquere noluit Battierius, quæ & ipſum paulo poſt præmiis laboris dignis remunerata eſt, d. 18. Febr. 1704. vicarius & d. 14 Dec. 1705. ordinarius linguæ Græcæ profeſſor ab Academiæ proceribus conſtitutus. Dum ita provinciam ſuam ſtrenue ornaret, menſe Sept. 1711. a *Luca Schræckio*, Acad. nat. curioſ. præſide, accepit literas, quibus ejus Academiæ ſocius, cognomento *Erotianus*, dicebatur. Tantum autem abfuit, ut artis medicæ ſtudium abjecerit, ut potius & optimos quoſque libros legendo, & medicinam faciendo docendoque eam ſedulo excoluerit. Imo vero etiam a. 1711. item a. 1721. nec non 1724. editis ſpeciminibus diſputationum atque prælectionum Medicam cathedram tum vacantem ambibat. Sed Deo viſum fuit, ut ad finem uſque vitæ græcæ linguæ docendæ inſudaret, id quod etiam docendo atque ſcribendo ſedulo fecit. Inde ab a. 1727. viſitator fuit Gymnaſii Baſil. eique utilem operam præſtitit. Obiit tandem cœlebs tot laboribus & ſenio debilitatus d. 23. Apr. 1744. Legavit Academiæ ſortem 1200. florenorum, cujus uſura, impletis nonnullis conditionibus, cedet Studioſo Baſilienſi.

Scripta ejus edita ſunt: Diſſ. de *generatione hominis*, 1690. *Cogitata de ſimplici apprehenſione*, cum adnexis notis in varios autores græcos, 1693. *Specimen philolog.* ſ. *Obſervationes in Diog. Laërt.* - - 1695. *hypomnemata de eloquentia*, cum notis in auctores græcos, 1696. *de mente humana*, 1. 1697.

I. 1697. II. 1701. *cum manipulo emendationum in Diog. Laërt. Obſervationes in Diog. Laërt.* 1705. diſſ. *de mundo*, 1710. *de cognitione ſui ipſius*, 1711. *deſcriptio œconomiæ corporis humani*, I. 1711. II. 1721. *Poſitiones medicæ*, 1724. *diſquiſitio de idea Dei non innata, in qua Lockius adverſus Sherlockium vindicatur*, 1721. *Obſervationes S. in loca quædam N. T.* Bibl. Brem. cl. 6. p. 84. in l. *ad Gal.* 2. 3-5. ib. cl. 7. p. 56. *in Job.* 7. 21-23. ib. cl. 8. p. 745. *decas obſerv. in N. T.* ib. p. 941. ογδοας *obſ. in N. T.* Muſ. Brem. V. 2. P. 2. p. 181. *prælectio de requiſitis profeſſoris linguæ græcæ* &c. Muſ. helv. P. 10. p. 289. *Oratio de ſtudii linguæ græcæ utilitate atque commodis, deque aptiſſimo modo & ratione facillima ſtudium illud incipiendi*, ib. P. 12. p. 523. *prælectio de iis, ad quæ potiſſimum attendi debeat, ut quis in antiquis græcorum ſcriptis non ſolum loca corrupta deprehendere, ſed & eadem, ſi ullo modo id fieri poſſit, emendare valeat*, ib. P. 13. p. 1. *Oratio de literarum græcarum poſt inductam plurium ſeculorum horrendam barbariem in occidentalibus Europæ partibus interitu, & quomodo ex ſingulari Dei beneficio tandem illæ inſigniter reſloruerint*, ib. P. 14. p. 163. *Obſervationes in Euripidis Hecubam*, ib. P. 17. p. 30. it. in *Euripidis Oreſten*, ib. P. 18. p. 175. it. *in Eurip. Phœniſſas*, ib. P. 19. p. 341. it. *in varias Euripidis tragœdias*, ib. P. 22. p. 201. *Pollucis* etiam *Onomaſtici* editionem Hemſterhuſianam, nec non editionem operum *Origenis a Ruæo* curatam, itemque editionem *Hippocratis Trillerianam*, licet ejus nomen fuerit ſuppreſſum, ipſum opera ſua multum juvaſſe conſtat, miſſis & obſervationibus & variis lectionibus ex codicibus Biblioth. Baſil. Mſt. collectis.

XXVI. Joh. Jacobus Wettstein, vir in Theologia Patriſtica verſatiſſimus, natus eſt Baſileæ d. 5. Mart. 1693. patre *Joh. Rod. Wettſtein*, paſtore Leonhardino, matre *Sara Saraſin*. A patre erudito, ac matre prudentiſſima, utriſque veræ pietatis amantibus, omnia adminicula filio ex 13. liberis ſecundo fuere ſuppeditata, quibus animus & mores in ſui atque ſocietatis commoda formarentur. Mature æmulari cœpit non ſolum parentum ſed & majorum virtutem atque eruditionem, nec ſine ſucceſſu. Latinis græciſque literis, nec non aliis ſcientiis, quibus pueri ſolent imbui, jam ſatis inſtructus, ad academiam acceſſit a. 1706. & prælectiones philoſophicas diligenter atque adtente audivit. Privatim autem indefeſſo ſtudio artes atque ſcientias, ad penſum ejus pertinentes, excoluit, dignuſque etiam habitus fuit, qui

qui titulis philosophicis exornaretur. Prima nempe Laurea condecoratus fuit d. 22. Maji 1708. oratione publica probans, *bonis omnia in bonum cedere.* Corona autem Magistrali redimitus fuit d. 28. Maj. 1709. & tum *Chilonem*, secundum ex septem Græciæ sapientibus, publice atque diserte laudavit. Eodem isto anno, nempe d. 26. Apr. 1709. studio theologico nomen dedit, & ita strenue in eo versatus est, duces inprimis secutus patruum *J. Rod. Wettstein*, *Sam. Werenfels*, *Jac. Christoph. Iselin* & *Joh. Lud. Frey*, singulos Theologos consummatissimos, ut mense Martio 1713. S. Ministerii Candidatus designaretur. Vulgari autem Ministrorum eruditione haud contentus altius scandit & ipsos fontes adiit, scriptores græcos, ecclesiasticos atque profanos, summa industria legens & in usum suum convertens; etiam codices manuscriptos græcos, quos Bibliotheca publica Basil. plures possidet antiquissimos, sub auspiciis patrui J. Rod. Wettstenii, bibliothecarii, diligenter evolvit, & varias exinde lectiones collegit. Linguam etiam hebraicam, nec non dialectum rabbinicam, talmudicam, chaldaicam atque syriacam, *Joh. Buxtorfio* duce, sibi fecit familiarem, harumque linguarum ope utriusque Fœderis librorum sensum penitius atque felicius indagare didicit. Cum autem non omnis ferat omnia tellus, etiam exteras regiones invisere statuit. Itaque mense Aprili 1714. iter literarium instituit, atque primum per Turicum & Bernam Genevam petiit, ibique per aliquod tempus commoratus est. Inde per Lugdunum Lutetiam Parisiorum adiit; tandem sequentis anni mense Augusto in Angliam trajecit. Ubique viros literatos salutavit, eorumque familiari commercio usus est. In his præter alios erant *Montefalconius*, *Ruæus*, *Courayerus* atque *Bentlejus*. Ubique etiam, qui potissimus itineris literarii scopus erat, Codices N. T. manu exaratos avide pervolvit, & cum impressis studiose contulit, eorumque accuratam descriptionem deinceps in Prolegomenis N. T. exhibuit. Dum in Anglia commorabatur, a nobilissimo *Chambrierio* legionis helveticæ, stipendia hollandica merentis, & tunc temporis Rochestriæ militantis, duce, ut vocatur, Brigaderio, legionis concionator electus est a. 1716. Rochestriam ergo se contulit, legionem tamen, ejusdem anni mense Julio in Hollandiam traiicientem, non e vestigio secutus est.

Moram

Moram injecit Rich. Bentlejus, qui visis schedis, in quibus variæ lectiones ex codicibus Mſt. Gallicanis a Wettſtenio notatæ fuerant, eum rogavit, ut Lutetiam rediret, & codicem S. Ephraim Syri iterum & quantum fieri poſſet, accuratiſſime conferret, quod &, conſentiente Chambrierio, fecit. Hinc elapſis tribus menſibus ad legionem in Sylvam Ducis rediit, & quæ fecit notata Bentlejo miſit. Sacra ergo apud legionem facere incepit menſe Nov. 1716. Vix autem aliquot menſibus elapſis, in patriam vocatur ad communem Diaconatum obeundum. Reverſus itaque menſe Julio 1717. Baſileæ advenit & commiſſum munus adgreſſus eſt. Triennio autem exacto Patri à Diaconatu Leonhardino ad ejuſdem cœtus Paſtoratum translato ſucceſſor datus eſt atque collega. Ab iſto autem Diaconatu, urgentibus cauſis commotus, a. 1730. deceſſit, & ad Batavos contendit; Amſtelodami apud Wettſtenios, bibliopolas, degens mox Remonſtrantibus innotuit, qui perſpecta ejus eruditione a. 1731. *Clerico*, jam ſenio debilitato, eum ſucceſſorem dederunt; munus vero iſtud demum menſe Majo 1733. poſtquam nempe prius Baſileam hincque iterum Amſtelodamum rediiſſet, ſolenniter auſpicatus eſt. Dum vero hic ſtrenue atque cum adplauſu philoſophiam doceret, d. 12. Oct. 1744. a ſenatu academiæ Baſilienſis profeſſor Linguæ Græcæ electus & pro more a Magiſtratu Reip. confirmatus eſt. Sed Societas Remonſtrantium omnem movit lapidem, ut egregium hunc virum retineret, ipſique aucto honorario hiſtoriæ eccleſiaſticæ profeſſionem decrevit. Precibus tandem Remonſtrantium ceſſit & vocationem Baſilienſem recuſavit. Sequente anno autem Baſileam iterum petiit, matrem atque amicos viſurus. Batavis dein redditus ad priſtinos labores rediit & auditoribus Clerici opera philoſophica explicuit methodo perquam concinna atque perſpicua; inſperſis etiam iis, quæ Newtonus ejuſque diſcipuli deinceps invenerunt noviter vel clarius expoſuerunt. Hiſtoriæ autem eccleſiaſticæ compendium ipſe confecit, quo in prælectionibus tanquam filo utebatur. Inter hos labores continuos propoſitum Varias Lectiones N. T. undique colligendi & aliquando edendi non abjecit, ſed diligenter urſit, per literas ab eruditis ſubſidia petens, etiamque in Angliam proficiſcens, ubi ipſemet iterum varios codices contulit. Tandem opus diu deſideratum prodiit, prior

Digitized by Google

prior quidem Tomus a. 1751. posterior vero a. 1752. Complectitur autem opus textum receptum, variantium lectionum farraginem, numero omnes alias collectiones superantem, nec non commentarium criticum, stupendam lectionem prodentem. Adjecit etiam duas Clementis Romani epistolas, hactenus non editas, e codice Mst. N. T. Syriaci erutas, textuique syro versionem latinam adposuit. Fama eruditionis Wettstenianæ præsertim etiam hocce ingentis laboris opere longe lateque dispersa, effectum est, ut d. 15. Jun. 1752. in regiam *scientiarum academiam Borussicam* & d. 5. Apr. 1753. in *regiam scientiarum societatem Londinensem* sodalis suscipereturetiam d. 15. Febr. 1754. cooptatus fuerat membrum anglicanæ *societatis de propaganda fide evangelica in exteris regionibus*. Diem supremum obiit cœlebs, ex gangræna in altero crure exorta d. 23. Mart. 1754.

Edidit diss. *de variis lectionibus N. T.* Bas. 1713. quæ recusa est in Mus. Helv. P. 26. *concionem funebrem* germ. in Ps. 90. 12. 1719. Bas. *Cantica quædam sacra*, Germ. Bas. 1728. *Prolegomena ad N. T. græci editionem*, Amst. 1730. 4. *ea denuo edidit, notasque adjecit atque appendicem de vetustioribus latinis recensionibus*, J. S. Semler, Halæ 1764. 8. *concionem germ.* in Esai. 8. 19—22. Bas. 1732. *Ortbodoxiam a falsis criminationibus J. L. Frey vindicatam*, Amst. 1733. *Orationem funebrem in obitum Joh. Clerici*, ib. 1736. 4. *Sermonem in funere Joh. Driebergii* habitum ib. 1746. 4. *N. T. græcum cum V. L. & commentario critico &c.* ib. 1751. 1752. 2. T. in fol. *Duas epistolas S. Clementis Rom.* ex codice Mst. N. T. Syr. & lat. Lugd. Bat. 1752. fol. *Epistolam ad Herm. Venemam de genuinitate epistolarum Clementinarum*, 1754. 8. *Observationes ad versionem epistolæ ad Hebræos a comite Zinzendorff* editam, in Bibliotheque Raisonnée, ubi & alia Wettstenii reperiuntur.

XXVII. ANTONIUS BIRR, vir in literatura græca atque latina incomparabilis, natus est Basileæ d. 20. Apr. 1693. Tener ante diem vicit gressu æquales, literisque probe imbutus civitatem academicam adsecutus est a. 1708. Musarum choro adscriptus iisdem diligenter litavit, & in linguarum atque liberalium artium studiis tam strenue versatus est, ut sibi præclaram in rebus philosophicis acquisiverit eruditionem, adeo cito in singulis progressus scientiis, ut qua ætate alii in illis discendis incipiunt laborare, ea ipse ætate in iisdem excelleret. Prima

Digitized by Google

ma Laurea cum d. 10. Jun. 1710. a Sam. Battierio esset cingendus, publice verba fecit in sententiam Plinii Sec. *Multi famam, conscientiam pauci verentur.* Artium autem cum crearetur Magister a Joh. Buxtorfio d. 9. Jun. 1711. *de studio antiquitatum Romanarum* disseruit. Huic autem linguarum atque philosophicarum scientiarum cognitioni jam gravius doctrinæ genus adjungere paravit & naturæ propensione maxime ad medicinæ studium ductus illud omnibus nervis excoluit. Celeriter autem ac multum tum ob excellentem ingenii vim, tum ob præclaram philosophiæ cognitionem, tum ob impigram in discendo adsiduitatem, & in hacce arte fuit progressus, ut citius summos Doctoratus Medici honores mereretur; quos vero per modestiam nondum accipere voluit. Hac autem multo labore parta multiplici eruditione jam & aliis prodesse studuit. Medica quidem ægrotis consulendo atque auxiliando; philosophica vero peritia, quæ, inprimis in utraque lingua, græca atque latina, eximia erat, studiosos instruendo atque in parnassum deducendo, iisdem illud Quintiliani sæpe inculcans: *Is demum se profeciſſe putet, cui Cicero placet.* Aliquoties etiam ex occasione vacantis cathedræ vel medicæ vel philosophicæ operam suam Academiæ obtulit, sed sortis iniquitate identidem fuit repulsus. Tandem vero bona causa triumphavit, & Birrius d. 15. Jan. 1745. professor Linguæ Græcæ longe meritissimus fuit constitutus; hanc provinciam d. 15. Mart. ejusdem anni capessivit prælectione *de causis neglecti a multis græcæ linguæ studii.* Triennio post, nempe d. 20. Maj. 1748. passus est, se titulo Doctoris Medici insigniri atque salutari. Postquam autem diu multumque commodis publicis inserviisset, tandem ad æternam quietem abiit d. 29. Mart. 1762.

Edidit *adumbrationem historiæ rationalis philosophiæ*, 1722. *Theses de naturalis scientiæ universa materia*, 1727. *Specimen hypomnematum ad Grotium de J. B. & P.* 1727. Dissertationes II. *de requisitis in demonstratione Anatomica*, 1732. *Animadversiones Rhetoricas*, 1733. *Theses ex morali philosophia*, 1734. *Excursum in historiam helveticam, ea quæ fœdus antecesserunt, ejusque causas perstringentem*, 1737. *Animadversiones Horatianas*, 1743. *Animadversiones in B. Clementis epistolas*, 1744. 8. *Orationem de causis neglecti a multis græcæ linguæ studii*, Mus. Helv. P. 5. p 79. *Thesaurum Linguæ Lat. Rob. Stephani* auctum atque castigatum

tum, Baſ. 1741. IV. Tom. fol. *N. T. græci curavit editionem*, Baſ. 1749. 8. *& ipſi præfationem adjecit; eidem autem loca parallela addidit vir, dum viveret, reverendus atque doctiſſ.* Benedictus Bernoulli, *S. M. C. qui & cum reverendo itemque doctiſſimo viro*, J. Georg. Erzbergero, *tum S. M. C. poſtea Diacono Petrino majorem operis partem recenſuit.*

XXVIII. JOH. JACOBUS SPRENG, Poëta Cæſar. Laur. Societatum germ. Lipſienſis, Bernenſis, Baſilienſis, & Gottingenſis ſocius, hanc lucem adſpicere cœpit d. 31. Dec. 1699.; patre genitus *Joh. Jac. Spreng*, A. L. M. calligrapho eximio & Gymnaſii præceptore, matre *Vrſula Pfannenſchmid*. Velociſſimum ingenium in puero mox obſervabatur, & ad literarum ſtudia adhibebatur. Claſſes gymnaſii cum fructu percurrit & in Academiæ gremium a. 1713. exceptus artes, quæ ingenuos decent, liberales atque ingenuas inde vocatas, diligenter coluit, omnemque etiam in addiſcenda latina græcaque lingua adhibuit diligentiam. Inſignia itaque eruditionis philoſophicæ accepit ſolennia, primam nempe Lauream a Joh. Bernoullio, Math. Prof. d. 4. Jun. 1715. habita prius oratione in quæſtionem: *Utrum præſtantius ſit amari quam amare?* Doctura vero philoſophicæ dignitatem ei tradidit Joh. Buxtorf, Linguæ Hebr. Prof. d. 26. Nov. 1716. qua occaſione publice καλλιγραφίας laudem expoſuit. Hiſce peractis nomen in album ſtudioſorum Theologiæ retulit d. 1. Dec. 1716. & S. Literis ſtrenue incubuit. Elapſo autem quadriennio tum huic ſtudio dato, tentamina ac examina ſolennia cum laude ſuperavit, & Verbi divini Miniſter a. 1721. rite fuit denominatus. Jam aliis de eruditione ſua impertire incepit, & primo quidem anni ſpatio ſatrapæ Fraubrunnenſis filios inſtituit. A. 1724. Ratisbonæ ephoriam ſuſcepit filii Baronis *de Schütz*, legati ducis Wurtembergici, quem paulo poſt Viennam comitatus eſt ad aulam Cæſaream, titulum gerens concionatoris hujus legati. Per huncce patronum etiam ad ipſam aulam obtinuit aditum, quin etiam honorem, ipſi *Carolo* VI. carmen germanicum a ſe compoſitum offerendi, quod gratioſe acceptum & deinceps diplomate poëtæ Cæſarei remuneratum eſt. Exacto Viennæ annuo tempore, Stutgardiam aliaſque Germaniæ civitates peragravit, ſeptemque menſibus cœtui gallico,

Digitized by Google

lico, qui Heilbrunnæ colligitur, præfuit. Dein, ſcilicet a. 1727. paſtoris munus ſuſcepit Peruſiæ, quæ colonia eſt Valdenſis, in ducatu Wurtembergico, ibique d. 16. Dec. 1730. uxorem duxit *Franciſcam Groſs*, Offenbachenſem, quæ d. 28. Jun. 1739. ad meliorem vitam tranſiit, relictis 4. liberis, ex quibus filia deinceps Baſileæ nupta parvulumque enixa matrem ſecuta eſt; reliqui etiam tres liberi itemque nepos idem fatum habuerunt. Hic autem cum degeret, & quaſi in exilio inter, ut ipſe loquebatur, Muſarum antipodas ſordidiſſimos atque ab omni literarum cultu guſtuque alieniſſimos converſaretur, graviter etiam multumque ei conflictandum fuit cum valetudine adverſa, ut ævum cum diis agere ſibi videretur, ſi unum alterumve annum reſpirandi ab acuto atque ancipiti morbo facultas obtingebat. Aliquando autem de eo fuiſſet conclamatum, niſi præſentior ſuccurriſſet Deus. Accidit nempe a. 1735. cum gregem ad Sacra Pentecoſtes rite celebranda præpararet, ut ſubito omnibus reſolutus membris & quaſi fulminis adflatus ventis in imum ſuggeſtum diffluëret. Accurrerunt anxii ſeniores cœtus, paſtoremque ſuum vita ereptum putantes domum portant. Arceſſuntur medici e longinquo. Deſcenditur ad extrema. Adfulſit iterum ſalutis ſcintilla, quæ vero poſtero die prorſus evanuit, cum gravior apoplexia omnium membrorum ſenſus exſtingueret animamque clauderet. Deſperantibus autem ſalutem medicis, inopinatam ſtupendamque Deus ipſe malo adtulit medicinam, ut ſenſim manuum pedumque miniſterio uti, verbaque faciliora eluctari, quin ſeptimo vel octavo abhinc menſe publice de ſuggeſtu verba ad populum facere ipſi liceret. Per duo luſtra cum iſtum cœtum paviſſet, paſtoratum Peruſenſem cum Ludweilenſi commutare juſſus eſt a. 1737. Ad vota autem ſecunda tranſiit a. 1740. cum *Sophia Fechter*, Baſil., quæ duos filios, treſque filias, quarum una quinquennis exſtincta, ipſi peperit; iſta etiam uxor d. 4. Apr. 1763. ipſum reliquit morte erepta. Magiſtratus Baſil. merita civis remuneraturus a. 1743. profeſſorem extraordinarium eloquentiæ atque poëſeos teutonicæ eundem nominavit. A. 1746. in patriam revocatus eique paſtoratus orphanotrophii commiſſus, nec non a. 1754. munus profeſſoris hiſtoriæ patriæ extraordinarie, exhibito etiam ſalario, ei fuit collatum, quod d. 24. Oct. ejuſdem anni ora-

tione germanica *de civitatis Basilienſis origine* publice adiit. Denique etiam ipſi ſortito obtigit Linguæ Græcæ profeſſio d. 14. Sept. 1762. quam d. 15. Dec. ejuſdem anni prælectione *de revocando græcæ linguæ ſtudio* ſolenniter auſpicatus eſt. Hanc provinciam omni ſtudio adminiſtravit maximo auditorum emolumento, facillima præſertim atque perſpicua maxime uſus methodo. Apoplexia denique laborioſæ vitæ ejus finem impoſuit d. 24. Maj. 1768. Memoriam Sprengii æternitati mandaturus *Vlr. Samſon*, artifex Baſ. monetam cudit cum ejus effigie & hacce epigraphe: *J. Jac. Spreng, Baſ. Germaniæ Pſaltes.* nec non Vir Rev. *Sim. Grynæus*, Miniſter Petrinus, concionem funebrem habuit d. 27. Maj. 1768. in Eccleſ. 9. 11. 12. quæ Baſileæ fuit impreſſa.

Edidit *novam Davidis pſalmorum translationem* carmine germ. Baſ. 1741. & 1770. 8. *Duas conciones* in 2. Cor. 10. v. 5. Francof. 1723. 8. *Cantica ſacra* 1741. 4. *Laudationem funebrem Drollingeri* germ. ſeparatim editam in 4. Baſ. 1743. itemque junctam Drollingeri operibus, quæ etiam Sprengius edidit Baſ. 1743. 8. *Breve commentarium rerum Rauracarum uſque ad Baſiliam conditam*, Baſ 1744. 4. *Conjecturales animadverſiones in Olympionicas & Pythionicas Pindari*, ib. eod. 4. *Teſtimonia gentium & Judæorum de Chriſto, ab Addiſſonio collecta, in germanicum tranſtulit & edidit* Baſ. 1745. 8. *Carmina ſacra atque profana*, T. I. Turici 1748. *Job. Drydii tragœdiam de lapſu hominis* ex anglico in germanicum a ſe translatam edidit Baſ. 1757. 8. *Specimen gloſſarii teutonici* 1759. fol. *Commentaria ſatyrico moralia*, ſub nomine *Eidsgenoſs*, Baſ. 1749. 8. item ſub nomine *Sintemal*, ib. 1759. 8. *Orationem de pugna Jacobæa prope Baſileam*, germ. ib. 1748. 4. *Duodecim prælectiones de geſtis Helvetiorum ante Imp. Vitellium*, ib. ſine impreſſionis anno, 12. plag. *Thurnifii Orationem ſec. Jubil. Acad.* in Germ. verſam, ib. 1760. 4. *Cantum atque pſalmum in eodem actu Jubil. Acad.* decantatos, ib. eod. 4. *Tractatum de origine atque antiquitate utriuſque urbis Baſileæ*, ib. 1756. 4. *Prælectionem de revocando apud Rauracos græcæ linguæ ſtudio*, ib. 1762. 4. *J. Chriſt. Beckii introductionem in hiſtoriam helv. germanicam fecit*, editam Tig. 1768. 8. item *varia carmina gratulatoria* atque *epicedia*. Præter complura carmina ſacra atque profana ineditum reliquit opus ingens atque multiplici eruditione refertum, pluribus voluminibus conſtans, & *Gloſſarii teutonici* nomine inſignitum.

XXIX. ACHIL-

XXIX. ACHILLES WIERZ, natus Baſileæ d. 24. Apr. 1745. & a puero bonis artibus ac moribus expolitus, ſtatim in patrio ludo præclara egregiæ indolis dedit argumenta. Exinde ad ſcholas publicas miſſus philoſophiæ juxta ac linguis eruditis, philologiæ & literis elegantioribus ſtudium ſuum omne dicavit, tantumque in iis profecit, ut a magiſtris ſuis ad ampliſſimos honores produceretur; baccalaureus nempe philoſophicus creatus fuit d. 8. Jun. 1762. in qua promotione publica oratione germanica *Vniverſitatem alicujus civitatis verum eſſe ornatum* facundo ore probavit. Supremos autem philoſophiæ honores ex decreto philoſophorum ordinis ei contulit J. Henr. Gernler, Hiſt. Prof. d. 14. Jun. 1764. ubi ex mandato Domini Brabeutæ *linguæ germanicæ eadem lingua dixit encomium.* Hanc dignitatem conſecutus in ampliorem gradum promoveri contendit. Pio nempe propoſito ſtudium theologicum elegit, Deo proximoque vel in eccleſia vel in academia, quocunque ferat divina voluntas, olim ſerviturus, quod utrumque, ut ſtatim dicetur, ei contigit præſtare. Nomen itaque, auſpice Deo, ſtudio theologico dedit d. 29. Apr. 1763. eique ſe totum ſacravit. Acquiſita autem in litteratura græca atque hebraica, hiſtoria eccleſiaſtica atque doctrina theologica præclara notitia, conſueto tempore examinibus ſubjectus & eccleſiæ miniſter conſtitutus atque ordinatus fuit a. 1768. Eodem autem anno, cum cathedra græca ex deceſſu Sprengii vacua relicta & ſucceſſore digno explenda eſſet, candidatorum turbæ ſeſe immiſcuit, ſpartamque optimi quondam ſui magiſtri ambivit. Quam etiam benigna ſorte d. 9. Sept. ad ipſum devolutam d. 13. Dec. 1768. publice atque ſolenniter adgreſſus eſt prælectione *de ſcriptorum græcorum verſionibus vernaculis.* Sed breviſſima fuit academiæ hæcce proſperitas. Vixdum enim eam incepit guſtare, jam iterum ea ipſi fuit ſubtracta. Cœtus nempe Petrinus, eundem ſibi expetiit Diaconum, & in urnam conjectum obtinuit a. 1769.

Edidit *Oden germ.* a. 1762. ex occaſione J. Jac. Sprengii in cathedram græcam evecti. *Specimen cogitationum in methodum linguam græcam addiſcendi*, d. 9. Sept. 1768 *Carmen muſicum* in templo Petrino decantatum a. 1769. cum Reipublicæ Magiſtratus annuum dixit ſacramentum. *Carmina varia germanica*, Turici 1766. 8. *Concionem funebrem*

in obitum Petri Rybineri, Log. Prof. in 1. Reg. 19. 4. 5. d. 1. Maj. 1771. *Concionem fun.* in Joh. 16. 15. d. 29. Sept. 1774. Francof. 1774. *concionem eucharisticam* hab. d. 17. Jul. 1774. in Hebr. 10. 23. Baſ. 4. 1776.

XXX. MATTHÆUS MERIAN, J. V. C. prognatus eſt d. 22. Dec. 1744. parentibus *Andrea Merian*, J. V. C. & prætore tranſrhenano, & *Salome Wettſtein*. Puericiam bonis literis addiſcendis impendit ſedulo, & incredibili legendi cupiditate atque facilitate, juvante etiam feliciſſima memoria, tantos fecit profectus, ut philoſophiæ cultoribus meritiſſimus adſcriberetur. Academiæ jam civis adſcriptus in omnibus ingenuis artibus atque ſcientiis ita eſt verſatus, ut promerente id erudita doctrina vitæque integritate, duplici eruditionis teſtimonio publico fuerit ornatus; prima quidem Laurea d. 8. Jun. 1762. Magiſterii vero dignitate d. 14. Jun. 1764. A philoſophicis itaque diſciplinis bene inſtructus ac præparatus ad altiora enitens juriſprudentiæ ſe dedidit, quam etſi ſtudiorum caput poſuerat, philoſophicum ſtudium diligenter continuavit, & græcos latinoſque auctores multo labore evolvit. Græcis autem, ut dignum Sprengii decebat auditorem, inprimis delectabatur. Elapſo ab accepta magiſterii dignitate triennio examina juridica ſubiit atque non ſine laude ſuperavit, in numerum Juris Candidatorum cooptatus. Biennio poſt, cum græca Sprengii cathedra iterum vacaret, ad eam obtinendam ſpecimen diſputationis publicum edidit atque defendit d. 22. Sept. 1769. quo obſervationes criticas in nonnulla auctorum græcorum loca exhibuit. Obtigit etiam ei ſorte hæcce cathedra d. 29. Sept. 1769. eamque prima vice occupavit d. 19. Jan. 1770. inaugurali lectione *de profeſſoribus græcæ linguæ, qui ab epocha beatæ reformationis ad noſtra uſque tempora in Vniverſitate Baſil. floruerunt.* Cum autem hancce provinciam aliquamdiu diligenter adminiſtraſſet, cupido eum inceſſit aliam, genio forſan magis convenientem, quærendi, quam mox invenit, a. 1773. ad munus ſecretarii in cancellaria noſtra promotus.

XXXI. CHRISTOPHORUS LEGRAND natalem habuit d. 21. Nov. 1748. parenteſque *Chriſtophorum Legrand*, mercatorem ac CC virum & *Mariam Juditham Linder*. Cum

Cum ingenio eſſet felici, ad literarum ſtudia inclinante, literis a puero dicatus atque adhibitus fuit; magnos etiam ſtatim in ſtadio literario fecit progreſſus, & mature ſpem præclaram doctrinæ atque virtutis de ſe excitavit. Etiam meſſis, quæ jam in herba adparebat, advenit opulentior. Academiæ traditus a. 1761. non ſolum profeſſores prælegentes publice atque privatim diligenter audivit, ſed & privata induſtria literas græcas atque latinas, arteſque liberales tractavit ſedulus; inprimis fratre, *Luca Legrand*, J. V. D. & Log. atque Metaphyſ. Prof. P. duce uſus atque magiſtro optimo pariter atque fidiſſimo. Cum autem honos alat artes, illo autem negato iſtæ frigeſcant, philoſophorum chorus huic ſuo alumno nequaquam defuit, eumque dignis præmiis adfecit; primam nempe Lauream ei impertivit d. 14. Jun. 1764. Henr. Gernler, Hiſt. Prof. habita prius oratione publica in ſententiam a promotore præſcriptam: *Oratores, poëtas, philoſophos natura, non arte, diligentiave fieri.* Summum autem in philoſophia honorem ex decreto ordinis publice d. 5. Jun. 1766. ei contulit Jac. Basler, Ling. Hebr. Prof. tuncque Candidatus *de utilitate ſtudii antiquitatum* verba fecit. Jam ſtudio philoſophico addere decrevit ſtudium juriſprudentiæ, cui a. 1767. nomen dedit, quodque præeuntibus juris anteceſſoribus conſultiſſimis, *J. Rod. Thurneiſo* & præſertim *J. Rod. Iſelio*, diligentiſſime tractavit. Interea Lauſannam profectus linguam gallicam didicit, annoque elapſo patriæ reſtitutus Juris ſtudium denuo excoluit. Hoc abſoluto, a. 1770. examen ſubiit, & in Juris utriuſque Candidatorum numerum cum laude fuit relatus. Paulo poſt iter inſtituit literarium, & per potiores Germaniæ civitates Gottingam tendens Marpurgi Cattorum ſalutavit *Eſtorem* magni nominis JC. Gottingæ cum advenit, audivit in philoſophia quidem *J. Georg. Henr. Federum*; in Digeſtis vero *Chriſt. Frid. Georg. Meiſterum*, magnæ Britanniæ regi a conſiliis aulicis; in jure Feudali & S. R. J. hiſtoria *Georg. Lud. Bœhmerum* & *Joh. Steph. Pütterum*, utrumque regi Brit. a conſiliis intimis; in jure denique publico *J. Henr. Chriſt. de Selchow*, eidem regi a conſiliis aulicis. Anno ſequente 1771. inſecuta parentis optimi morte, patriam repetiit, ſeque ad munus publicum aliquando cum dignitate obeundum diligentiſſime præparavit. Mox etiam variæ

ei oblatæ fuere occaſiones, eruditionem ſuam probandi publiceque demonſtrandi; vacante nempe cathedra græca a. 1769. iterum a. 1771. ceſſante cathedra Logica, porro a. 1773. pro vacante ſede Rhetorica, nec non eodem anno iterum vacante profeſſione Græca ſolennia ſpecimina edidit, tandemque optatam curſu contigit metam, d. 1. Oct. 1773. Linguæ Græcæ profeſſor electus; hanc provinciam, bono cum Deo, adgreſſus eſt d. 14. Dec. 1773. prælectione ſolenni *de lingua græca cum ſtudio juris civilis conjungenda*, hancque hactenus ſumma cum diligentia atque ſtudioſorum utilitate adminiſtravit. Ornatus etiam fuit pro merito d. 6. Sept. 1774. J. V. D. titulo atque dignitate.

Edidit d 29. Sept. 1769. *obſervationes varias in literaturam græcam*; d 15. Nov. 1771. *ſpecimen meditationum in Platonis Cratylum de recta nominum ratione*; d. 11. Maj. 1773 *theſes rhetoricas*; d. 6. Sept. 1774. *obſervationes juridicas de legislatione Helvetiorum*; d. 27. Sept. 1774. *Theſes juridicas.*

PROFESSORES ORGANI ARISTOT.

I. Hieronymus Gemusæus, civis Müllhuſinus, natus eſt a. 1505. In triviali ſchola cum fratre natu majore, *Auguſtino*, literarum elementa percepit; cum vero ex pueris atque crepundiis exceſſit, in vicinam Academiam Baſilienſem fuit tranſmiſſus a. 1523. Hic diligenter literis græcis atque latinis operam dedit, præceptore potiſſimum uſus *Henr. Glareano*, cujus ductu, accedente optimo ingenio atque ſingulari induſtria, tantum profecit, ut dictus Glareanus, ſi quando negotiis a docendo impediebatur, ipſi vices ſuas commiſerit; cumque etiam in reliquis artibus atque ſcientiis ſtudioſe eſſet verſatus, philoſophica præmia ſolennia fuit adſecutus, nempe primam Lauream a. 1524. & dignitatem magiſtralem d. 10. Febr. a. 1525. Hiſce ornatus literis atque titulis in Galliam eſt profectus, philoſophiæ ſtudium proſecuturus, ſibique Ariſtotelem atque Platonem adeo familiares reddidit, ut in numero ſubtiliſſimorum philoſophorum haberetur. Cum ſtudio phyſiologico junxit & alterum illi adfine, nimirum Medicinæ, tanto labore, tanto-

tantoque cum ſucceſſu, ut doctoratus medici inſignia a. 1533. in feriis Pentecoſtalibus Taurini, non tam a ſe expetita, quam a profeſſoribus oblata retulerit. Dein multiplici doctrina inſtructus Baſileam rediit, & ſtatim a. 1534. profeſſionem Phyſices obtinuit. Philoſophiam autem naturalem non ex lacunis latinis neque ex triobolaribus compendiorum libellis, ut ipſe vocabat, ſed cum dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, ex ipſo textu græco Ariſtotelis libros phyſicos expoſuit. Paulo poſt uxorem duxit *Sibyllam, Andreæ Cratandri*, typographi, filiam, ex qua ſuſcepit *Polycarpum* atque *Hieronymum*, quorum uterque optimos libros excudit, inprimis Hieronymus, qui fratre longævior re typographica & ſenatoria dignitate inclaruit, pietate quoque conſpicuus, qui trecentas libras in uſum pauperum ſcholaſticorum legavit; avus is exſtitit Jeremiæ Gemuſæi, ſenatoris, XIII. viri & ſcholarchæ Baſil. ut & Hieron. Gemuſæi, paſtoris primum Rothenfluenſis, dein Lucif. vallenſis, cujus filius cognominis fuit paſtor Benckenſis. A provincia philoſophiæ naturalis docendæ avocatus fuit Gemuſæus noſter a. 1537. ad profeſſionem Organi Ariſtotelici, quam etiam magno diſcentium fructu obivit. Licet autem in omni diſciplinarum genere fuerit verſatiſſimus, nullique ſecundus, ipſum tamen non puduit a. 1540. ſe *Seb. Münſteri* in Hebraicis diſcipulum profiteri, eum in finem, ut ex fontibus purioribus doctrinam Evangelii melius cognoſcere & adverſus antagoniſtas fortius defendere poſſet. Sed præmatura mors laudabiles ejus conatus interrupit. Cum enim ſub autumnum 1542. in Italiam ad Principem vocaretur, ex inſueta cœli intemperie morbum ſibi contraxit, quo domum redire coactus, accedente febri ardente, d. 20. Jan. 1543. magno cum luctu bonorum exſtinctus eſt.

Tranſtulit *epitomen* 17. *librorum Geographiæ Strabonis* ex græco in latinum, quæ verſio cum Strabonis operibus edita eſt Baſ. 1539. & ib. 1557.; *præfationes* ſcripſit in græca *operæ Galeni*, cujus & vitam delineavit; in *Almageſtum Ptolemæi latinum*; *in Theophraſti opera græca*; *Fumanelli tractatum de febribus*; *in Ariſtotelis opera*, quæ ipſe recognovit & quorum quædam de græco in latinum transfudit; *eis cenſuram de Ariſtotelis dogmatibus* adjecit; *analytica poſteriora* commentariis illuſtravit; *ejuſdem* libros duos de Plantis latinos fecit, qui cum Ariſtotelis operibus latinis Baſileæ excuſi ſunt, interpretis nomine omiſſo.

II. SIMON GRYNÆUS, N. T. profeſſor, ſuſcepit etiam a. 1541. profeſſionem Organi Ariſtot. & legit in ejus Topicorum l. 8. ſed eodem anno præmaturæ morti occubuit. V. Prof. N. T. n. 2.

III. SEBASTIANUS LEPUSCULUS in Organum Ariſtotelis legere cœpit a. 1542. & perrexit ad a. 1545. quo ad paſtoratum apud Franciſcanos tranſiit. V. Prof. Log. n. 4.

IV. JOHANNES HOSPINIANUS, Rhet. atque Orat. Profeſſor, ad Organum fuit promotus a. 1546. ſed demum d. 12. Jun. 1547. in illud legere incepit, ſicque continuavit uſque ad ejus mortem, quæ contigit d. 7. Jun. 1575. V. Prof. Rhet. & Orat. n. 3.

V. JOH. NICOLAUS STUPANUS, Med. Doct., d. 10. Oct. 1575. electus Organi profeſſor hanc provinciam adminiſtravit, donec, urgente præcipue *Hottomanno* JC. ob dedicationem Machiavelli principi præfixam, & ad Epiſcopum Baſil. directam, qua huic nimium adulatus dicebatur, ex SC. d. 31. Dec. 1580. lectione ſuſpenderetur, quod decretum ei d. 16. Jan. 1581. per Scholarchas fuerat inſinuatum. Ejus interea vices egit M. *Phil. Scherb.* Intercedentibus autem popularibus ejus Rhætis, in integrum fuit reſtitutus S. C. d. 31. Jul. 1583. & poſt Michaelis feſtum iterum cœpit Organum profiteri; anno vero 1589. d. 24. Apr. ad profeſſionem Med. Theor. fuit vocatus. V. Prof. Med. Theor. n. 7.

VI. HENRICUS JUSTUS, A. L. M. Eccleſiæ Petr. Diaconus, a profeſſione Ethica menſe Septembri 1589. ad Organi profeſſionem tranſire juſſus, eandem auſpicatus eſt d. 15. Oct. ejuſdem anni, adfixa pridie ſcheda, qua *ſe reginam cum pediſſequa*, majorum ſcitu, *commutaturum* denunciabat. Obiit ex peſte d. 19. Oct. 1610. V. Prof. Pædag. Cl. 2. n. 7.

VII. LUDOVICUS LUCIUS editus eſt in hanc lucem Baſileæ d. 9. Febr. 1577. patre *Baſilio Lucio*, Diacono Petrino, matre *Eliſabetha Müller*. Puer ſexennis a parente privatim prima literarum elementa eſt edoctus; biennio poſt ludo literario Petrino traditus græca latinis

nis miſcere cœpit, felicibus induſtrii & eruditi viri, *Valentini Cherleri*, auſpiciis. Parente ad miniſterium eccleſiaſticum Müllhuſinum vocato, magni *Theod. Zuingeri* curæ a. 1587. eſt commiſſus, cui a manibus fuit, qua tamen grata ſtudiorum occaſione haud diu frui fuerat datum; etenim anno proxime ſequente Zuingero fato ſuo pie functo, ad patrem Müllhuſium deſcendere neceſſe habuit, a quo privatim in græcis fuit inſtitutus. Dein a. 1589. Baſileam reverſus, gymnaſium frequentavit, ex quo a. 1590. ad academiam tranſiit. Philoſophicis diſciplinis imbutus, primam Lauream accepit d. 2. Maj. 1592. quo etiam anno d. 30. Nov. in diſp. de Conciliis ſub Polani præſidio reſpondentis vices egit. Magiſtri vero artium inſignia obtinuit d. 15. Aug. 1594. Jam theologica tractare incepit, ita tamen, ut ſimul philoſophica atque philologica ſtudia diligenter proſequeretur. D. 2. Aug. 1595. ſub præſidio Vorſtii diſputationem defendit de Sacramentis, nec non d. 16. Aug. ejuſdem anni, eodemque præſide diſſertationem de cauſis ſalutis hominum. Eodem anno Scaphuſium abiit, & cum *Joh. Jetzlero* & *Henr. Planco* amicitiam contraxit. In patriam brevi poſt reverſus iterum reſpondentis partibus defunctus eſt in diſſ. Polani de regimine eccleſiæ d. 16. Sept. 1596. Eodem anno *Petri Ryffii*, Mathem. prof. ad nundinas Francofurtenſes profecti vices ad tempus ſuſtinuit. D. 14. Apr. 1597., quo anno in matricula theol. inſcriptus legitur, theſes propoſuit de ſalutari Jeſu Chriſti cognitione, & ſequente anno d. 27. Jul. defendit diſp. de Juſtificatione noſtri coram Deo. Eodem anno 1598. *Joh. Buxtorfii* patriam reviſentis vices in profeſſione hebræa egit dextre, nec non anno 1599. *Joh. Molitorem*, paſtorem Riechanum fideliter adjuvit. A. 1600. ab *Erneſto Friderico*, Marchione Durlacenſi per *J. Jac. Grynæum* Durlacum vocatus, habito prius colloquio publico de articulis fidei inter Reformatos & Lutheranos controverſis, ab eodem duplici muneri, Diaconi in eccleſia, & rectoris in ſchola, fuit adhibitus, variis interim negotiis aliis a principe optimo ei demandatis, quibus ſingulis egregie, dextre, & quod caput eſt rei, ex conſcientiæ integritate eſt perfunctus. Principe autem iſto mortalitati erepto, urgentibus illis, quibus purior Lucii religio minus placebat, ab officio dimiſſus in pagum vicinum Palatinum, *Weingarten*,

transiit, Deo confisus, non confundendus. Hinc paulo post Heidelbergam arcessitus, commendantibus eum *Dav. Paræo*, *Quir. Reutero* & *Barthol. Pitisco*, quibus solida ejus eruditio fuerat perspecta, in pædagogio Ambergensi Conrector est constitutus. Hoc munere cum fungeretur, anno 1605. negotiorum publicorum causa Norimbergæ & Altorfii agens cum *Nic. Taurello*, *Phil. Scherbio*, Basileæ quondam professoribus, aliisque eruditis amicitiam sibi comparavit. Hoc ipso anno edidit principis sui defuncti, Ernesti Friderici, Marchionis Durlacensis, confessionem latine redditam. A. 1606. Francofurtum ad nundinas, exinde Heidelbergam, Wormatiamque excurrens familiaritatem sibi cum *Conr. Schoppio* conciliavit. A. 1608. Ratisbonam tempore comitiorum concessit, & inter alia collegium Jesuiticum diligenter visitavit, quod forte concinnandæ historiæ Jesuiticæ occasionem præbuit. Accepto rumore de lethali patris morbo, cito pede, omnibus valedicens, Müllhusium petiit, eundemque quartana febri laborantem invenit. Basileam dein invisit & in ea priscos fautores atque amicos, *J. Jac. Grynæum*, *Polanum*, *Thom. Coccium*, *Jac. Zuingerum*, *Henr. Justum*, ut & fratres suos, *Basilium* & *Joh. Jacobum*: quos omnes anno sequente 1610. excepto Grynæo, lue epidemia sublatos luxit. Ex his Justus ei viam ad professionem Organi pandit, quæ ei absenti d. 2. Apr. 1611. fuit commissa. Tum nempe S. Galli fanum, quo ad obeundum gymnasiarchæ munus deposcebatur, petierat, & eadem occasione iter per totam fere Sueviam, Ingolstadium & Ratisbonam perfecerat. Stationem in patria omnibus aliis præferens, domum festinavit, & demandatam professionem post ferias caniculares, d. 19. Aug. 1611. exorsus est oratione erudita περι τροπης της παιδειας, quæ postea lucem vidit. Hoc ipso anno parentem defunctum pie luxit. Anno sequente Heidelbergæ *Paræum*, *Phil. Hofmannum*, *Henr. Smetium* visitavit. Basileam cum rediit, ordini philos. & senatui acad. adscriptus, nec non sequente anno Decanus ordinis sui, quam dignitatem postea sextum gessit, fuit constitutus, etiamque d. 18. Sept. 1629. Visitator gymnasii electus. A. 1614. Elector Brandenburgicus, *Joh. Sigismundus*, ei professionem theol. in academia Francofurtensi ad Viadrum per literas solenniter obtulit, cui tamen vocationi ob varias rerum

rerum difficultates obtemperare non potuit. Anno vero 1619. *Ludovico*, principi Anhaltino, ad ſcholam Cothenienſem inſtaurandam ſollicite eum expetenti ab utroque, Reipublicæ atque Academiæ, magiſtratu ad tempus fuit indultus. Menſe ergo Martio ejuſdem anni ſecundo Rheno Spiram deſcendit, unde iter Heidelbergam & Francofurtum deflectit, amicos quos ibi habebat ſatis multos inviſens; hinc vero Moguntiam, Bingam, Aram Bacchi, (Baccharach) Bonnam, Coloniam Agrippinam, Düſſeldorpium, Rhenobergam, Veſaliam, Rheſam, Embricum, Arnhemium, Vltrajectum, & tandem Dordracum fuit delatus, ubi potiſſimos totius Europæ Theologos Reformatos in Synodum coactos intueri, Helvetios quoque ac Palatinos per decendium familiarius noſſe datum fuit. Dehinc in Hollandia reliqua Rotterodamum, Delphos, Hagam Comitis, Leydam, & Amſtelodamum; in Friſia occidentali Franequeram, Leovardiam, Groningam, in Friſia orientali Emdam, Olderſomam, Stickhuſam; in comitatu Oldenburgico Apenam, Oldenburgum, Delmenhorſtium tranſeundo vidit. In Saxoniam dehinc & Bremam quoque pervenit, tandem ad principem Anhaltinum ſuum Cothenis adpulſus, a quo etiam honorifice exceptus, & ad opus neceſſarium reformationis gymnaſii eſt adhibitus, de quo ſententiam ſuam libere & dextre expoſuit, non principum modo calculo, ſed & ipſo ſucceſſu comprobatam. Quibus rebus feliciter conſtitutis, bona ſuperiorum venia, multaque gratia, cum *Jac. Martino* Wittenbergam conceſſit, indeque Berolinum, Cuſtrinum, Francofurtum ad Viadrum, aliaque Marchiæ Brandenburgicæ loca luſtranda, præſentiam Electoris eſt præſtolatus, donec in ſaltum Thuringicum ad fontem Reinhardi proficiſci juſſus eſt, a quo ut miſſionem impetravit, variis Imperii urbibus perluſtratis, ſalvus in patriam rediit, & docendo ac ſcribendo officiis ſuis ſatisfecit. A. 1629. excurrit Bernam, Lauſannam atque Genevam; & anno ſequente iterum Bernam petiit, cum theologis ſuper ſua adverſus *Joh. Piſcatorem* diſceptatione de cauſa meritoria Juſtificationis uberius collaturus. Ceterum modica ſatis ipſi fuit res familiaris, neque enim profeſſoribus aut verbi miniſtris largiora honoraria pendi conſueverunt, quam quæ alendæ familiæ ſufficiant; annuum ſalarium profeſſoris Organi tum erant floreni 60. Matrimonium

monium inſit d. 11. Jun. 1599. cum *Barbara Irmi, J. Henr. Irmii & Cath. Wælſtin* filia, ex qua prolem quinam ſuſcepit; amiſſa a. 1628. iſta uxore, ſupra octennium cœlebs vixit, donec a. 1635. d. 1. Jun. alterum matrimonium in ſolatium ſenectæ iniit cum *Maria David, Laurentii*, ſenatoris, filia, cum qua reliquum vitæ blande exegit. Paulo ante obitum a. 1641. menſe Septembri præpoſiti ſuperioris collegii munus ſibi commiſſum ſuſcepit. Ceterum toto fere tempore, quo in gemino conjugio vixit, privatæ non modo ſtudioſorum philoſophiæ & theologiæ inſtitutioni vacavit, ſed & peregrinos plurimos adoleſcentes ſupra 352. contubernio & menſa hoſpitaliter excepit. Ceterum vir fuit candidus, ſincerus, officioſus & vel ſupra facultates liberalis, ſermone non jucundus modo ſed vel feſtivus ingenioſeque lepidus, qui jocos & dicere & ferre noverat, vultu blandus, conſuetudine ſuavis, omnibus gratus & acceptus; præterea, quæ ſumma laus eſt, pietatis, probitatis, religionis ſtudioſiſſimus, pacis amans, in adverſarios nunquam aſperius invectus. Valetudine uſus ſatis firma, exceptis hypochondriaci mali variis atque gravioribus inſultibus, horam fati extremam habuit d. 10. Jun. 1642.

Scripta ejus ſunt: *Compendium Theologiæ*, 1598, 8. *Confeſſio Erneſti Friderici*, March. Bad. & Durl. lat. 1605. *Regula vitæ veritatis Phil Marnixii ejus opera edita*, eod. *Jodoci Nabumi poſtilla Evang* lat. 1609. *Tractatus de Antichriſto*, 1610. *Synopſis Antiſociniana*, 1612. Baſ. 1628. 8. *Notæ in Apocal. Joh.* 1613 *Adverſaria contra Andr. Libavium &c.* 1618. *Andr. Friccii libellus de providentia & prædeſtinatione ab eo editus*. 1614. *Semipelagianiſmus Remonſtrantium in Belgio*. 1618. *S Theologiæ* Σωματοποιησις, 2. *libris, de fide & moribus*, Baſ. 1624. 8. *Clavis S. S. M Fl. Illyrici ab eo recenſitus* a. 1627. *N. T. germanice redditum ſingulari artificio*, 1628. *diſp. cum Piſcatore de Juſtificatione*, 1630 Baſ 1642. 8. Lond. 1641. 8. *in quam diſceptationem cenſuram & animadverſiones ſcripſit* Thom. Gatackerus, *ibid. Commonefactio ad S. P. Q Baſ. ſuper grata memoria Reformationis*, ſtrenæ loco exhibita, a. 1631. *V. T. germanice redditum*, 1636. *Grammatica latina & græca* pro uſu gymnaſii Baſ. itemque *Logica & Rhetorica*; eadem auctiora pro uſu Academiæ; *Poetices rudimenta* pro gymnaſio, ſingula a. 1620. oratio περι παιδειας &c. 1611. *Organi Ariſt. thetica & aphoriſtica expoſitio*, item *commentarius*

rius analyt. in Org. Ariſt. gr. & lat. 1619. *Epitome phyſicæ*, 1597. *tract. de ſtructura & uſu plenisphærii ſ. Aſtrolabii. Virgilius c. n. Variorum*, fol. 1613. *Theſaurus linguæ lat.* eod. *Dictionarium græcum in N. T.* 1639. Baſil. 1640. 8. *Scapulæ Lexicon* recognovit a. 1640. & 1641. *Hiſtoria eccleſ. centuriatorum Magdeb.* 1623. *Hiſtoria Jeſuitica*, c. f. germ. 1626. 4. Eadem latine Baſil. 1627. 4. *Petri Rami Baſilea* ab ipſo recuſa 1606. *hiſtoria Auguſtini ex ejus operibus excerpta; Lexicon latino græcum contractum*. Baſil. 1618. 8. *Epiſtolica diſſertatio inter* Gittichium & L. Lucium, *an Chriſtus pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfecerit, nec ne?* Baſil. 1612. 1628. 8. *Ærarium ſ. theſaurus linguæ*, Francof. 1613. fol.

VIII. JOH. RODOLPHUS WETTSTEIN, Linguæ Græcæ profeſſor ad docendum Organum Ariſt. vocatus fuit d. 10. Mart. 1643. ab hac autem provincia ad tractandas controverſias theolog. translatus d. 1. Sept. 1654. V. Prof. N. T. n. 9.

IX. CHRISTOPHORUS BECK, a profeſſione Eloquentiæ promotus eſt in cathedram Organi ariſt. d. 15. Sept. 1654. & in ea ſedit uſque ad mortem ipſius, quæ ei contigit menſe Aug. 1658. cum eo & ipſa Organi ariſtot. profeſſio mortua. Academiæ nempe patres in rem ſtudioſæ juventutis d. 24. Jan. 1659. decreverunt, ut penſum profeſſoris Organi cum penſo Logico conjungatur, & loco profeſſionis Organi nova, nempe *hiſtoriarum*, profeſſio inſtituatur; quod academiæ decretum etiam a ſummo Reipublicæ magiſtratu ratum habitum, & d. 5. Febr. 1659. confirmatum fuit. V. Prof. Eloq. n. 17.

PROFESSORES HISTORIARUM.

I. CHRISTOPHORUS FAESCH, J. V. D. Logices profeſſor, primus fuit, qui in academia Baſil. Hiſtorias publico nomine expoſuit. Electus fuit d. 25. Mart. 1659. & obiit d. 22. Oct. 1683. V. Prof. Log. n. 21.

II. JOH. JACOBUS HOFFMANN, S. Theol. Doct. ex cathedra linguæ græcæ in cathedram hiſtoricam transpoſitus eſt d. 21. Dec. 1683. eamque ornavit, dum d. 10. Maj. 1706. ex marasmo ſenili exſtingueretur. V. Prof. Ling. Gr. n. 19.

II. JAC.

III. Jac. Christophorus Iselin, S. Theol. Doct. Eloquentiæ & hiſtoriæ eccleſ. apud Marpurgenſes profeſſor, denominatus eſt hiſtoriarum profeſſor Baſileæ d. 20. Sept. 1706. & hanc ſpartam adminiſtravit, donec d. 15. Sept. 1711. ad profeſſionem Locc. comm. ac controv. Theol. accerſitus eſt. V. Prof. Locc. comm. n. 10.

IV. Joh. Ludovicus Frey, S. Theol. Doct. & eccleſiæ Huninganæ paſtor, omnium ſuffragiis Iſelii in cathedra hiſtorica conſtitutus eſt ſucceſſor die 15. Sept. 1711. cum adnexo titulo profeſſoris Theologiæ extraordinarii, quo officio functus eſt ad d. 20. Maj. 1737. quo ad profeſſionem V. T. fuit vocatus. V. Prof. V. T. n. 20.

V. Jac. Christophorus Beck, S. Theol. Doct. deſignatus fuit hiſtoriarum profeſſor d. 12. Sept. 1737. munerique huic ſtrenue præfuit uſque ad diem 8. Jul. 1744. cum ad tractandas controverſias Theol. transferretur. V. Prof. V. T. n. 21.

VI. Joh. Rodolphus Thurneisen, J. V. D. & Reip. Syndicus, obtinuit cathedram hiſtoricam die 22. Dec. 1744. eamque ſervavit ad d. 2. Dec. 1746. ad profeſſionem Pandectarum promotus. V. Prof. Pandect. n. 13.

VII. Joh. Henricus Brucker, S. M. G. in lucem editus Lucisvalli, oppido ditionis Baſilienſis, d. 12. Mart. 1725. patre uſus eſt *Joh. Henr. Bruckero*, tum paſtore Lucisvallenſi, poſtea Archidiacono, denique paſtore Petrino, matre vero *Eliſabetha Biſchoff*. Pater, acerrimus ingeniorum cenſor, excellens ingenium admiratus, ex optima pueri indole eximiam quandam frugem & ſecuturam omnium virtutum & doctrinarum maturitatem rectiſſime divinavit. In colenda ergo nobiliſſima hac planta omnem curam ipſe adhibuit, filiumque in omni virtutum ac literarum genere, quantum pueriliſ ætas ferebat, diligenter inſtituit. Anno autem 1737. pater filium in profeſſorum philoſophiæ cuſtodiam concredidit, eumque illis porro formandum demandavit. Sub horum cura, adhibita ſumma diligentia, in literis latinis atque græcis, in Logica atque Rhetorica, mirum in modum profecit, etiamque digna laboris præmia retulit,

Digitized by Google

lit; die nimirum 9. Jun. 1739. a Samuele Battierio, Ling. Gr. Prof. primam Lauream philoſ. publice accepit, poſtquam prius ſolenni oratione probavit: *Quod per multiplicata juramenta, quando populi mores jam ſunt corrupti, repagulum corruptioni ponere velle, nihil aliud ſit, quam multiplicare perjuria.* Hinc ad ſtudium phyſicæ atque matheſeos, hiſtoriarum atque philoſophiæ moralis tranſiit, nec mirum, eum & hic celerrimos atque maximos progreſſus feciſſe; cum enim ad hæcce ſtudia piam mentem, feliciſſimam memoriam, acrem atque ardentem ingenii vim, impigramque ad labores ſolertiam adtulerit, fieri aliter non potuit, quin ad altiorem eruditionis gradum adſcenderit. Itaque & hic honores ſummi eum fuere ſecuti; dignitas nempe in philoſophia doctoralis, quam ei ex decreto Ordinis ſui contulit Bened. Stæhelin, Phyſ. Prof. d. 8. Jun. 1741. facundiam autem atque eruditionem ſuam Bruckerus in iſta promotione publice auditoribus comprobavit oratione ſolenni *de Matheſeos & veræ Phyſicæ uſu in Theologia.* Jam ſeſe integrum Theologiæ tradendi cepit conſilium, & d. 13. Oct. 1740. inter S. Theologiæ cultores nomen ſuum profeſſus eſt. In hoc autem ſtadio rite currendo præcipue ducem ſecutus eſt ſummum virum, *J. Lud. Frey*, S. Theol. Doct. atque Prof. & ſub ejus auſpiciis, continuatis diligenter ſtudiis philoſophicis, magnam linguæ hebrææ aliarumque orientis linguarum, nec non philologiæ ſacræ ſibi comparavit notitiam. Haudquaquam enim omnem eam operam, quæ in Judæorum magiſtris legendis conſumitur, perditam eſſe arbitrabatur. Scieabat nempe a Freyio edoctus, quantum impegerint in Scriptura interpretanda, qui ritus hebræos ignorarunt; quam fœde hallucinati ſint, qui ab iſto literaturæ atque philologiæ ſacræ ſubſidio deſtituti Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta tractare adgreſſi ſunt; noverat e contrario ex exemplis *Buxtorfiorum, Cocceji, Seldeni, Bocharti, Lightfooti, Schœtgenii, Meuſcheni*, atque aliorum, inprimis ipſius Freyi, quam feliciter plurima, etiam abſtruſiſſima, Scripturæ loca ex linguis orientalibus & monumentis Rabbinorum enodari poſſint atque illuſtrari. Ab hiſce autem ſubſidiis bene inſtructus, ad ipſa ſanctæ Theologiæ adyta alacri animo ſe contulit, & a Gamaliele ſuo υποτυπωσιν υγιαινοντων λογων, expreſſam ſanorum verborum formam, divina-

divinarum rerum ſolidam doctrinam percepit, quam & cum fide & caritate in Chriſto Jeſu poſita ſtudioſe retinuit, eamque ut præclarum depoſitum per Spiritum S. in ipſo habitantem diligenter ſervavit. Ita autem juvenis academiæ proceribus eruditionem ſuam in literatura hebraica probavit, ut a. 1745. ipſum Vicarium profeſſoris Hebræi conſtituerint. Anno autem ſequente, 1746. non cum laude ſaltem, ſed cum admiratione pro obtinendo S. Miniſterii munere ſubiit examina, ſtatimque præconium Dei publice annunciandi poteſtatem eſt adſecutus. Decreverat autem providentia divina, ipſo non Miniſtro in Eccleſia, ſed formandorum Miniſtrorum inſtrumento in Academia uti, & vacante cathedra hiſtorica electorum animos ſortemque ita direxit, ut d. 9. Maj. 1747. ei iſta cathedra decerneretur, quam ſpartam d. 12. Jul. 1747. prælectione *de concilio Amphictyonum apud Græcos ejuſque cum comitiis Helvetiorum publicis convenientia* ſolenniter auſpicatus eſt. De re autem ſua arbitratus, non mortuos ſaltem atque domeſticos, ſed & vivos atque exteros conſultatores adire, permittentibus Academiæ antiſtitibus, iter literarium cum amico conjunctiſſimo, *Simone Grynæo*, jam Miniſtro Petrino, pluribus ſcriptis optimis celebratiſſimo, facere inſtituit. Laribus itaque a. 1749. relictis, curſum direxit per Argentoratum in Galliam, hinc Angliam, Belgium atque Germaniam, ubique bibliothecas, academias, doctorum muſea, celeberrimorum in re literaria virorum ſocietates ſecutus atque ſcrutatus. Perfecto itinere, non doctior modo, ſed & cultior & ad vitam ſuam recte inſtituendam acutior, a. 1750. in patriam rediit, & eodem anno curam Bibliothecæ academicæ obtinuit, quam provinciam cum munere profeſſoris omni fide atque diligentia adminiſtravit. Sed ut vulgo cito pereunt, quæ cito creſcunt, nobiliſſimæque plantæ tenerrimæ atque maxime caducæ eſſe ſolent, ita hic accidit. Vix dum academia optimo hoc viro frui incepit, eo iterum carere neceſſe habuit; a Deo nempe non diu fruendus ſed brevi admirandus fuerat conceſſus; jam enim d. 17. Apr. 1754. aſciticus fato ſuo fuit defunctus.

Edidit diſſ. de περιαυτολογια d. 28. Apr. 1741. *compendium regularum de ratione emendandi ſcriptores*, d. 14. Maj. 1743. *obſervationes philolog. circa cauſas obſcuritatis in ſcriptoribus græcis*, d. 18. Sept. 1744. *ſtricturas hiſtor. chronol. de ætate mundi*,

mundi, d. 21. Apr. 1747. *Scriptores rerum Basil. minores*, V. 1. pleroſque ex MS. cum erudita præfatione. Baſ. 1752. 8.

VIII. JOH. HENRICUS GERNLER, vir ſingulari vereque divino ingenio, primum luminis auras vidit d. 2. Febr. 1727. a patre ſuſceptus *Joh. Henr. Gernlero*, J. V. L. CC viro & Reipublicæ a Secretis, ex *Sara Merian.* Doctarum literarum elementis inſtituendus tradebatur gymnaſii publici magiſtris, hiſque imbutus, inter æquales induſtria atque ingenio primus, ex gymnaſio ad academiam, heliconis rivulos deguſtaturus, cito pede tranſiit. Academiæ civis non monitis, non laborum gloriæque incitamentis indigebat, ſed ipſe ſitiebat eruditionem, & ex proprio jam ſenſu literarum dulcedine trahebatur; dies ſtudiorum exercitiis, noctes lucubrationibus exegit, atque cum Plinio cenſuit: *vigilare demum vitam eſſe, literis invigilare vitam eſſe pulcherrimam.* Quid mirum ergo, juvenem tanto ingenio, tanto diſcendi deſiderio præditum, tot omnis generis ſubſidiis ſtipatum, celerrimos atque pulcherrimos in omnibus philoſophiæ partibus progreſſus feciſſe? latinos græcoſque auctores pleroſque optimos evolvit, nec evolvit tantum, ſed & in uſum ſuum omnifarium convertit. Digniſſimus itaque fuit habitus, qui præmiis virtutis atque eruditionis ab ordine philoſophico adficeretur. Primum gradum, quem *primam lauream* nominant, aſcendit d. 9. Jun. 1740. verba faciens *de adoleſcentia Reipublicæ Romanæ*; ſecundum autem, qui *Magiſterii artium* eſt, occupavit d. 5. Jun. 1742. oratione habita, qua demonſtravit, *quam indignum ſit philoſopho ſtudium partium.* Ita ergo paratus ornatuſque ad ſtudium S. Theologiæ acceſſit d. 3. Nov. 1741. quo nomen matriculæ theologicæ inſeruit. In iſtud ſtudium omnes vires, omneſque nervos intendit, nihil intermittens, quin omnia impendens ſedulo, quæ a doctoribus ſuis ad illud vel aliquo modo pertinere percepit. Non ſolum philoſophiæ ſtudium, græcam latinamque literaturam, hiſtoriarum omnium temporum ac populorum indagationem, atque alia huc pertinentia ſtrenue continuavit, ſed & quæ ad ſacrarum literarum intellectum perfectiorem faciunt, omni ſtudio excoluit & pro acerrimo ſuo ingenio penitius penetravit. Linguam hebræam cum ejus dialectis ſibi fecit notiſſimam; philologiam ſacram

perſpectam habuit atque exploratam; hiſtoriam eccleſiaſticam omnium ſeculorum perlegit omni diligentia, feliciſſimæque ſuæ memoriæ altius impreſſit; eccleſiæ patres, orientales atque occidentales, conſuluit frequenter, & eorum dogmata exploravit ſtudioſiſſime; inprimis vero ſectabatur επιγνωσιν αληθειας της κατ ευσεβειαν, επ ελπιδι ζωης αιωνιου, veritatis cognitionem, quæ in religione cum ſpe vitæ ſempiternæ ſita eſt, ſolidamque Dei ſcientiam cum pietate ſemper conjunxit; in hiſce omnibus ducem ſecutus eſt magni nominis Theologum, *J. Lud. Frey*, cujus primum fuit auditor cariſſimus, poſtea amicus familiariſſimus. Interim & ipſe inſtituendæ juventuti academicæ magno cum fructu fuit adhibitus; primum a. 1749. amici ſui integerrimi, *J. Henr. Bruckeri*, Hiſtor. Prof. literarum cauſa peregrinantis, vices ſuſtinuit, res romanas ſub Cæſaribus ad ductum Chr. Cellarii exponens; dein ab a. 1754. *J. Rod. Battierii*, Ling. hebr. prof. qui ob valetudinem adverſam officio ſuo fungi non poterat, vicarium egit ſtrenuum; donec ipſe ordinarius Hiſtoriarum profeſſor conſtitueretur die 20. Sept. 1754. quod munus publice adiit d. 29. Nov. 1754. prælectione ſolenni *de Martyrum actis*, hocque ſumma cum laude atque auditorum utilitate ita diligenter adminiſtravit, ut integro decennio, quo hanc cathedram ornaverat, ne unicam quidem prælectionem neglexerit. Licet collegia, ut vocant, privata ob valetudinem incertam ſtudioſis non indulſerit, iis tamen liberum ad ſe acceſſum ſemper conceſſit, & præſtantiſſima de ſtudiis inſtituendis largitus eſt conſilia. Præmatura autem morte, communi omnium luctu, ex variolarum morbo, uſibus academiæ fuit ſubductus d. 11. Dec. 1764.

Scripta ejus edita ſunt: *Bigæ hiſtoricorum græcorum, Herodoti atque Thucydidis*, d. 8. Maj. 1742. *diſſ. de difficultatibus ſtudii linguæ græcæ levandis*, d. 2 Oct. 1744. *Obſervationes hiſtoricæ*, d. 11. Apr. 1747. *obſervationes philoſophicæ*, d. 7. Febr. 1749. *obſervationes hiſtoricæ*, d. 20. Sept. 1754.

IX. JACOBUS MEYER genere nobili atque antiquo ſtudiis natus eſt d. 26. Sept. 1741. Parentes optimi, perſpecta in puero ingenii judiciique dexteritate, memoriæque capacitate, eum protinus pio propoſito Deo ejuſque cultui conſecrarunt & in arenam ſcholaſticam ablega-

ablegarunt. Perceptis autem atque comprehenſis primis virtutis, literarum atque artium ingenuarum elementis, excuſſo hoc pulvere, in academiæ ſolem ex umbra prodiit, & cœptum iter acrius urſit. Philoſophiæ univerſæ ſtudium intenſo animo proſecutus, mentem ſuam omnigena doctrina excoluit atque ornavit. Utriuſque linguæ auctores, oratores, poëtas, hiſtoricos evolvit, eoſque quoad linguam & quoad argumentum in uſum ſuum convertit. Denique, in philoſophicis diſciplinis laudabiliter verſatus, etiam publica philoſophorum brabea reportavit; primam Lauream quidem d. 31. Maj. 1757. Magiſterii autem dignitatem d. 25. Maj. 1758. Hiſce jam honoribus mactus, non illam animo ſuo induit perſuaſionem, quaſi ad metam & arcem felicitatis pertigiſſet, ut ſuperatis & exantlatis laboribus in utramque aurem poſſet dormire, ſed, a torpore atque otio alieniſſimus, honores illos academicos, ut veterum fuit inſtitutum, gradus cenſuit eſſe, non culmina, ad quæ nitendum. Nihil ergo a priſtina induſtria atque diſcendi ardore remittens, quin magis adhuc incitatus, ad altiora ſine mora contendit, & ſtudio ſacro nomen dedit d. 11. Maj. 1758. Hoc novis viribus adgreſſus, eo felicius ac citius perfecit, quo inſtructior pluribus linguarum artiumque adminiculis ad illud acceſſit. Linguam atque philologiam hebræam indefeſſo ſtudio didicit, fata eccleſiæ ex ipſis fontibus hauſta cognovit, & viam ſalutis a Prophetis atque Apoſtolis, imo ipſo Dei filio, traditam ſibi fecit notiſſimam. Omni vero ſuo merito a. 1763. in claſſem Miniſtrorum verbi divini receptus nondum ſubſtitit, nec ſibi reſpirandi tempus ſumſit, ſed tam in philoſophico & philologico quam theologico ſtudio ſtrenue perrexit, & ſcientiam ſuam magis magiſque adaugere laboravit; inprimis eximiæ, quam in latina, græca atque hebraica lingua poſſedit, notitiæ, addere ſtuduit etiam dialecti rabbinicæ atque chaldaicæ, quin etiam ipſius Arabicæ linguæ cognitionem, idque feliciori ſucceſſu; conſultore atque adjutore in hiſce ut & antea in philoſophicis atque theologicis uſus eruditiſſimo *Gernlero*, quem ſibi conciliaverat amiciorem. In ejuſdem autem magiſtri ſui optimi, acerbiſſimo fato Academiæ erepti, locum ſingularis Dei providentia hunc ejus interioris admiſſionis diſcipulum ſuffecit d. 26. Apr. 1765. hancque profeſſoris Hiſtoria-

rum provinciam adgreſſus eſt publice d. 2. Jul. 1765. prælectione, qua demonſtravit, *quam late pateat uſus ex hiſtoriarum cognitione percipiendus.* Eodem anno, permittente ſenatu acad. literarum cauſa peregrinationem fecit in Angliam, ubi anni circiter ſpatio verſatus eruditos ſalutavit, bibliothecas excuſſit, atque viſu digna luſtravit. Ingenti eruditionis fœnore patriæ redditus, provinciam ſuam ſtrenue adiit, quam adhuc omni diligentia adminiſtrat, privatim ſtudioſorum commoda conſilio atque opera ſtudioſiſſime promovens.

Hactenus edidit d. 28. Sept. 1759. pro cathedra hebræa *ſpecimen obſervationum miſc. ad quædam Scripturæ S. loca*; d. 2. Sept. 1760. pro cathedra Morali *ſpecimen obſerv. miſc. ex philoſophia morali deſumtarum.* d. 7. Sept. 1762. pro cathedra græca *ſpecimen obſerv. miſc. in nonnullos auctores græcos*; d. 16. Apr. 1765. pro cathedra Hiſtorica *delineationem vitæ geſtorumque Numæ Pompilii.*

PROFESSORES PHYSICÆ.

I. Hieronymus Gemusæus, Müllhuſinus, Med. Doct. Phyſices profeſſor fuit conſtitutus a. 1534. & a. 1537. profeſſor Organi ariſtotelici; utramque profeſſionem adminiſtravit ad a. 1541. quo Sim. Grynæum in profeſſione Organi Succeſſorem accepit, Phyſicam autem retinuit ad d. 29. Jan. 1543. quo diem ſuum obiit. V. Prof. Org. n. 1.

II. Johannes Huber, Med. Doct. Phyſicam profeſſionem nactus eſt a. 1544. eamque adminiſtravit ad a. 1549. cum ad docendam Medicinam Practicam fuit vocatus. V. Prof. Med. Pract. n. 3.

III. Marcus Hopper, J. V. D. in profeſſione phyſica Hubero ſucceſſit a. 1549. eamque cum laude obiit, donec ineunte a. 1557. Inſtitutionum profeſſor fuit adpellatus. V. Prof. Inſtit. n. 3.

IV. Henricus Pantaleon, Med. Doct. ſucceſſor datus eſt Hoppero in cathedra phyſica d. 19. Apr. 1557. & in hac provincia ornanda perrexit ad d. 3. Mart. 1595. quo ex hydrope ante mediam noctem, cum eodem die ante

ante meridiem ut Comes Palatinus duos creaſſet notarios, vitæ terminum adſecutus eſt. V. Prof. Pæd. Cl. I. n. 2.

V. JOH. GEORGIUS LEO natus eſt in minore Baſilea d. 14. Febr. 1565. patre *Theobaldo Læw*, opifice honeſto. Invitante genio, periculum fecit ſtudiorum, in quibus, Deo bene fortunante, eo eſt progreſſus, ut, ſuperatis gymnaſii laboribus, cum laude ad academiam transmitteretur. Hic ſtudium philoſophicum atque medicum adgreſſus, utrumque tanto cum fervore, tantoque cum ſucceſſu tractavit, ut ab utroque ordine ſummos honores fuerit adeptus. Primæ Laureæ inſignia accepit d. 28. Apr. 1584. ab Henr. Juſto, publice diſſerens in quæſtionem: *Rectene Solon neminem ante obitum beatum nominandum pronunciaverit, nec ne?* Doctoratu autem philoſophico atque medico uno eodemque actu honoratus fuit a Thoma Coccio, philoſopho, die 20. Mart. 1593. Ubi primo verba fecit in quæſtionem philoſophicam: *Vtrum virtutes natura an arte hominibus inſint?* dein in quæſtionem medicam: *Cur homini inſalubre variis cibari ferculis?* Mortuo Pantaleone, juſſu ſenatus acad. ejus vices aliquandiu ſuſtinuit, donec d. 16. Oct. 1595. Phyſicæ profeſſor ordinarius nominaretur. Natura ad jocos, ſales & facetias propenſus in aliis ſæpe tritum illud proferebat: *Philoſophus omnia novit.* Contigit autem aliquando, ut noctu rivulum tranſiturus in eundem pronus incideret, conqueſtus de famuli, faculam ſiniſtre præferentis, incuria, ab eo ſuum illud audiit: *Putabam, philoſophum omnia noſſe.* Praxi medica cives ſuos ſtrenue & feliciter adjuvit; ceterum non legendo ſolum, ſed & diſputando ſtudia juventutis multum promovit. Mathematicis ſcientiis impenſe delectatus calculum & prædictiones aſtrologicas per annos complures tentavit, & in vulgus edidit. Terris eum peſtis abripuit d. 23. Nov. 1610. ut & ejus uxorem, *Ephoram Fridericiam*, cum 3. liberis. Sepultus ad S. Theod. epitaphio honoratus eſt a *Sebaſt. Spærlino*, Trib. pleb. & *J. Jac. Graſſero*, V. D. M.

Edidit: ενδοξα παραδοξα ερισικα διδακτικα, 1593. *de principiis corporis naturalis*, 22. Nov. 1595. *theſes de anima ejuſque functionibus in corpore*, 2. Aug. 1596. diſſ. *de anima humana*,

humana, 27. Jul. 1597. disp. *de respiratione*, 19. Dec. 1597. *de sensibus exterioribus & internis*, 3. Febr. 1599. *Conclusiones de Justitia*, 29. Sept. 1599. *de Elementis*, d. 18. Maj. 1600. *de anima humana*, d. 27. Jul eod. *de amicitia*, d. 12. Nov. eod. *de mundo*. 6. Dec. eod. *de Meteoris*, 7. Sept. 1601. *de terra motu*, 31. Dec. eod. *de principiis rerum natur.* 5. Jan. 1602. *de uno rerum nat. principio mobili*, 5. Apr. eod. *de infinito*, 15. Jun. eod. *problemata physica*, 7. Aug. eod. *themata ethica*, 10. Nov. eod. *de infinito*, 13. Jun. 1603. *de loco*, 20. Jul. eod. *de motus definitione*, 6. Aug. eod. *de vacuo*, 15. Sept. eod. *theses de tota philosophia*, 23. Apr. 1606. *de putredine*, 8. Jan. 1608.

VI. MARTINUS CHMIELECIUS, Med. Doct. & Logices Professor, ad Physicam translatus fuit d. 18. Dec. 1610. eamque docuit ad finem vitæ suæ, qui contigit d. 3. Jul. 1632. V. Prof. Log. n. 16.

VII. FELIX PLATER, Med. Doct. ex Logico fit Physicus d. 15. Mart. 1633. officium hoc resignavit mense Sept. 1656. senator electus a. 1664. V. Prof. Log. n. 18.

VIII. HENRICUS KISSELBACH, vir si quisquam alius erudiendæ juventuti natus & singulari Dei providentia usibus academiæ Basil. datus, patriam habuit Lorichium, oppidum agri Rinchavienſis, qui Archiepiscopatui Moguntino subest. Hic genitus est d. 14. Mart. 1600. parentibus, *Nicolao Kisselbachio*, fori judic. assessore & *Maria Mœrin*, qui filium a pueritia studiis literarum adhibuerunt, ad annum usque ætatis 21. in variis gymnasiis & academiis, ut Constantiæ, Coloniæ Agripp. Paderbornæ, Moguntiæ, adsidue versatum. Deinde ordini Franciscanorum adscriptus aliquot inter eos obiit munera. Postea vitæ puritate, eruditione atque facundia commendatus pastor castrensis fuit constitutus, quo munere adsidue fuerat functus, donec sedula Scripturæ S. lectione, domi jam, ubi pater exemplum Bibliorum clam servaverat, incepta, itemque sanioris philosophiæ studio, eo fuit adductus, ut relicta patria religione ad sacra reformata transiret; ea autem ut liberius prosequeretur, Basileam contendit, ubi d. 3. Aug. 1635. cucullatus advenit. Editis certioribus sinceritatis signis inter alumnos magistratus, & dein exhibita fidei confessione in gremium ecclesiæ nostræ fuit receptus. In collegio

Digitized by Google

collegio ſapientiæ cum verſaretur, non tantum, ut neceſſaria acquireret, juventutem in bonis literis ſedulo erudivit, ſed &, quo in poſterum abſque publica ſuſtentatione vitam ſuſtineret, philoſophiæ atque theologiæ diligenter incubuit, eoſque fecit progreſſus, ut die 3. Maj. 1636. a Joh. Buxtorfio, Ling. hebr. prof. A. L. M. publice crearetur, habita oratione in quæſtionem: An πολυθρύλλητον illud ſit adprobandum: *quod antiquiſſimum, illud veriſſimum & optimum?* & ſequente anno in numerum verbi divini Miniſtrorum reciperetur, poſtquam prius d. 13. Maj. 1637. ſub præſidio Theod. Zuingeri veræ & orthodoxæ fidei confeſſionem adverſus antagoniſtas defendiſſet. Sub initium a. 1638. laboribus gymnaſii in erudienda juventute ſcholaſtica fuit mancipatus, quibus patienter, dextre & induſtrie in claſſe tertia per annos 12. & in quinta claſſe per ſeptennium multo civitatis univerſæ emolumento eſt perfunctus, Conrectoris titulo ornatus. Inter herculeos autem gymnaſii labores ſtudia philoſophica & theologica diligenter continuavit, etiamque ſtudioſis philoſophiæ in collegiis didacticis & polemicis utiliſſimam operam præſtitit. A. 1656. cum profeſſio phyſica vacaret, & academiæ proceres decernerent, ut in poſterum candidati profeſſionum publica eruditionis ſuæ ſpecimina ederent, ipſe ſenatui acad. bina diſputatione atque lectione phyſicam ſuam peritiam ita probavit, ut philoſophiæ naturalis profeſſio a. 1657. ipſi demandaretur, cui ad vitæ uſque finem etiam ſupra ſenectutis vires utiliſſime præfuit, & ne quid bono publico decederet, quoties valetudo non permittebat, filium *Balthaſarem Kiſſelbach*, Med. Doct. ex *Catharina Schlichter*, uxore, cum 5. filiabus, ſuſceptum indultu ordinis acad. in vices ſuas ſubſtituit. A. 1658. ipſi etiam munus Præpoſiti ſuperioris collegii fuit commiſſum, quo vero ſeptennio poſt in gratiam filii ſeſe abdicavit, profeſſione tamen retenta. Valetudine tandem pleuritide iterata, ſenio atque laboribus adflicta atque labefactata, vitæ huic valedixit d. 26. Apr. 1673.

Edidit *confeſſionem veræ fidei* a. 1637. diſſ. *de univerſalibus & ſingularibus*, a. 1645. *de ſubſtantia & accidente*, eod. *floſculos philoſ.* eod. *de formis rerumpubl.* 1651. *de primis rerum principiis*, 1654. *de indiviſibilibus*, 1657. *theſes phyſicas*, eod. *de cauſis in genere*, eod. *de religione*, 1659.

theſes phyſicas, 1659. *de motu*, 1660. *de exiſtentia formæ ſubſtantialis*, eod. *de elementis*, eod. *quæſtiones philoſ.* 1667. *theſes phyſicas*, eod. *quæſtiones philoſ. alteras*, eod. *theſes philoſ*, 1668. *de anima in genere*, eod. *de anima rationali*, eod.

IX. JOHANNES WOLLER natalem celebravit diem 1. Oct. 1640. parentes vero honoravit *J. Jac. Wolleb*, paſtorem Eliſabethanum, Muſicesque profeſſorem, *Johannis Wollebii*, S. Theol. Doct. & Prof. Sacrorumque Antiſtitis filium, & *Annam Mariam Ubelin*. Cum ingenio eſſet felici, majorum exemplo de voluntate parentum a puero literis operam dedit, primiſque earum elementis in ludo triviali perceptis, ad publicas ſcholas, denique a. 1654. ad ipſam academiam adiit, ſtudioque philoſophico nomen dedit. In hiſce diſciplinis philoſophicis adſidua & indefeſſa diligentia progreſſus utrumque honoris gradum meruit atque accepit, d. 16. Febr. 1658. Magiſtri artium titulo condecoratus. Hiſce rite expeditis, ſtudio Medico ſeſe mancipavit, non tamen ſepoſitis philoſophiæ artibus, tanquam præcipuis rei medicæ adminiculis. In Gallias dein profectus, ibidem, inprimis Pariſiis, per aliquot annos ſcientiæ & experientiæ medicæ augmenta haud contemnenda ſibi comparavit. In patriam redux ſolennia ſpecimina exhibuit, & dignus fuit habitus, cui ſupremi in Medicina honores conferrentur, quos d. 29. Aug. 1667. publice accepit, eodemque anno in locum defuncti patris profeſſor Muſicæ & Organiſta S. Templi conſtitutus eſt. Vocatus dein etiam fuit ad docendam philoſophiam naturalem, d. 19. Sept. 1673. profeſſor Phyſicæ denominatus; utramque hanc provinciam diligenter adminiſtravit, ſtudioſis opera ſua multum profuit, nec non ægrotos conſiliis ſuis impiger adjuvit, etiam dubiis temporibus eos non deſerens. Lues etiam peſtifera ipſi denique fuit exitioſa. Ex crebris enim ægrorum viſitationibus febri ardente infectus & graviſſimis doloribus confectus d. 17. Mart. 1675. animam efflavit, relinquens ex *Juditha Hagenbach*, uxore, *Lucæ* XIII viri filia, filium unicum *Lucam*, M. D. a. 1698. creatum.

Scripta ejus edita ſunt diſſ. *de cancro mammarum*, 1667. diſſ. *de tropis*, 1668. diſſ. *de formali exiſtentia elementorum in mixto*, 1672. diſſ. *de alteratione elementor.* 1673.

X. NICO-

X. NICOLAUS EGLINGER, Med. Doct. electus Physices Professor d. 20. Sept. 1675. nactam spartam exornavit ad d. 29. Dec. 1685. in cathedram anat. atque bot. hinc vocatus. V. Prof. Med. Pract. n. 11.

XI. JOH. JACOBUS HARDER, Med. Doct. & Rhet. Prof. Physicus fuit constitutus d. 5. Jan. 1686. mox autem, d. 18. Febr. 1687. ad professionem Anat. & Botan. translatus. V. Prof. Med. Theor. n. 13.

XII. THEODORUS ZUINGER, Med. Doct. & Eloq. Prof. Physicæ professor designatus fuit d. 18. Febr. 1687. inque officium istud vacavit, donec ei d. 18. Dec. 1703. professio Anat. & Bot. fuit demandata. V. Prof. Med. Pract. n. 12.

XIII. EMANUEL KOENIG, Med. Doct. & Linguæ Græcæ professor, cathedram græcam cum physica commutare jussus est d. 18. Dec. 1703. sed eam alteri cessit, cum d. 15. Dec. 1711. Medicinæ Theor. professor nominaretur. V. Prof. Med. Theor. n. 15.

XIV. JOH. RODOLPHUS BECK, Med. Doct. & Log. Prof. obtinuit professionem Physicam d. 22. Dec. 1711. eamque administravit ad mortem suam, quæ ei obtigit d. 28. Sept. 1726. V. Prof. Log. n. 23.

XV. BENEDICTUS STÆHELIN, ab illustri *academia regia Scientiarum Parisiensi ad commercium literarium adscitus*, natus fuit a. 1695. ex parentibus, *Joh. Henr. Stæhelin*, Med. Doct. & Anat. & Bot. Prof. atque *Margaretha Birr*, & a tenera ætate literarum deliciis initiatus. Emenso classium gymnasii curriculo, lectiones philosophicas frequentavit animumque doctrina & philosophiæ cognitione expolivit. Acceptis diligentiæ præmiis, prima Laurea d. 28. Maj. 1709. Magistri artium autem dignitate d. 10. Jun. 1710. ad rem medicam ferebatur, omnique animi intentione in eam incubuit, eoque citius atque felicius in studio isto medico fuit progressus, quo præclarius in universa philosophia fuerat versatus. Cum autem tam a parente quam a ceteris medicinæ professoribus satis amplam artis medicæ hausisset peritiam, ejus augendæ causa Galliam petiit, & Parisiis *Seb. Vaillant*,

lant, Botanicum atque demonſtratorem regium, diligenter audivit. Alia etiam itinera inſtituit & magno *Hallero* in excurſionibus montanis dux ſociuſque ſæpius fuit. Domum paternam, multa eruditione locupletatus, tandem repetiit, & d. 16. Apr. 1716. maximo ſuo merito Medicinæ Doctor fuit renunciatus. Totum dein ſe tradidit philoſophiæ naturali ſtudioque botanico, quo quammaxime delectabatur, & in quo maximos faciebat progreſſus; non ſolum omnes veterum atque recentium eruditorum circa phyſicam atque botanicam editas obſervationes habuit perſpectas, ſed & nova varia, ſatis memorabilia, ipſe primus detexit. Mira ei fuit in muſcis & fungis indagandis ſolertia, quorum non ſine magno ſuo ſumtu magnum numerum delineari curavit. Horum multi fuerant novi, quos cum merita laude recenſuit Hallerus in *Stirpium hiſtoria*. Ut autem ei in colligendis plantis, iiſque perluſtrandis, erat conſtantia, ita non par erat in conſervandis, inque ordine & in collectione adnotationum ſuarum patientia. Fama eruditionis phyſicæ atque botanicæ, qua multum pollebat, ad exteros perlata, ſolenne cum eo commercium literarium inſtituit academia ſcientiarum regia Pariſienſis. Academia etiam patria, Baſilienſis, ſingularia ejus merita adgnoſcens, eum d. 1. Apr. 1727. publicum Phyſicæ Profeſſorem conſtituit, iſtamque provinciam is adiit d. 26. Maj. 1727. prælectione publica *de uſu philoſophiæ experimentalis*. Ut autem *omnia ſub leges mors vocat atra ſuas*, ita etiam illa celebrem hunc virum fuit inſecuta atque adſecuta d. 2. Aug. a. 1750.

Edidit diſſ. *de ſolidorum corporis humani adtritione & diſſipatione*, a. 1715. *theſes phyſico anat. botanicas*, ad claſſem flore compoſito pertinentes, a. 1721. *poſitiones ex philoſophia Lockiana*, 1722. *tentamen medicum de pollinis ſtaminei globulis, liquore & particulis, de materia vegetabili Woodwardi; de particulis floris a ſtaminibus & tubis diverſis*, 1724. *tentamen phyſicum de analyſi corporum*, 1727. diſſ. *de propagatione luminis*, a. 1728. *obſervationes anatomico botanicas* a 1731. *de elaſtris & partibus floris a ſtaminibus diverſis; de ſubſultu particularum equiſeti*. In hiſt. de l'Acad. des ſciences a. 1730. edita eſt pars aliqua egregiæ adnotationis, *particularum n. ſpermaticarum equiſeti quadricrurium ſubſultus*, quem primus microſcopii ope ſpeculatus eſt; eidem academiæ miſit etiam obſervationem *de ſtructura quarundam plantarum, imperfectarum* dictarum; *Epiſtolam euchariſti-*

charistícam ad eruditum virum D. Daniel Hartleyum &c. *in qua traduntur quædam observationes circa* structuram & dissolutionem silicum & calculorum. *Basil.* 1742. 8. *quam subjunxit ejusdem Hartleyi dissertationi epist.* de Lithontriptico a Joanna Stephens *invento &c. una cum tractatu* Theophili Lobb *de* dissolventibus calculos &c. *latine*, *ibid. eodemque anno a se edita. Stæbelini porro* in epistolis Germ. ad *Albr. Hallerum* missis Cent. 1. n. 7. legitur epistola. Ei inscripsit idem Hallerus *seine Gedanken über Vernunft, Aberglauben und Unglauben*; it. *die Falschheit menschlicher Tugenden*, in dem Versuche Schweizerischer Gedichte, n. 5. & 6. nec non *C. F. Drollinger*, JC. epistolam *de flore auricularum*. Ejus operum p. 330.

XVI. DANIEL BERNOULLI, Med. Doct. a professione Anat. & Bot. extra ordinem ob singularem in rebus physicis experientiam per summum Reipublicæ magistratum ad professionem Physices translatus est d. 16. Nov. 1750. eamque summa cum laude administravit, donec nuper, ob ingravescentem ætatem, ex fratre nepotem, *Dan. Bernoulli*, Med. Doct. in ipsius locum substituit. V. Prof. Anat. & Bot. n. 16.

PROFESSORES MATHEMATICÆ.

I. HENRICUS GLAREANUS, Poëta Cæsareus, Mathematicen Basileæ docuit a. 1515. testis est Erasmus in epistola ad Capitonem, Ep. l. 1. itemque in ep. ad Vrbanum Regium, ep. l. 18. an publico stipendio id fecerit, ignoratur. Substitit autem Basileæ ad a. 1529. quo Friburgum, motus religionis causa metuens, discessit. V. Prof. Philos. n. 3.

II. WOLFGANGUS WISSENBURGER Matheseos Professor publicus constitutus fuit a. 1520. eamque provinciam administravit, donec ad aliam transferretur. V. Prof. N. T. n. 3.

III. CHRISTIANUS MORFIANUS, Danus, Matheseos professor fuisse legitur a. 1536. plura de eo non potuimus reperire, præterquam quod a. 1534. Paulo Constantino Phrygione, Rectore, & D. Sebast. Sinckelero, Decurio-

Digitized by Google

Decurione, Basileæ insignia philosophica acceperit & d. 13. Mart. 1537. Basilea demigraverit.

IV. PETRUS PICELLIUS, f. *Pizellius*, J. V. L. Mathesin publice tradidisse traditur a. 1537. plura de eo non habemus. Forsan idem est cum Petro Pitrellio, JC. qui occurrit inter Prof. Cod. n. 1.

V. VITUS ARDISÆUS natione fuit Leopontino Rhætus, Basileam venit a. 1536. quo magnus Erasmus ibidem fato suo fuerat defunctus & Mathesin Basileæ docuit a. 1542. hoc enim anno se eum audivisse testatur Henr. Pantaleon; forsan jam antea eodem officio fungebatur; certe Vrstisius in MS. jam a. 1537. eum Mathesin professum fuisse perhibet, docere autem desiit a. 1547. &, ob nonnullos sinistros de eo sparsos rumores, a. 1556. Basileam reliquit. Plura de eo rescire nobis non licuit, excepto quod, cum iter literarium in Galliam fecit, prænomen *Viti*, ne quid scævi pateretur, ac si *S. Vito* illusisset, mutaverit, seque *Titum* dixerit.

VI. JOHANNES ACRONIUS, Frisius, Med. Doct. Matheseos professor fuit denominatus a. 1547. eandemque cum Logica, quæ ei a. 1549. docenda fuit commissa, quam vero a. 1553. Bechio cessit, professus est ad finem usque vitæ, qui ei ex peste contigit d. 18. Oct. 1564. V. Prof. Log. n. 7.

VII. CHRISTIANUS VRSTISIUS, S. Theol. Doct. professionem Mathematicam obtinuit a. 1564. & licet a. 1585. V. T. professor fuit designatus, Mathesin publice docere perrexit, donec a. 1586. ad munus archigrammatei arcesseretur. V. Prof. V. T. n. 7.

VIII. PETRUS RYFF, claris natalibus ortus, solis lumen primum adspexit d. 8. Maj. 1552. parentibus usus *Dan. Ryff*, senatore, & *Vrsula Zimmermann*, quæ cum isto marito integros annos 61. transegit. Ad bonas literas pronus, iisdem diligenter invigilavit, & a. 1569. ex ludo literario inferiori ad altiorem scholam fuit promotus. Aliquamdiu philosophatus diligentiæ & eruditionis honores bene promeritos impetravit, primam scilicet Lauream d. 26. Oct. 1572. Magisterii vero insignia d. 31. Jan. 1576. Hinc ad studium Medicum transiit, in

Digitized by Google

in quo partim privatis ſtudiis, partim celeberrimorum tum temporis medicorum, inprimis *Theod. Zuingeri*, *Thomæ Eraſti*, *Fel. Plateri* & *Joh. Nic. Stupani*, ductu & auſpiciis ita profecit, ut d. 9. Mart. 1584. ſupremam in medicina lauream, diu ante meritam, adeptus fuerit. Tum praxi medicæ ſtrenuam navavit operam, & æquo promtoque animo ægrotis omnis generis, ejus opem petentibus, ſolatio fuit atque ſaluti. Cum autem ab ineunte adoleſcentia diſciplinis mathematicis delectatus fuiſſet, cathedram mathematicam ambiit & d. 22. Sept. 1586. obtinuit. Ceterum, ut vita fuit integer, moribus facilis, laborum patiens, induſtria indefeſſus, conſcientiæ ſtudioſus, ita modis omnibus ſpartam, quam nactus erat, exornare ſibi curæ habuit, hinc ut non modo vivus ſed vel mortuus prodeſſet, compendia mathematica varia adornavit & in lucem dedit, a ſenatu acad. perpetuis ſtudioſæ juventutis uſibus deſtinata. Conjugium iniit geminum, alterum cum *Anna Iſengrien*, ſterile 12. annorum, alterum 36. annorum cum *Dorothea Waſſerhun*, liberis 12. fœcundum, ex quibus fuit *Reinhardus Ryff*, eccleſiarum in agro Baſil. primum Siſſacenſis, dein Luciſvallenſis paſtor, & utriuſque diœceſeos Decanus. Suprema autem ſua obiit ex morbo ſenili d. 19. Maj. 1629.

Edidit *quæſtiones geometricas in Euclidis elementa*, *Francof.* 1600. 4. *eadem & geodæſia per uſum radii geometrici prodierunt ibid.* 1606. 4. *& cum tractatu de* Petſpectiva communi, *Oxon.* 1665. 8. *compendium arithmeticæ Vrſtiſii*, *Baſ.* 1626. 8. *elementa ſphæræ mundi Baſ.* 1627. 8. *Georg. Purbachii theoriam planetarum* recudi fecit; *ephemerides & prognoſtica aſtrologica* ad plures annos. *Hiſtoriam Baſilienſem*, quam patruus ejus *Fridolinus Ryff*, ſenator ac ſcholarcha, a primordiis urbis inceptam & ad ſua uſque tempora protractam reliquit, ab a. 1514. ad vitæ ſuæ terminum continuavit, quæ vero hactenus non fuit edita.

IX. GERMANUS OBERMEYER natus eſt Baſileæ d. 30. Apr. 1588. parentibus honeſtis, *J. Jac. Obermeyer* & *Magdalena Iſelin*. Muſis dicatus prima linguarum eruditarum diſciplinarumque rudimenta guſtavit in gymnaſio patrio, ex quo a. 1604. emiſſus philoſophica ſtudia in academia diligenter tractavit, & latinæ græcæque linguæ, rhetoricæ, logicæ atque eloquentiæ, nec non ethicæ,

Digitized by Google

cæ, phyſicæ atque mathematicæ cognitionem ſatis amplam ſibi comparavit. Honores nactus in philoſophia primos d. 3. Jun. 1606. poſteriores vero d. 12. Maj. 1608. prius habita oratione in quæſtionem, *ſitne cometa ſtella?* Dein ad ſtudium artis medicæ ſeſe adplicavit, illudque cum diſciplinis mathematicis, quas impenſe amabat, adſidue tractavit. Poſtea iter inſtituit per Germaniam, Galliam atque Italiam, & multo cum fœnore rediit. Reddita ſtudiorum ratione, non ſine eximia laude in numerum Medicinæ Doctorum cooptatus & tiara doctorali publice cinctus fuit d. 20. Dec. 1614. Theoreticæ autem atque practicæ medicinæ proporro ſedulam navavit operam; ut autem quemvis ſua trahit voluptas, ita is artibus mathematicis, quibus quam maxime delectabatur, multum laboris atque temporis ſacrificavit; id vero haud ſine fructu ad ipſum & ad academiam redundante. Accidit nempe, ut is d. 2. Febr. 1630. ordinarius matheſeos profeſſor vocaretur, ſicque ei lata porta aperiretur, ſtudium matheſeos, cujus cupiditate fuerat incenſus, omnibus viribus ſectandi, illudque publico commodo impendendi, quod, dum vixit, totus peregit. Vir fuit ceterum fide germana, pietate, probitate atque eruditione conſpicuus. Duplex contraxit conjugium, unum cum *Magdalena Verzaſcha*, alterum cum *Suſanna Burcard*, ex qua ſuſtulit præter filias duas filium *Danielem*, ampliſſimis peregrinationibus experientiam rerum agendarum conſecutum, bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationi adhibitum, denique a. 1681. ad ſenatoriam dignitatem evectum. Senex noſter viduus a. 1654. ad adminiſtrationem ſuperioris collegii fuit admotus, ſed huic muneri haud diu præfuit, d. 1. Maj. 1655. his terris ereptus.

Edidit varia *prognoſtica aſtrologica*, quæ *calendaria* vocant, arguta divinandi felicitate exarata; nec non aliquot *diſſertationes.*

X. PETRUS FALCKEISEN, Med. Doct. & Rhet. Prof. cathedram mathematicam conſcendere juſſus eſt d. 19. Nov. 1655. ſupremumque vitæ diem clauſit 23. Oct. 1660. V. Prof. Rhet. n. 14.

XI. JOH. RODOLPHUS BURCARD, Med. Doct. nactus eſt

eſt cathedram mathematicam d. 13. Mart. 1661. eamque poſſedit, dum d. 17. Oct. 1664. ad cathedram Anat. & Bot. fuit traductus. V. Prof. Med. Pract. n. 9.

XII. SAMUEL EGLINGER luci editus eſt d. 30. Apr. 1638. patre *Sam. Eglingero*, pharmacopola & CC viro, & *Monica Miville*. Quamprimum per ætatem licebat, ludo literario immiſſus, præceptorumque publicorum fidei concreditus eſt. Ordines gymnaſii potiores emenſus, Montisbelgardum mittitur, præter linguam latinam præſertim gallicæ quoque operaturus; inde redux d. 31. Aug. 1652. in ordinem philoſophiæ ſtudioſorum receptus eſt. Liberiorem, quam hic ſpirabat, auram non ad licentiam ſed ad laborum lenimentum adhibuit, animum ſuum, bonarum artium cupidum, ad optima quæque intendens. In linguis autem atque artibus præclare progreſſus, etiam exantlatorum laborum præmia reportavit, primam quidem Lauream d. 31. Jan. 1654. docturæ autem philoſophicæ axioma d. 26. Jun. 1655. Cum ſtudio philoſophico, quod non ſepoſuit, ſed diligenter porro proſequendum duxit, conjunxit jam ſtudium medicum, quod acri animo & ſingulari induſtria omnique cogitatione pertractavit, adeo feliciter, ut ſuperatis cum laude & ex præceptorum voto ſolennibus examinibus, d. 15. Maj. 1661., corona apollinea publice condecoraretur. Antequam autem facultate ampliſſima docendæ faciendæque medicinæ ſibi conceſſa ipſo facto uteretur, prudens ſtatuit, eruditionem atque experientiam magis adhuc idque apud exteros augere. Biennale itaque iter adhuc a. 1661. inſtituit, & quidem in Italiam atque Galliam; fines helveticos egreſſus & altiſſimos alpium montes ſupergreſſus, Mediolanum pervenit, hic aliquandiu *Manfredi Septalii* humanitate atque eximia in philoſophia naturali peritia uſus, Patavium perrexit per Mantuam, ubi diutius hæſit & per ſemeſtre tempus *Marchettium* jun. privatim audivit. Deinde adiit Venetias, & obſervatis obſervandis Ferraram, Bononiam atque Florentiam, hinc Lauretum, denique recto pede Romam petiit; inde totius fere Italiæ longitudinem emenſus, Genuam pervenit, hinc mare petit Ligufticum, quo Tolonium devehitur, inde in Galliam Narbonenſem ſeſe retulit atque Maſſiliam. Animus erat jam Tholoſam tendere, ſed ſtudii medici amor & ardor Montiſpeſſu-

tiſpeſſulum eum compulerunt, quatuor menſes, quos anatomicis atque botanicis exercitiis impendit, ibi retentum. Hic inter alios, quos ſibi familiares reddidit, offendit *Marcum Mappum*, tum Medicinæ ſtudioſum, poſtea ejuſdem apud Argentinenſes profeſſorem, cum quo ibidem ſacram contraxit amicitiam, quam commercio literario & mutuis, quoad licuit, ſtudiis, ad vitæ uſque terminum religioſe coluit. Hinc orbis compendium, Pariſios, profectus, ſtudiorum & amicitiæ conſortem nactus eſt *Henr. Meybomium*, jam tum in Academia Julia Anat. & Bot. profeſſorem deſignatum. Baſileæ tandem redditus non diu ſubſtitit, ſed mox Argentoratum ad *Spenerum* ſuum, a quo olim Baſileæ mathematicarum ſcientiarum principia hauſerat, contendit, eadem aucturus atque perfecturus. Illinc reverſus d. 10. Jan. 1665. Matheſeos profeſſor conſtituitur, eique occaſio conceditur, vaſtam ſuam in hacce diſciplina ſcientiam declarandi, & in commodum publicum impendendi. Huic ſtudio, quod totum virum poſtulat, jam totum ſe dedit, & omnes Matheſeos partes ſibi fecit notiſſimas. Bibliothecam etiam collegit inſtructiſſimam, ex Eccleſiæ patribus compluribus, Medicis, philoſophis, hiſtoricis atque mathematicis fere cunctis conflatam. Cimeliarchium etiam nec non laboratorium habuit chymicum; illud complectebatur, quicquid in regno vegetabili, animali atque minerali curioſum occurrit; hoc non habuit oſtentationis cauſa, ſed in eo ipſe diligenter tincturas, eſſentias, elixiria, ſalia qua volatilia, qua fixa, atque hujus generis alia confecit. Duo interea ſuſcepit itinera, unum ſanitatis cauſa ad aquas Fabarienſes in Rhætiæ convallibus ſcaturientes, alterum pietatis, ſed ſibi lethale, ad fratrem *Nicolaum Eglinger*, mercatorem Francofurtenſem, periculoſe ibidem decumbentem. Salvus Francofurti advenit & fratrem convaleſcentem invenit. Fratre dein Lipſiam tendente, ipſe Baſileam reverti fuit adgreſſus. In itinere vehementis morbi impetus paſſus Heidelbergam ſe transferri curavit, ubi febri maligna, cœlebs, relicta tamen mœſtiſſima matre, d. 27. Dec. 1673. ſupremum vitæ diem obiit.

Edidit diſſ. *de humoribus*, 1660. diſp. *de nephritide*, eod. *Endoxa & paradoxa ex variis matheſeos partibus*, 1664. diſp. *de lienteria & colicis adfectibus*, 1667.

XIII. Pe-

XIII. PETRUS MEGERLIN natus Campoduni d. 25. Febr. 1623. patrem coluit *Davidem Megerlin*, J. V. D. urbis Campodunensis syndicum & consiliarium Würtembergicum; mater autem ei erat *Felicitas Eckgoldt*, filia *Petri Eckgoldtii*, physici Lindaviensis. Teneros annos liberalibus artibus discendis impendit; ad maturiorem ætatem progressus studium Juris inchoavit, & brevi haud exiguos in eo fecit profectus. Cum enim & ingenio valeret, & nullis fatigaretur laboribus, præceptore insuper uteretur optimo, ipso nempe parente, profectus insignes abesse non potuerunt. Hos vero ut magis augeret, Tubingam fuit missus, ubi per integrum lustrum lectiones anteceſſorum juris audivit, multumque legendo atque meditando in usum suum convertit. Animo autem etiam ad mathematicas scientias inclinante, iisdem gnaviter operam navavit, & proprio marte plurimum in iis profecit. Relicta Tubinga a. 1645. Spiram abiit, cum theoria juridica etiam praxin conjuncturus. Dein munus a comitibus Hohenloensibus ipsi delatum accepit & omni dexteritate eodem functus dimissionem petiit, quam ut & honorificam summo officio prædiți hominis testificationem obtinuit. A. 1651. matheſin atque juris studium perfecturus Basileam se contulit, ibique d. 29. Apr. ejusdem anni publice J. V. D. fuit proclamatus, postquam in quæstionem: *an subditi arma gerere possint contra principem?* facunde disseruisset. Elapso quadriennio uxorem duxit *Juditham Falckner*, quæ ei duos filios & quinque filias peperit, ex quibus liberis duas tantum filias cum matre sibi superstites habuit. Licet ei ampla munera apud exteros offerrentur, in quibus etiam erat Syndicatus Campodunensis, ea tamen omnia recusavit, liberum religionis purioris exercitium, quo Basileæ fruebatur, omnibus præferens. Nec intermiserunt Basilienses, ejus diligentiam remunerari, fructusque eruditionis ipsius percipere. Summus nempe civitatis magistratus a. 1660. Reipublicæ Syndicum, & academiæ proceres d. 26. Jan. 1674. Matheseos professorem eum denominaverunt. Utrique autem huic officio cum dexteritate, fide atque industria, qua debuit licuitque, præfuisset, & civibus consuleret, studiosis vero docendo multum profuisset, ipse Marasmo senili consumtus est d. 26. Oct. 1686.

Edidit *theses jurid. de actionibus in genere*; 1651. *discursum mathematicum de cometa nuper viso*, 1661. *theses mathematicas*,

theſmaticas, eod. *de cometa viſo* a. 1664. germ. c. f. Baſ. 4. *Aſtrologicas conjecturas de cometis*, 1665 diſp. *de chronologiæ principiis & computo eccleſiaſtico*, 1676. *deſcriptionem cometæ*, qui a. 1680. adparuit, 1680. fol. *Syſtema mundi Copernicanum theologiæ conciliatum*, Amſt. 1682. c. f. 8. *theatrum divini regiminis a mundo condito uſque ad noſtrum ſeculum in tabella mathematico hiſtorica cum indice chronologico hiſtorico & commentario chronologico*. Baſ. 1683. 4. *Indicem hiſtoriæ chron. &c.* ib. eod. 4. Confeſſionem fidei germ. MS. Miniſterio eccleſ. Campidunenſi exhibuit d. $\frac{5}{15}$ Jul. 1652. quam hoc diſticho clauſit:

Non ego Calvinum, magnum nec curo Lutherum;
Verus uterque placet, falſus uterque jacet.

XIV. JACOBUS BERNOULLI, Mathematicorum ſui temporis princeps, natus eſt d. 27. Dec. 1654. ex patre *Nicolao Bernoulli*, fori judicialis & cameræ rationum adſeſſore, qui inverſo fatorum ordine octogeſimo ætatis anno primogeniti hujus filii ſui funus duxit; matre vero *Margaretha Schœnauer*, quam præcoce funere ereptam in adoleſcentia deflevit. Quamprimum per ætatem licebat, gymnaſii noſtri præceptoribus iis literis, quibus puritia ad eruditionem & honeſtatem informari ſolet, inſtruendus eſt traditus. Horum induſtria cum jam eo uſque in literis profeciſſe eſt viſus, ut in academicam lucem translatus philoſophiæ ſtudio vacare poſſet, academiæ civibus adſcriptus philoſophiam omnem excoluit, privata præcipue uſus opera *J. Jac. Hofmanni*, S. Theol. Doct. tunc græcæ linguæ, poſtea hiſtoriarum profeſſoris; cum autem ſolennia induſtriæ præmia, nempe primam laurum d. 31. Maj. 1670. & d. 21. Nov. 1671. ſupremam in philoſophia lauream, accepiſſet, ex voluntate patris ſtudio S. Theologiæ nomen dedit d. 22. Nov. 1671. ipſe vero animum magis ad ſtudium mathematicum inclinavit, cujus amore ita fuerat captus, ut, ſi forte figuras geometricas adſpexit, earum conſideratione quam maxime delectaretur. Patri autem cum hocce ſtudium minus probaretur, abſque ullis ſubſidiis & non niſi furtim ei inhiavit, nulloſque alios libros, quam quos fors aliunde objecit, vel quos mutuo accepit, evolvere potuit; quibus vero eo diligentius fuerat uſus, quod eos paulo poſt reſtituendos, nunquam in manus ſuas redituros eſſe noſſet. In hiſce anguſtiis, quod ad mathematica ſubſidia adtinet, poſitus eo uti ſolebat emblemate, quod Phaetontem Phœbi patris ſui currui inſiſtentem

ſtentem exprimebat, cum hac epigraphe: *Invito patre ſidera verſo.* Licet autem furtivo tantum ſtudio dilectos ſuos numeros atque figuras abſque ulla manuductione, ſubſidiis omnibus deſtitutus, tractaret, in iſtis tamen ſcientiis tantum profecit, ut anno ætatis 18. celebre problema chronologicum de inveniendo anno periodi Julianæ ex datis tribus cyclis, ſolis, lunæ & indictionum, quod in prima parte deliciarum mathematicarum *Dan. Schwenteri* exſtat, proprio marte feliciſſime reſolverit. Inter hæc ſtudia non ſolum theologiam, ut patri placeret, ſed & literas præſertim humaniores, ſibi ipſi ſatisfacturus, diligenter tractavit, iiſque eo cum effectu incubuit, ut in utroque & ſolutæ & ligatæ orationis genere ea jam tum ediderit artis documenta, quæ ingenii acumine, verborum nitore, ſententiarum elegantia, etiam peritiſſimis illarum artium magiſtris potuerint ſatisfacere. Quinquennio, quod ſtudio theologico conſtitutum erat, elapſo ratio ſtudiorum erat reddenda, quam ita exhibuit, ut a. 1676. in eorum numerum reciperetur, quibus factorum publice docendorum facultas conceditur: quo ille officio poſtea & Baſileæ & Genevæ præcipue, tum & in Lemovicenſi illa commoratione ſua concionibus ad populum habendis feliciter eſt defunctus. Hæc ſtudiorum fundamenta poſtquam in patria poſuit, peregrinatione literaria linguarum & artium cognitionem locupletare conſtituit, hancque menſe Majo 1676. ingreſſus Genevæ primum ſubſtitit, ibique mox inſigne dexteritatis & judicii ſui ſpecimen edidit. Erat tum Domino *a Waldkirch*, mercatori, filia *Eliſabetha*, quæ bonarum literarum capaci ingenio a natura inſtructa, calamitate aliqua jam inde a ſecundo poſt nativitatem menſe omnem oculorum uſum amiſerat. Hanc ille ſolerti & arguta quadam docendi ratione uſus non eo tantum perduxit, ut literas expedite pingere diſceret, ſed & Logicæ, Phyſicæ & Hiſtoricæ artis ſcientiam non pœnitendam ſibi compararet. Poſt viginti menſium commorationem, Geneva relicta, totam fere Galliam perluſtravit. Accidit autem tum temporis, ut cum *Claudius Blancherius*, Marchio Loſtangius ex Lemovicenſibus, filio ſuo ephorum & præceptorem quæreret, ipſe oblata ſibi ea conditione a. 1678. per Lugdunenſes & Arvernos facto itinere, Nedam, ejus Marchionis ſedem, peteret, in qua poſtquam per menſes tredecim concionatoris & informatoris officio eſt functus, continuata per

Lemovicenſes & Petrocorios profectione, Burdegalam venit, cujus urbis amœnitate captus per ſemeſtre tempus, quo in ea ſubſtitit, præter conſuetudinem, quam cum doctis ejus civitatis viris, *Baudovero* mathematico, nec non *Rondeletio*, *Goyonio*, & *Sarravio*, qui tum in Reformatorum eccleſia ſacra adminiſtrabant, frequentem habuit, tabulas quoque Gnomonicas univerſales magno ſtudio concinnavit: excurſionem quoque in vicinam Regulam, ubi tum Aquitaniæ Parlamentum jus dicebat, fecit. Hinc ſecundo Garumna in Oceanum delatus, Aquitaniæ litora & Ream inſulam prætervectus, Rupellam adpulit, unde per Nannetes & Salmurium, ubi *Capellum*, hinc per Aurelianum, ubi *Pajotum* compellavit, Lutetiam Pariſiorum venit, in qua urbe poſtquam duorum menſium ſpatio quicquid viſu memorabile occurrit, cutioſis oculis perluſtraſſet, patriæ & parentum iterum adſpiciendorum deſiderio impulſus, per Franciæ inſulam, Campaniam, Lotharingiam, Alſatiam, ipſo die Aſcenſionis Baſileam intravit. Jam amicorum ſuaſu *Malebranchii* ſcrutinium veritatis & *Carteſii* ſcripta tum primum cœpit evolvere, cujus ſcriptoris methodum potius quam principia adprobabat. Hæc ei lectio ad id profuit, ut jam in philoſophia ultra conſueta compendia ſapere inciperet. Dum in his eſt, Cometæ, qui per id tempus in cœlo formidandæ magnitudinis effulſit, occaſione, quendam ingenii luſum de futura ejus nova adparitione in publicum edidit, pauloque poſt alteram in Belgium & Angliam profectionem inſtituit. Et in Belgio quidem Amſtelodami aliquanti temporis moram traxit, ibique *Alexandrum de Bie*, Matheſeos profeſſorem, res mathematicas in gratiam nautarum vernacula lingua explicantem aliquoties audiit, ac per otium in vicinas urbes & provincias excurrit. Inprimis autem Lugduno Batavæ univerſitati penitius luſtrandæ aliquod tempus dedit, in qua *Wittichio*, *le Moine*, theologis, *Bœckelmanno* JC. & *Woldero* philoſopho innotuit. Et huic certe Belgicæ commorationi illud ſe debere ſæpe prædicabat, quod excuſſis, quibus hactenus immerſus erat, tenebris atque præjudiciis, ſanioris philoſophiæ & demonſtrationum mathematicarum, quas a præſtantiſſimis ejus ſcientiæ magiſtris publice videbat exhiberi, dulcedine ineſcatus, ipſe quoque ad illorum exemplum ad altiorem aliquem doctrinæ gradum viam adfectare cœperit. Aliquod etiam profectuum ſuorum,

ſuorum, quos in Belgio fecerat, ſpecimen publice exſtare volens, primo quidem *conamen* illud ſuum *de cometarum motu* in latinam linguam translatum, multo quam prius auctius: poſtea etiam tractatum *de gravitate ætheris* belgicis typis excuſum in publicum edidit, quo fama ejus longe lateque fuit diſperſa, nec non illis eruditis obſervationibus, quas ab eo tempore ſingulis annis diario eruditorum Pariſienſi & actis Lipſienſibus inſeri curavit. Tandem per præcipuas Brabantiæ, Zeelandiæ, Flandriæque civitates Caletum uſque continuato itinere in Angliam trajecit, in qua inſula *Baylium*, *Iſaacum Voſſium* ejuſque famoſum hoſpitem, *Adr. Beverlandium*, *Rob. Hookium*, *Juſtellum*, *Stillingfleetum*, *Baxterum*, *Galium* alioſque celeberrimos viros ſalutare non intermiſit. Ex Anglia Hamburgum eſt tranſvectus, unde brevi per Germaniam tranſitu domum a. 1682. rediit. Quamquam ne tum quidem prius ſibi ceſſandum exiſtimavit, quam bimeſtri itinere Helvetiæ pagos omnes eſſet emenſus. Ex eo tempore ſtabilem in patria pedem poſuit, & mathematica ſtudia majori adhuc labore urgenda ſumſit. Hoc tempore collegium, quod vocant, experimentale phyſico mechanicum publice aperuit, primuſque rerum harum pulcherrimarum in urbe noſtra vel auctor vel evulgator exſtitit. Contigit tum, ut ab eccleſia Reformata, quæ Argentinæ colligitur, opera ejus in Sacris gallica & germanica lingua populum docendis requireretur, quam vero is negavit. Haud multo poſt Heidelbergam fuit vocatus, ut matheſin vicario nomine doceret; paruiſſet etiam, niſi a. 1684. matrimonium interceſſiſſet cum *Juditha Stupanus*, e qua geminæ ſobolis, maſculæ & fœmineæ, pater eſt factus: filia in *Nic. Ryhineri*, mercatoris, conjugio vixit, filius autem, *Nicolaus*, pictor atque ſenator, a. 1769. diem ſuum obiit. Inter præclara hujus viri geſta poni & præcipue debet, quod fratrem ſuum, *Johannem*, acutiſſimi ingenii tum adoleſcentem, ad eadem ſtudia mathematica perduxerit, eumque matheſeos principia magna fide & egregio cum ſucceſſu docuerit; cum eo dein junctis viribus laboravit, & in aliis cum eodem *calculum differentialium & integralium*, quem *Leibnitius* in actis eruditorum Lipſ. M. Oct. 1684. recens inventum ſed tecte admodum in problemate aliquo innuit, feliciter detexit, cujus ille primum ſpecimen exhibuit

in iisdem actis m. Maj. 1690. solutione problematis, quod a Leibnitio *de inveniendâ linea descensus æquabilis* olim fuerat propositum; hancque ejus dexteritatem mirifice sibi probari testatus est Leibnitius, adserens, neminem sibi esse notum, qui melius quam Bernoullius mentem suam penetraverit, hancque inventionem non minus fratrum Bernoulliorum quam suam esse habendam. In hisce laboribus atque novis detectionibus cum versaretur, opportune accidit, ut cathedra mathematica vacaret, quæ ipsi conspirantibus in unum suffragiis d. 15. Febr. 1687. fuit delata, quamque is adiit d. 11. Mart. 1687. prælectione, qua *historiam originis & progressus matheseos* exposuit. Inter complures eruditissimos viros, qui Bernoullium nostrum suum in mathematicis præceptorem agnoverunt, vel per literas cum eo de rebus gravissimis contulerunt atque interiorem amicitiam conjunxerunt, nominandi inprimis sunt *Rogerus Brulartus*, Marchio de Puysieux & Silleri, regis Galliarum ad Helvetios Legatus - - - *Guilielmus Hospitalius*, eques & marchio S. Mesmii & Montelerii, *Nicol. Fatio Duillierius*, *Leibnitius*, *Petr. Varignonius*, *Otto Menkenius*, *Pfauzius* - - - *Academia* etiam *Scientiarum Parisiensis* a. 1699. nec non *regia Berolinensis*, simul ac ea fuit instituta, a. 1701. Bernoullium nostrum solenniter suum sodalem adlegerunt. Sed mors ultima linea rerum ei post tot exantlatos labores acceptosque honores evenit d. 16. Aug. 1705. quo phthisicus occubuit. Morti proximus præcepit, ut saxo ejus sepulcrali linea spiralis logarithmica circulo inclusa insculperetur, cum hac epigraphe: *Eadem mutata resurgo.* In ejus honorem non solum Basileæ concio funebris germ. a *J. Rod. Wettstenio* in 1. Reg. XIX. 4. 5. nec non oratio parentalis lat. a *J. Jac. Battierio* JC. habita lucem viderunt, sed & Parisiensis Academia ejus memoriam solenni ritu in publico Societatis conventu d. 14. Nov. 1705. parentali oratione, singulari nec promiscue omnibus tribui solito honoris genere, prosecuta est.

Opera ejus omnia collecta, edita atque inedita, junctim prodierunt notis illustrata a Nicol. Bernoulli, *J. V. D. ac Prof., Auctoris ex fratre Nicolao nepote, Genev.* 1744. 2. T. in 4.

XV. Jo-

XV. JOHANNES BERNOULLI, Med. Doct. apud Groningenſes Matheſeos profeſſor, Jacobi Bernoullii frater, & deſignatus profeſſor Linguæ Græcæ, electus fuit Baſileæ Matheſeos profeſſor d. 21. Sept. 1705. hancque cathedram ſumma cum laude exornavit ad vitæ ſuæ uſque terminum, qui contigit d. 1. Jan. 1748. V. Prof. Ling. Gr. n. 24.

XVI. JAC. CHRISTOPHORUS RAMSPECK, Med. Doct. cathedram mathematicam d. 10. Sept. 1748. ſortitus eandem ſtatim, ita d. 7. Oct. 1748. ſummo Reip. magiſtratu adprobante, cum cathedra Eloquentiæ, quam *Joh. Bernoulli*, fil. occupaverat, commutavit. V. Prof. Eloq. n. 26.

XVII. JOHANNES BERNOULLI, Joh. fil. J. V. D. hactenus Eloquentiæ profeſſor, cathedram Matheſeos paternam jure commutationis obtinuit d. 7. Oct. 1748. eamque huc uſque magna nominis ſui fama atque auditorum utilitate occupat. V. Prof. Eloq. n. 25.

PROFESSORES ETHICÆ.

I. OTTO WERDMULLER, Tigurinus, alias dictus *Napemylus*, vel *Myliander*, natus eſt a. 1512. genitore *Henrico Werdmüller*, ſenatore, & quia mature bonæ indolis ingeniique boni indicia oſtenderat, ipſum pater in literarum & artium ſtudio educari curavit. Itaque, jactis in ſcholis domeſticis, *Thoma Platero* uſus præceptore, ſcientiarum fundamentis, arteque etiam manuaria cum literis conjuncta, auctore *Henr. Bullingero*, miſſus fuit Baſileam & a. 1531. Argentinam, ubi per triennium & ſupra græcam latinamque linguam, ut & philoſophicas artes, diligenter excoluit. Hinc a. 1535. Wittenbergam abiit, & præcipue Phyſicæ, Ethicæ & Mathematicæ operam dedit. Theologiæ etiam fuit operatus, & *Mart. Lutheri*, *Phil. Melanchthonis*, aliorumque publicas privataſque prælectiones audivit. Poſtquam hic omnium ſuffragiis Magiſter liberalium artium publice creatus atque duplici teſtimonio, uno Vniverſitatis publico, altero Phil. Melanchthonis privato, ornatus fuiſſet, a. 1539. pedibus iter fecit Lutetiam Pariſiorum,

ubi facultatem, qua jam etiam Wittenbergæ gaudebat, accepit, in collegio Blasiano in Ciceronis orat. ad equites Romanos, Isocratis orat. de pace, aliquot Luciani dialogos - - - quotidie atque publice prælegendi; hinc profectus etiam Aureliæ brevi tempore eloquentiæ præcepta tradidit. Eodem anno 1539. Basileam venit, ubi ei statim professio artium deferebatur, anno vero 1540. a parentibus atque amicis domum vocatus reditum in patriam, ægerrime quidem dimissus, paravit atque perfecit. In synodo majali ejusdem anni Tiguri in ordinem ministrorum verbi divini receptus, eodemque anno professor philosophiæ moralis & naturalis, a. 1545. plebanus & diaconus S. Templi & denique a. 1547. archidiaconus atque canonicus constitutus fuit. Diem emorturalem habuit 25. Mart. 1551. relictis aliquot liberis, quorum natu maximus, *Abel*, a. 1566. diaconus Stammheimensis & a. 1577. pastor Hengkartensis electus decem liberorum pater exstitit.

Scripsit Otto de dignitate, usu & methodo philosophiæ moralis, quam Aristoteles ad Nicomachum scripsit l. 2. Bas. 1545. *commentarium in orationem Ciceronis ad equites Rom. qui sub nomine Myliandri Tigurini prodiit* Bas. 1539. *una cum aliorum lucubrationibus in omnes orationes Ciceronis, & Parisiis seorsim* 1540. Tiguri *item ex recognitione auctoris & Bas.* 1553. *de officio concionatoris christiani* 2. *sermones* 1551. 3. l. *de justificatione* 1552. Herborn. 1588 & 1607. *summam christianæ fidei; libellum de morte*, germ Tigur. 1552. 12. *de adflictionibus &c.* germ. Tiguri 1548. 8. *l de similitudinibus ab animantibus desumtis*, Tig. 1555. *de bonis operibus*, 1551. Ab istis scriptis vir iste laboriosus atque judicioſus *Scholasticus Reformatus* solebat vocari.

II. ANTONIUS WILD præceptor fuit Petrinus post *Joh. Sphyractem* studiorum causa in Galliam profectum, ab a. 1531. ad a. 1538. dein d. 2. Nov. 1540. Basileæ publice philosophiæ Laureatus una cum Vdalr. Hugobaldo fuit creatus, & quidem, ut diserte in matricula adnotatum est, gratis, quod de literis bene meriti essent, d. 4. Jan. 1541. publice in ordinem philosophiæ magistrorum receptus, nec non philosophiæ professor constitutus est, quo vero eodem anno ex peste diem suum obiit. Vrstisius in Chronico eum elogio eruditi professoris condecoravit.

III. VDAL-

Digitized by Google

III. VDALRICUS HUGOBALDUS, Mutius, Thurgæus, prius Ludimoderator S. Templi, dein profeſſor Pædag. Grammaticæ Lat. nec non Rhetoricæ, poſtea in academia profeſſor Logicæ, denique a. 1541. Ethicæ profeſſor deſignatus, eandem cum Rhetorica, quam ab a. 1544. ad a. 1550. docuerat, profeſſus eſt, donec fatum ei ſilentium impoſuit d. 24. Jan. 1571. V. Prof. Pæd. Cl. I. n. 2.

IV. THEODORUS ZUINGER, Med. Doct. Linguæ Græcæ profeſſor, in cathedram Ethicam evectus fuit anno 1571. ex eadem vero avocatus & ad Medicam profeſſionem translatus a. 1580. V. Prof. Med. Theor. n. 5.

V. NICOLAUS TAURELLUS, Medicus, & profeſſor Eloquentiæ, Zuingero ſurrogatus fuit d. 31. Maj. 1580. ſed ante cœptam hanc profeſſionem Altorfium abiit, ubi d. 28. Sept. 1606. ex peſte obiit. V. Prof. Eloq. n. 9.

VI. SIMON GRYNÆUS, cujus avi, *Johannis*, *Simon Grynæus*, philoſophus atque theologus, fuerat frater, natus eſt Bernæ a. 1539. d. 1. Dec. ex patre *Thoma Grynæo*, Vehringenſi, qui tum temporis Bernæ latinam græcamque linguam publice fuit profeſſus, matre vero *Adelheida Stouber*, Tigurina. Ab ipſo patre latinis græciſque literis inſtitutus puer, & cum eodem Baſileam, quo pater ad docendam Grammaticam latinam fuerat vocatus, menſe Januario 1546. profectus, cum fratre *Joh. Jacobo*, poſtea eccleſiæ Baſil. Antiſtite atque Theologiæ Profeſſore, a. 1551. academiæ Rectoris matriculæ nomen dedit. Hic præter patrem publice privatimque docentem, in poëſi Niſæum, in Dialecticis Vlr. Coccium, Joh. Acronium & Joh. Hoſpinianum, in Rhetoricis eundem Niſæum, ut & Cœl. Sec. Curionem, in Homerum & Plutarchum legentem Seb. Caſtellionem, in Phyſicis Acronium Friſium atque Henr. Pantaleonem & in Ethicis Hugobaldum diligenter audivit, & tantum profecit, ut d. 28. Oct. 1556. philoſophicos honores, primam nempe Lauream, publice acceperit. Horum præceptorum opera uſus eſt ad an. 1559. quo Heidelbergam miſſus Thomam Eraſtum, Guil. Xylandrum, Sigiſm. Melanchthonem atque alios

habuit magiſtros, ubique diligentia atque eruditione ſua ſe ita commendavit, ut ipſi a. 1564. Mathematum profeſſio, oblato ſalario 120. flor. demandaretur, quam &, adſumto prius A. L. M. titulo adiit atque diligenter adminiſtravit. Simul autem arti medicæ operam dedit, ducem præcipue ſecutus Thom. Eraſtum, & tantos in anatomia atque praxi medica fecit progreſſus, ut propria manu ſceleton artificioſe concinnaverit, quod is *Friderico*, Electori, obtulit, hujuſque principis admirationem meruit. A. 1567. iniit matrimonium cum *Clara Simelbechia*, Heidelb. Sequente anno 1568. Medicinæ Doctor creatus moxque collegii adminiſtrator conſtitutus fuit. Paulo poſt Bernam vocabatur ad medicinam faciendam, ſed Heidelberga eum retinuit. Cum autem poſtea variæ religionis cauſa ortæ fuiſſent factiones, ipſeque Lutheranorum partibus accedere nollet, honeſtam a. 1580. obtinuit dimiſſionem & Baſileam, alteram ſuam patriam, conceſſit, ubi tum vacantem philoſophiæ moralis profeſſionem eodem anno 1580. obtinuit, eique fide integra præfuit, profuturus uberius, ſi ulterius vivere datum fuiſſet. Jam enim die 3. Sept. 1582. terræ valedixit, peſte abreptus.

Edidit *commentarium de ignitis meteoris & de cometarum cauſis ac ſignificationibus*, 1580. 4. *de cometa, qui fulſit annis* 1577. 1578. *de inuſitata magnitudine & figura Veneris annis* 1578. 1579.

VII. THEOPHILUS MADER, A. L. M. & Med. Doct. Frauenfelda Thurgovienſis, natus eſt a. 1541. & primam pueritiam non ſine diligente morum ingeniique cultura in patria ſchola exegit; adoleſcens ſtudiis humanitatis ſtrenuam operam dedit, & incredibili literarum græcarum amore flagravit. Inprimis vero Baſileæ atque Heidelbergæ ductu *Thomæ Eraſti*, philoſophi ac medici celeberrimi, quem per 12. annos docentem audivit, in arte medendi inſignes fecit progreſſus, & cum *Adriano Borckio*, Cameræ poſtea Imperialis adſeſſore digniſſimo, cui deinceps in ſignum priſtinæ amicitiæ Eraſti diſputationes & epiſtolas dedicavit, tanta vixit familiaritate, ut ambo uno convictu & menſa, eodemque contubernio uſi ſint. Baſileæ a. 1582. per aliquot menſes cathedram Ethicam vicario nomine occupavit. A dicto

dicto Erasto diligentissime omnibus bonis commendatus, varias Germaniæ partes adire secum decreverat. Quæ etiam commendatio suo non caruit pondere, siquidem in itinere constitutus, Norimbergæ perillustrium Dn. Curatorum academiæ Altorffinæ gratiam ita sibi conciliatam reddidit, ut Organi Aristotelici professionem an. 1584. ultro ipsi offerrent. Accepit quoque publicum hocce docendi munus, & magno quidem adplausu, sed non diu illi præfuit. Nam a. 1585. Ambergam ad functionem Medici ac Physici ordinarii obeundam fuit vocatus. Hac etiam relicta Heidelbergam est profectus, ibidemque Medicinæ ac Physices professionem consecutus, quo in officio d. 26. Jan. 1604. vitam cum morte commutavit.

Edidit *Thomæ Erasti disputationes & epistolas medicinales*, Tig. 1595. 4.

VIII. THOMAS ERASTUS (*Liebler*, s. *Lüber*) natus est d. 7. Sept. 1524. non, ut quidam perhibent, in Auggen, vico ditionis Badenweiler, Marchionatus Badensis, sed in oppido helvetico Baden, unde & *Aquensis* dicebatur. Badensem certe ipse se vocavit in matricula Rectoris academiæ Basil. & in ejus epitaphio, Basileæ exstante, itidem Helveto Aquensis vocatur. Parentes habuit tenuibus opibus præditos, quod unum erat studiorum impedimentum; alterum erat dextræ manus ἀδυναμία, in cujus locum sinistra suffecta & ad scribendum tam feliciter fuit adsuefacta, ut nullum inde detrimentum pateretur, quin hæc atque alia gravia licet literarum obstacula ita superavit, ut acutus philosophus, elegans medicus, sincerus theologus, Heidelbergensis academiæ columen, Basiliensis lumen evaserit haud exiguum. Domi ad academiam, quoad licuit, præparatus, studiorum causa Basileam venit, & a. 1542. academiæ civibus sese adjunxit. Linguis artibusque pro virili operam dedit, itemque S. Literarum lectioni atque meditationi diligenter incubuit integri biennii spatio, quo Basileæ commorabatur; anno autem 1544. quo peste correptus, divina vero gratia restitutus fuit, Basileam reliquit & Italiam petiit. Bononiæ inprimis acutiori philosophiæ se dedit, & merito doctissimis philosophis adnumeratus fuit. Medicinam etiam philosophiæ con-

Digitized by Google

conjunxit & ſtrenue excoluit, præſtantiſſimo uſus magiſtro D. *Luca Ghyno*, nec non ſtudiorum ſocio ſuaviſſimo, *Camillo Franchino*, poſtea medico Bononienſi experientiſſimo, amico Eraſti conſtantiſſimo. Summis in medicina apud Italos mactatus honoribus, exacto in Italia novennio, patriam ſuam reviſit, mox vero in aulam principum Hennebergenſium vocatus aliquandiu medicinam exercuit. Jam hic quædam adverſa, criminationes nempe, ac ſi Arianiſmo faveret, fuit paſſus, a quibus tamen, quantum licuit, ſeſe purgavit, inprimis in epiſtola ad anonymum ſcripta, quæ inter Goldaſti epiſtolas 70. adparet, in qua præter alia hæc ſcripſit: *ego a nullo errore & peccato in omni mea vita alienior fui quam ab iſto; & vix puto vivere illum hominem, qui minus me de articulo Trinitatis ſacroſanctæ unquam dubitarit.* Suſpicio autem iſta orta fuerat ex amicitia qualicunque, quam cum *Andrea Duditio*, epiſcopo Quinqueeccleſienſi, in Scepticiſmum, Arianiſmum atque Socinianiſmum prolapſo, fecerat. Poſtea a Friderico III. Electore Palatino, Heidelbergam vocatus & Medicinæ profeſſor, quin & principis archiater atque conſiliarius nominatus, etiamque ob peritiam theologicam colloquio in monaſterio Maulbrunnenſi a. 1564. inter theologos Palatinos atque Würtembergicos de præſentia corporis Chriſti in S. Cœna inſtituto adhibitus fuit. Hic dum ageret, alia ſed mitior controverſia ipſi contigit cum *Theod. Beza*, in cujus, in Italia adhuc commoratus, tam arctam venerat familiaritatem, ut ad eum ſæpius ſua non excudenda ſolum, ſed & examinanda miſerit. Accidit nempe, cum ſub Friderico III. eccleſia Heidelbergenſis inſtauraretur, ut etiam Eraſtus ſententiam rogatus diceret, idque opus egregie promoveret, qua vero occaſione cum primario illius eccleſiæ paſtore D. *Caſp. Oleviano* in diſceptationem venit, adeo vehementem, ut iſte Eraſtum Arianiſmi reum agere tentarit. Hoc cum innotuit Bezæ, ad utrumque fraternas dedit literas, quibus Eraſtum ut amicum, Olevianum ut ſuum olim diſcipulum graviter admonuit, &, ut contentio iſta amice & placide ſtatim componeretur, diligentem operam contulit. Dum autem hæc aguntur, adſeruntur Bezæ theſes Eraſti de excommunicatione manuſcriptæ, ad quas Beza quædam modeſte notavit, quæque notata Tigurinis atque ipſi

Eraſto

Eraſto legenda miſit. Ad hæc Eraſtus reſponſionem & ulteriorem defenſionem paravit, quam vero divulgare noluit, metuens, ne mutuæ amicitiæ vel paci eccleſiæ palatinæ jam ſtabilitæ aliquid damni adferret, ut adeo res inter Bezam atque Eraſtum amice peracta profunde ſepulta manſiſſet, niſi *Caſtelvetrus* quidam, qui Eraſti defuncti viduam duxerat, illud ſcriptum evulgaſſet, ſicque oleum igni adfudiſſet. Beza tunc veritati & famæ ſuæ conſulens ſuam de excommunicatione ſententiam argumentis adſtruxit tractatu de Excommunicatione atque presbyterio Genevæ a. 1590. impreſſo, ita tamen modeſte & temperanter, ut quam Eraſto vivo, quantumvis diſſentienti, amicitiam exhibuit, mortuo quoque præſtiterit. Interim Eraſtus quieti ſe traditurus, cum *Iſotta a Canonicis*, nobilis Bononienſis Catalani filia, quam Bononiæ duxerat, cujuſque ſoror *Lavinia* Heidelbergæ apud Iſottam educata *J. Jac. Grynæo*, Theologo, nupſerat, Baſileam a. 1580 ad adfinem iſtum profectus eſt, ubi d. 17. Jan. 1583. profeſſionem Ethices obtinuit, quam vero is in gratiam viduæ Sim. Grynæi, J. Jac. fratris, nonniſi vicario nomine & ea conditione accipere voluit, ut integrum ſalarium illi viduæ cederet. Sed eodem anno d. 31. Dec. 1583. mors miſeriarum quies ei obtigit. Vir erat Eraſtus pius, modeſtus, laborioſus, eruditus in theologia, medicina atque philoſophia; moribus integerrimus, quem non puduit, ſicubi erraſſet, humani lapſus culpam profiteri. In praxi medica ſatis fuit felix, hydropem, epilepſiam, podagram, alioſque morbos complures, quos Paracelſus dicitur incurabilium loco habuiſſe, haud raro curans. Aſtrologiam judiciariam, medicis haud paucis ominis & numinis loco cultam, ipſe nihili fecit, & ſolidis argumentis refutavit, uti & Paracelſicam medicinam, ſive novitate blandientem, ſive vanitate illudentem, acerrime eſt infectatus. Vti utrique academiæ, Baſilienſi & Heidelbergenſi, plurimum ſe debere adgnovit, ita illuſtre grati animi monumentum editurus, bonis literis, inprimis arti medicæ & veræ religioni fovendum ſtipendium legavit quatuor millium librarum ſortis capitalis, quam fidei academiæ Baſil. commiſit, ea lege, ut quantum ex reditibus annuis proventurum eſſet, cederet alendis quatuor ſtudioſis, duobus in academia

Baſil.

Digitized by Google

Basil. totidemque in Heidelbergensi, confessioni Basiliensi & Heidelbergensi addictis.

Scripta ejus sunt: *Aliquot dissertationes de cometis*, Bas. Disq. *de S. Cœna*, germ. 1562. 4. Herborn. 1619. 16. Epistola *de discrimine logicæ, dialecticæ & scientiæ demonstrativæ, & ratio formandorum syllogismorum*, Basil. 1565. *declaratio libri* Jac. Sheggii *de una persona & duabus naturis Christi*, Genev. 1566. *Defensio libelli* Hier. Savanarolæ *de astrologia divinatoria contra* Stathmionem, ib. 1569. *disputationes* 4. *contra* Paracelsum, *quibus tamen chymiam non omnino damnavit, sed, ubi illa utilis, laudibus extulit*, Basil. 1571. 1572. *Expositio quæstionis:* an aurum ex ignobilibus metallis conflari possit? Bas. 1572. 4. *Epistola de natura & materia lapidis fabulosi, qui in Palatinatu ad Rhenum reperitur*, ib. eod. 4. Πολεμος, *seu belli detestatio*, Col. 8. disp. *de occultis pharmacorum facultatibus*, & *de medicamentorum purgantium facultate*, Bas. 1574. 4. *Judicium de indicatione cometarum*, ib. 1578. 8. 1580. disp. *de lamiis & strigibus*, ib. *repetitio disputationis de lamiis seu strigibus*, ib. 1578. 8. Amberg. 1606. 8. disp. *de auro potabili*, Basil. 1578. 8. 1584. 8. *Epistolæ de astrologia divinatrice*, ib. 1580. *Anatome* 5. *librorum Comitis* Montani *de morbis*, Basil. 1581. 4. *Resp. ad* Archangeli Mercenarii *disputationem de putredine*, ib. 1583. 4. disp. *de anima facultatibus*, ib. eod. *An excommunicatio sit jure divino?* Pesclavii 1589. 4. *Opuscula medica varia*, Francof. 1590. fol. *Dissertationes & epistolæ medicinales*, Tig. 1595. disp. *de putredine*, Lipf. 1599. 4. *Examen de simplicibus, quæ ad compositionem* Theriacæ Andromachi *requiruntur*, &c. Lugd. 1607. 8. *de excommunicatione ecclesiastica scriptum, thesium de excommunicatione positarum defensio*, Pesclavii. *Consilia & epistolæ medicinales apud* Scholzium, Hanov. 1610. *Comm. in* 2. *hymnos* Prudentii *poetæ*, ib. 1613. 8.

IX. Philippus Scherb, Med. Doct. & Logices Professor d. 5. Febr. 1584. in locum Eratti surrogatus Ethicam docuit ad a. 1586. quo Altorfium Medicinam atque Logicam professurus discessit. V. Prof. Log. n. 13.

X. Joh. Wernerus Huber natus Basileæ a. 1554. patre gavisus est *Joh. Hubero*, Med. Doct. ejusdemque Prof. nec non civitatis archiatro, matre vero *Margaretha Wœlflin*. Hi parentes filium istum solicite educarunt, & literarum studio adhibuerunt. Optimo ingenio præditus citius prima literarum elementa percepit, &

& a. 1569. in ordinem philoſophiæ ſtudioſorum fuit adſcitus. Academiæ civis ad linguas, artes atque ſcientias animum adpulit, idque eo ſtudioſius, quod a patre ſciverat, magnum inde ad medicum ſtudium, cui deſtinatus erat, adjumentum profecturum. Abſoluto curriculo philoſophico, ſtudium medicum alacriter eſt adgreſſus, eoque contendit, ut paterna veſtigia legeret, &, ſi liceret, adſequeretur. In iſto autem ſtudio adeo feliciter erat progreſſus, ut votorum compos ſummos in medicina honores, jam dudum quidem prometitos, d. 9. Mart. 1584. publice acciperet. Jam peritia ſua medica, quam domi foriſque ſatis magnam ſibi comparaverat, ægrotis prodeſſe ſtuduit, multumque ipſo facto profuit. Adſcitus etiam d. 28. Sept. 1586. in tribum profeſſorum, Ethiceſque profeſſor deſignatus, ſtudioſæ juventutis commoda ſtudioſiſſime laboravit promovere, multumque promoviſſet, ſi per fata licuiſſet; jam enim d. 13. Febr. 1587. hac vita deceſſit, relicta uxore, *Chriſtiana Zuinger*, *Theodori*, Medici, filia, *Mart. Chmieleciò*, Medico, deinceps nupta, unicoque filiolo, *Theodoro*, qui a. 1602. ætatis 17. gurgite Rheni, matre ex ædibus adſpectante, inſciaque infelicem matrem commiſerante, abreptus animam exſpiravit.

XI. Henricus Justus, A. L. M. prius Poët. in Pædag. dein Logicæ profeſſor, in profeſſione Ethica Hubero ſucceſſor datus d. 6. Apr. 1587. munus orditus eſt d. 19. Jun. 1587. ipſo autem a. 1589. ad Organum Ariſt. translato, illud alii ceſſit. V. Prof. Pæd. Cl. II. n. 7.

XII. Thomas Coccius, Med. Doct. Poët. prius dein Logicæ profeſſor, Ethicus conſtituitur menſe Septembri 1589. ex peſte obiit d. 21. Mart. 1610. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 8.

XIII. Wolfgang Sattler, dictus *Weiſſenburger*, natus eſt d. 15. Maj. 1579. patre *Wolfgango Sattlero*, ſenatore, matre *Juditha Keller*. Luſtricos patres ſortitus eſt viros eximios, *Ulricum Coccium*, Theologum, & *Sam. Grynæum*, JC. Horum veſtigia lecturus, literis egregiam operam impendit, ita ut a. 1597. a *Jac. Zuingero*, agonotheta, prima philoſophicæ eruditionis laurea,

Digitized by Google

laurea, & d. 1. Apr. 1600. a *Mart. Chmielecio*, hierophante, doctoræ philosophicæ titulo ex merito fuerit condecoratus. Deinceps studio Juris incubuit ea solertia & felicitate, ut d. 5. Oct. 1609. a *Lud. Iselin*, præmiorum diribitore summos in utroque Jure honores obtineret. Ita ornatus studium mathematicum, ad quod ipsum genius jam dudum abripuerat, diligenter porro excoluit, & præclaros in eo fecit progressus, ut scripta ejus publica testantur. Hinc academiæ proceres, surgentis famæ ejus auspiciis commoti, a. 1610. Ethicæ cathedram ipsi commiserunt, quam vix conscensam deserere fuit coactus, d. 23. Dec. 1610. pestifera lue abreptus.

Libri ab ipso editi sunt: *Judicium de cometa; libellus de calendarum Januarii ominationibus; prognosticon astrologicum; topographia Montisbelligardi oppidi; dianœa astrologica;* itemque *Mercurius astrol.* disp. *de jure & privilegiis medicorum*, Basil. 1609. 4.

XIV. Joh. Rodolphus Burcard procreatus est Academiæ atque Reipublicæ d. 30. Nov. 1585. patre *Joh. Rodolpho Burcardo*, collybi præfecto & fori judic. adsessore, matre *Salomea Rüdin*, *Jacobi Rüdini*, Tribuni plebis, nepte. Amplissimæ familiæ suæ novum decus ex literis adlaturus diligenter iis incubuit, & eos in illis fecit progressus, ut jam an. 1599. ad lectiones publicas promoveretur. Sub signis philosophorum strenue militans linguas atque artes adsidue tractavit sibique notas reddidit. Acceptis consuetis diligentiæ præmiis, prima Laurea d. 26. Nov. 1601. & d. 24. Apr. 1604. Magistri artium dignitate, animum ad studium Juris adhibuit, illudque tam in patria quam in celeberrimis Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæque academiis summis vigiliis & laboribus excoluit. Cum vero jam omni virtutum ac scientiarum laude, inprimis exquisita ac singulari Juris utriusque cognitione & doctrina conspicuus esset, eamque suam eruditionem publice privatimque, præclarissimis editis speciminibus, magna cum laude comprobasset, ex decreto ordinis JC. amplissimi, *J. Jac. Fesch*, designator rite lectus, ei supremos in utroque Jure honores, Doctoræ nempe gradum ac privilegia, d. 12. Jun. 1610. publice contulit. Novum dein iter literarium instituit, ex quo ab academiæ antistitibus

ſtitibus revocatus & d. 17. Nov. 1611. Ethicæ profeſſor conſtitutus fuit. Hoc autem munere cum per 18. fere annos præclare eſſet perfunctus, a. 1628. ad graviſſimum Archigrammatei atque Scholarchæ munus fuit translatus, in quo adminiſtrando Reipublicæ, Eccleſiæ atque Academiæ plurimum profuit. A. 1654. in ſenatum, eumque ſecretiorem, qui eſt XIII. virorum, eſt adlectus, Scholarchæ quoque munere ei adſerto, biennio poſt ad tribunitiam dignitatem evectus, cui ſummo muneri ad ſupremum vitæ diem laudabiliter præfuit, juſtitiæ adſertor & vindex, iniquitatis hoſtis, S. Miniſterii verbique divini miniſtrorum amantiſſimus pariter & obſervantiſſimus, civibus facilis, blandus, benignus, cunctis gratiſſimus. Blandum ei contigit conjugium per annos XII. cum *Eſthera Battier*, dena prole fœcundum, filius, *Joh. Jacobus*, Reipublicæ Baſil. Conſul genuit *Joh. Rodolphum Burcard*, M. D. & Practices Profeſſorem. Catarrhis denique continuo recurrentibus obrutus animam exhalavit d. 28. Jan. 1657.

In ſcriptis ejus eſt *manipulus epigrammatum ludicrorum*, Baſ. 1676. 4.

XV. GEORGIUS SPOERLIN natus Baſileæ d. 29. Febr. 1598. patre *Sebaſtiano Spærlino*, conſule, matre *Mariæ Magdalena Hagenbach*, a teneris moribus literiſque optimis fuit adſuetus, & cum in academiæ theatrum eſſet productus, philoſophiæ tam acriter incubuit, ut d. 28. Febr. 1617. ſummo ſuo merito Magiſterii gradu fuerit ornatus. Dein medicæ arti ſeſe mancipavit, & in ea addiſcenda omnem poſuit diligentiam; præter magiſtros domeſticos & exteros audivit, Italiam inprimis & Galliam pervagatus; præſertim autem in re anatomica tantum profecit, ut vix ulli eſſet ſecundus. Quapropter, exhibitis ſingularis medicæ peritiæ ſpeciminibus, dignus fuit habitus, qui in publica panegyri d. 24. Maj. 1625. ſupremis in Medicina honoribus doctoralibus adficeretur. Sociam dein vitæ torique ſibi junxit *Margarethan Lichtenhan*, quod vero matrimonium ſpatio unius anni fuit terminatum, illa d. 2. Jan. 1629. in puerperio exſtincta. Anno, quo matrimonium celebravit, ſcilicet d. 3. Oct. 1628. academiæ uſibus adhibitus, & philoſophiæ moralis profeſſor eſt electus; ſed breviſſimo

tempore ſpei optimæ de ipſo conceptæ ei reſpondere licuit. Cum enim, ut vir erat pius, officioſus, blandus, graſſante peſte, præſenti conſilio rogantibus quibuſvis intrepidus adfuiſſet, ipſe contagium ſibi arceſſivit, quod ei 18. a decubitu die mortis cauſa exſtitit d. 5. Sept. 1629.

Edidit *theſaurum Rolandinum*, 8. diſſ. *de phthiſi*, Baſil. 1621.

XVI. JACOBUS BURCARD, J. V. D. ex Oratore factus eſt philoſophiæ practicæ profeſſor d. 23. Oct. 1629. hancque cathedram, ut & priorem, cum ſplendide diu ſatis exornaſſet, honorum atque laborum ſatur, in gratiam filii, *Lucæ Burcardi*, a. 1642. ea ſeſe abdicavit. V. Prof. Eloq. n. 14.

XVII. JOH. JACOBUS HAGENBACH, Med. Doct. ex cathedra Logica ad profeſſionem Ethicæ vocatus eſt d. 21. Oct. 1642. eamque laudabiliter geſſit ad 1. Jun. 1649. quo ex terrena in cœleſtem academiam fuit tranſlatus. V. Prof. Log. n. 19.

XVIII. MATTHIAS HARSCHER, Med. Doct. Poliater & Eloquentiæ profeſſor provinciam tradendæ Ethicæ accepit d. 8. Febr. 1650. ſed jam d. 17. Apr. 1651. his terris morte fuit ereptus. V. Prof. Eloq. n. 16.

XIX. REINHARDUS ISELIN in lucem prolatus eſt d. 10. Sept. 1608. patre *Germano Iſelin*, Reip. Baſ. prætore, matre vero *Sara Waſſerhun*. Literarum artiumque elementis intinctus ad academiam acceſſit a. 1624. in qua cum philoſophica ſtudia adſidue tractaſſet, & conſuetos honorum gradus conſcendiſſet, accepit autem primam philoſophicam lauream d. 10. Jun. 1626. ſecundam autem atque ſupremam, ſ. docturæ philoſ. tiaram, d. 1. Apr. 1628. ad Juriſprudentiæ ſacrarium contendit, viribuſque omnibus in arcana ejus penetralia intrare ſtuduit. Deinceps ſtudiorum, morum, linguarum gratia exteras regiones, & in iis academias celebriores, inviſit, per quadriennium in Gallia, Italia, Anglia, Belgio, Germania non ſine fructu & ſucceſſu verſatus. Baſileam reverſus privatis publiciſque ſpeciminibus

Digitized by Google

minibus eruditionem ſuam declaravit, & d. 19. Dec. 1637. nobiliſſimis in utroque Jure doctoratus honoribus & privilegiis, ceu ſplendidiſſimis & maxime proficuis laborum ſuorum præmiis publice fuit exornatus. Paulo poſt thori conſortem ſibi legit *Vrſulam Iſelin*, ſeptena utriuſque ſexus prole ex ipſo matrem factam. Ad obeundam profeſſionem Ethicæ d. 4. Dec. 1651. vocatus, nihil, quod officii ſui erat, fecit reliqui, omnibus prodeſſe, nemini nocere ſtudens, bonos amans, bonis adamatus; donec vitam piam probamque mors placida atque beata, prævia peſte atque apoplexia, fuit ſecuta, d. 27. Maj. 1668.

Edidit diſſ. *de Juramentis* a. 1637.

XX. SIMON BATTIER, J. V. D. Rhet. Prof. ſucceſſit Iſelio in cathedra Ethica d. 11. Sept. 1668. eamque occupavit, donec d. 11. Dec. 1677. ad profeſſionem Inſtit. Imp. vocaretur. V. Prof. Inſt. n. 19.

XXI. JACOBUS RUDIN, Phil. Doct. & Rhet. Prof. in Battierii locum ſuffectus d. 21. Dec. 1677. officio ſuo ſtrenue ſatisfecit; apoplectico autem inſultu d. 26. Mart. 1689. vitam efflavit. V. Prof. Rhet. n. 16.

XXII. BONIFACIUS FÆSCH, J. V. D. Rhetorices Profeſſor, electus eſt profeſſor Ethicæ d. 5. Jul. 1689. eique muneri diligenter vacavit, dum d. 17. Sept. 1695. in cathedram Inſtitutionum transferretur. V. Prof. Codicis n. 22.

XXIII. JOHANNES WETTSTEIN, J. V. D. Linguæ Græcæ profeſſor, Ethicam docere juſſus eſt d. 27. Sept. 1695. idque præſtitit ſolers ad d. 27. Febr. 1714. hinc ad profeſſionem Inſtitutionum & Juris publici avocatus. V. Prof. Pand. n. 11.

XXIV. EMANUEL ZÆSLIN, Med. Doct. Rhetoricæ profeſſor, Ethicæ profeſſor deſignatus d. 27. Febr. 1714. in hac cathedra ad mortem uſque ſuam ſedit, quæ contigerat a. 1727. V. Prof. Rhet. n. 21.

XXV. JACOBUS HERMANN, *Germani Hermanni*, Gymnaſiarchæ, & *Cathar. Richard* filius, lucem hanc primum adſpexit d. 16. Jul. 1678. Quamprimum per ætatem licuit, ludum literarium frequentavit, & ſub auſpiciis paternis pro ingenii felicitate atque adhibita adſiduitate celeres atque præſtantes fecit profectus. Ex gymnaſio a. 1693. cum bona gratia dimiſſus, philoſophum egit diligentem, linguis, artibus atque ſcientiis addiſcendis totus deditus. Cum autem ſingulares in virtutis ac bonarum literarum, inprimis philoſophiæ ſanioris ſtudio progreſſus feciſſet, eoſque variis ſpeciminibus abunde commonſtraſſet, præmiſſa, quæ cum adplauſu excepta fuerat, erudita oratione *de virtutibus & requiſitis bonorum philoſophorum*, d. 17. Sept. 1695. primam Lauream philoſophicam & d. 17. Nov. 1696. Magiſterii dignitatem ex merito accepit. Dehinc ſtudio theologico d. 20. Nov. 1696. nomen dedit, & in illud adeo diligenter incubuit, ut a. 1701. in numerum S. Miniſterii Candidatorum cum laude fuerit receptus. Genio autem ejus magis ad philoſophicas artes, præſertim ad mathematicas ſcientias, inclinante, has a juventute inprimis coluit, atque adultior factus ſtudioſiſſime excoluit, optima atque fidiſſima uſus inſtitutione *Jac. Bernoullii*, Prof. Math. celeberrimi, idque feliciſſimo cum ſucceſſu, adeo ut jam a. 1700. reſponſionem eruditiſſimam ad *Cl. Nieuwentyt* conſiderationes circa calculi differentialis principia ediderit, quo eruditionis ſuæ ſpecimine plurimorum Eruditorum, & in illis maxime ſummi viri, *Leibnitii*, favorem atque honorum teſtificationem meruit, cujus effectus erat, ut, auctore eodem Leibnitio, *academiæ ſcientiarum Berolinenſis* ſocius eo ipſo anno 1701. quo illa fuerat fundata, honorifice admodum fuerit denominatus. Eodem anno 1701. iter literarium in Germaniam, Belgium, Angliam atque Galliam inſtituit, ubique, quæ viſu fuerant digna, oculis luſtravit, & inprimis viros eruditos, philoſophos ſpeciatim atque mathematicos, inquiſivit, audivit, ſibique amicos conciliavit. Hoc itinere maximo cum fructu confecto, Baſileam ſalvus reverſus mathematica ſtudia ardentiſſime fuit proſecutus & orbi literato obſervationes ſuas ſubinde communicavit. Commendatus vero a patrono ſuo, Leibnitio, Patavii Matheſeos profeſſor conſtitutus, eandem ab a. 1707. ad a. 1713. magno auditorum commodo, famæque

Digitized by Google

famæque ſuæ incremento, publice docuit, interea a. 1708. *Inſtituti ſcientiarum Bononienſis* membrum adlectus. Hinc, iterum commendante Leibnitio, a Rege Boruſſiæ ad profeſſionem mathematicam Francofurti ad Oderam obeundam vocatus, eandem a. 1713. adgreſſus eſt, ibique Academiæ Rectoratum aliquoties cum laude geſſit. Anno autem 1724. ab Imperatore Moſcoviæ, *Petro* I. lautis conditionibus arceſſitus fuit, ut Petropoli ſublimiorem Matheſin profiteretur, quod vero officium demum imperante *Catharina* adiit, ab ea humaniſſime exceptus & ad deoſculationem manus, porrecto aureo nummo, admiſſus. Poſtea etiam adhibebatur, ut juveni Imperatori, *Petro* II. elementa mathematica traderet, in cujus principis gratiam ipſe *compendium Matheſeos* confecit. Tandem d. 12. Dec. 1727. ab exteris revocatus & a ſenatu acad. Baſil. Philoſophiæ moralis profeſſor ſorte fuit electus, quam provinciam, ægre dimiſſus & ab Imperatrice *Anna* honorario annuo quadringentorum florenorum (200. Roubles) adfectus, demum auſpicatus eſt d. 22. Maj. 1731. oratione ſolenni *de evidentia & certitudine principiorum doctrinæ moralis.* Sed febri acuta conflictatus jam d. 11. Jul. 1733. naturæ debitum perſolvit, anno hocce emortuali *Academiæ ſcientiarum Pariſienſis*, ipſo Rege adprobante, ſodalis nominatus.

Edidit *diſputationem theol.*, *qua probatur*, homini nihil magis curæ eſſe debere quam religionem. Baſ. 1700. *Reſponſ. ad Cl.* Nieuwentyt *conſiderationes ſecundas circa calculi differentialis principia*, ib. eod. *Specimen de requiſitis ad veram eloquentiam*, ib. 1706. *Phoronomiam*, Amſt. 1716. *compendium matheſeos in uſum majeſt. Imper. univerſæ Ruſſiæ*, Petrop. 1728. In Novis Liter. Helv. a. 1703. *animadverſiones circa noviſſimam regulam ducendi perpendiculares ad curvas ex focis deſcriptas, in ſecunda Medicinæ Mentis editione Lipſiæ facta publicata*, p. 33. In actis Eruditorum Lipſ. *Methodum inveniendi radios oſculi in curvis ex focis deſcriptis*, a. 1702. p. 501. *Demonſtrationem geminæ formulæ a Cel.* Joh. Bernoullio in actis Menſ. Apr. 1701. *pro multiſectione anguli, vel arcus circularis ſine demonſtratione exhibitæ*, a. 1703. p. 345. *diſquiſitionem dioptricam de curvatura radiorum Viſivorum, atmoſphæram trajicientium, cui accedit indefinita ſectio angularis ope Tangentium & Secantium*, a. 1706. M. Jun. p. 256. Diſſ. *de nova accelerationis lege, qua gravia verſus terram feruntur, ſuppoſitis motu diurno*

terra & vi gravitatis conſtanti, a. 1709. m. Sept. p. 404. diſquiſitionem *de vibrationibus chordarum tenſarum*, a. 1716. m. Aug. p 370. Solutionem problematis *de trajectoriis curvarum inveniendis*, a. 1717. m. Aug. p. 288. *Ejuſdem ſolutionis ſupplementum*, a. 1718. m. Jul. p. 335. *additamentum ad eaſdem ſchedas*, a. 1719. m. Febr. p. 68. *Methodum novam ſolvendi problemata, quæ circa figuras iſoperimetras aliaſque proponi poſſunt*, a. 1718. m. Jan. p. 32. *ſolutionem duorum problematum, quorum alterum integrale ex data quadam formula differentiali per areas circulares & hyperbolicas exhibendum poſtulat, alterum vero curvam projectorum in medio reſiſtendi conſtruendam proponit*, a. 1719 m. Aug. p. 351. & 1723. m. Apr. p. 171. In Giornale de Letterati d'Italia. *Metodo d'inveſtigare l'orbita de planeti nell'ipoteſi, che le forze centrali, o pure le gravita delli Steſſi Pianeti ſono in ragione reciproca de quadrati delle diſtanze, che i medeſimi tengono dal centro, à cui ſi dirigano le forze Steſſe.* T. II. p. 447. *Continuazione dell'Articolo* XV. del Tomo II. *overo Soluzione generale del problema inverſo delle forze centrali per via di methodo ivi propoſto e ſolo applicato ad un Ipoteſi particolare. Con l'agiunta d'una Soluzione d'un altro problema piu generale toccante le forze requiſite ad un mobile per deſcrivere in un mezzo fluido e reſiſtente (qual ſi ſia la legge delle reſiſtenze:) una data curva*, T. V. p. 312. *Breve aggiunta agli articoli* XV. e XVI. del II. e V. Tomo T. 6. p. 441. *Rifleſſioni Geometriche in difeſa dell'Artic.* XVI. del T. V. *del Giornale intorno i problemi delle forze centrali nel moto e nel pieno, contra l'impugnazioni fattene nell'Art.* XI. del T. VI. T. 7. p. 173. *Modum facilem determinandi leges vis centralis*, T. 13. p. 221. In Miſcellaneis Berolinenſibus: Diſſ. qua explicatur *methodus generalis punctа ſtationum in orbitis planetariis determinandi*, T. 1. p. 197. Obſervationes in ſchediaſma Rollii *de conſtructione æquationum. De quantitate virium recte æſtimanda, & de motu corporum in mediis reſiſtentibus ſchediaſma. Meditationes analyticas de motu, ad phoronomiam ſuam.* In commentariis academiæ Scientiarum Imper. Petropolitanæ. T. 1. *de menſura virium corporum; de problemate Kepleriano de calculo integrali; de Epicycloidibus Sphæricis.* T. II. *de conſtructione cujuſdam æquationis differentialis primi gradus: theorium generalem motuum; de conſtructione æquationis differentialium.* T. III. *de oſcillatione pendulorum compoſitorum.* In Journal Litteraire occurrit: *Epiſtola* Joh. Keillii *quædam plagia recenſens.* In exercitationibus ſubceſivis Francofurtenſibus. T. I. S. 1. & 11. ſuppreſſo tamen auctoris nomine: Exercitat. *de Mechanica gravitatis cauſa nondum inventa. De motu gravium. De motu chordarum, quibus inſtrumenta muſica inſtrui*

ſtrui ſolent, ac ſtabili ſonorum menſura. De legibus virium centralium, quibus planetæ in orbitis ſuis urgentur; & T. II. S. I. *de quantitate virium recte æſtimanda.* Elementis etiam Geometricis Ser. Burgundiæ ducis a Guiſnæo ex Gallico ſermone in Latinum translatis, ad uſum ſeminarii Patavini, adjecit *quatuor propoſitiones ad trigonometriam apprime utiles.* Ejus etiam *epiſtolæ* ad Victorium Franciſcum Stancarium, in Bononienſi Archigymnaſio analyticæ lectorem, ejuſdem ſchedis mathematicis ſunt adnexæ. *Methode géometrique & générale de determiner le Diametre de l'Arc en-Ciel, quelque hypotheſe de la Refraction qu'on ſupoſe dans l'eau &c. & le diametre de l'arc-en ciel étant donné par obſervation, en trouver la raiſon de la Refraction*, Nouvell. de la Republiq. des Lettr. Menſ. Jun. 1704. p. 658.

XXVI. ANDREAS WEISS, dubium, birretone an toga præſtantior, lucem vidit primum d. 13. Oct. 1713. parentes nactus *Emanuelem Weiſs*, J. V. L. & CC. virum, & *Annam Mariam Fæſch, Sebaſtiani* JC. filiam. Ab his ad mores bonos atque literas præſtantiores educatus, ſcopo atque labori tam parentum quam præceptorum ex aſſe reſpondit, & in gremium academiæ ſuſceptus philoſophicis artibus atque ſcientiis ſedulus incubuit, literis, quæ ab humanitate atque elegantia nomen gerunt, inprimis delectatus. Ita magiſtrorum gratiam promeritus digna laboris atque eruditionis præmia tulit, ſcilicet primam Lauream d. 3. Jun. 1727. a *Joh. Bernoulli*, Math. Prof. in iſta promotione publica oratione probavit, *ingrato homine terrant nihil pejus alere*; dignitatem autem magiſtralem d. 10. Jun. 1728. a *Sam. Battier* Ling. Gr. Prof. ubi ſententiam ſuam dixit *de lege Thebanorum, qua, ſicut Ariſtoteles docet, ab adminiſtratione Reipublicæ arcebatur is, qui per decem annos a mercatura facienda non abſtinuiſſet.* Artibus hiſce politus novum ſtudium eſt adgreſſus, nempe utriuſque Juris, quod cum philoſophico diligenter tractavit & egregiam ejus cognitionem ſibi comparavit, antiquitatum atque legum Romanarum, nec non modernorum ſtatutorum ſtudioſiſſimus. Prudentiæ viam terebat adſiduus, & ſtudia ſua ad ſalutem publicam, communem omnibus bonis finem, direxit unice, & cum ſibi cum Cicerone perſuaſum habuit, quod præcipuum ſocietatis humanæ vinculum ſit ratio & oratio, ideo cum juriſprudentiæ ſtudio ſedulo conjunxit eloquentiam virilem atque exer-

citatam, ut, quæ didiciſſet, aliis quoque decenter & eleganter, clare atque ad perſuadendum apte proponeret, qua in re lenis adpellatio literarum, ſermoniſque, qua natura eum ornavit, ſuavitas ipſum multum adjuvit. Sic varia doctrina ornatus d. 16. Mart. 1734. Philoſophiæ moralis atque Juris naturæ & gentium profeſſor fuit electus, quam provinciam eodem anno d. 20. Maj. publice adiit oratione ſollemni, qua *de uſu librorum Novi Fœderis in philoſophia practica* diſſeruit. Triennio abhinc fere elapſo, n. d. 6. Jun. 1737. J. V. D. ſolenniter creatus fuit atque proclamatus. Antea autem, indulgentibus academiæ proceribus, nempe a. 1735. iter literarium inſtituit per Galliam, Belgium atque Germaniam, ex quo multa doctrina atque experientia locupletatus rediit. In adminiſtranda autem profeſſione, nec non Bibliotheca publica, cujus cura ei a. 1746. fuerat demandata, quum magna fide, diligentia atque dexteritate, nec non eximio cum fructu fuiſſet verſatus, profeſſionem Juris publici & privati a curatoribus academiæ Lugduno Batavæ oblatam a. 1747. accepit, & præclara nominis ſui fama atque auditorum, qui magno numero ad ipſum adfluebant, utilitate obiit; hujus Academiæ Rectoratum a. 1753. laudabiliter geſſit, eodemque anno Baſileæ CC vir fuit electus. Anno vero 1759. alia, multo honore ſociata, ſparta gubernanda ei fuit commiſſa, ſtudiis nempe atque moribus Celſiſſ. ac Sereniſſ. Arauſionis & Naſſaviæ principis, *Wilhelmi* V. fuit præfectus, ſervato ordine atque titulo priſtino Profeſſoris; quo officio, ut valde honorifico ita graviſſimo, integro ſexennio fuit ita perfunctus, ut omnium plauſus, præcipue vero Celſiſſimi hujus Principis gratiam atque honorum teſtificationem, referret. Poſtea ad Academiam Lugduno Batavam reverſus priſtinos labores continuavit, & d. 15. Apr. 1766. ſolennem orationem habuit, qua Principi ſuo Wilhelmo faſces Imperii feliciter ſumtos Academiæ nomine gratulatus eique bene precatus eſt. Patriæ tandem amore ductus dimiſſionem petiit & cum ampliſſimo honorario annuo 6000. librarum gallicarum obtinuit. Suis reſtitutus a. 1773. ad ſenatoriam dignitatem fuit evectus, cui ut & aliis muneribus perfecta fide, gravitate atque prudentia adhuc præeſt.

Scripta

Scripta ejus edita sunt: *theses Logicæ* a. 1731. *Specimen Rhetoricum* a. 1733. *theses morales* a. 1734. Disp. *de usu æquitatis in interpretatione legum*, a. 1737. Disp. *de Jure Victoriæ*, a. 1738. disp. *de vera gloria*, a. 1739. *de opere pandectarum, & ejus interpretandi ratione quædam generaliora &c. quibus subiiciuntur capita nonnulla Jurisprudentiæ eccles.* 1746. *Oratio ad principem Arausion. & Nassav.* Wilhelmum V. 1766. Lugd. Bat. fol.

XXVII. Joh. Henricus Falckner, J. V. D. Reip. Syndicus, professionem Ethicam d. 13. Maj. 1749. sorti to nactus eandem diligenter curavit, donec d. 29. Apr. 1760. ad ornandam cathedram Codicis & Juris feudalis vocaretur. V. Prof. Cod. n. 26.

XXVIII. Joh. Henricus Ryhiner, Med. Doct. & Societatis Physico Medicæ Basil. sodalis, præclaris parentibus editus est d. 20. Mart. 1732. patre *Emanuele Ryhiner*, S. Theol. Doct. ac Locc. comm. ac Controv. Theol. Prof. matre vero *Anna Maria Zæslin.* Pii parentes filium hunc, de quo propter maturam in tenella ætate indolem optima quæque ominari licebat, sollicite educarunt & post religionem mature literis adhibuerunt. Procedente ætate in academia patria, omnis eruditionis instructissima officina, ingenii cultum capere, & humanitatis elementis operari jubetur. Is vero non primos adolescentiæ annos ignavia & otio perdere, sed iis artibus arripiendis, quæ sublimius studium deinceps tractandum egregie juvarent, quasque postea magno Academiæ emolumento exserere posset, impendere gaudebat. Profectibus, quos in philosophia fecerat, demonstratis atque a magistris adprobatis, sapientissimus ordo ei publica probatæ eruditionis testimonia conferre decrevit, nempe primam Lauream, quam ei tradidit *Ant. Birr*, Ling. Gr. Prof. d. 6. Jun. 1748. declamatione candidati præmissa, qua probavit, *cum christiana pietate conspirare solidæ eruditionis studium*; doctoris autem philosophici dignitatem ei tribuit dictus brabeuta, *Jac. Christoph. Ramspeck*, Eloq. Prof. d. 26. Maj. 1749. habita prius oratione, qua adseruit, *in republica bene constituta comœdos non esse tolerandos.* His ita feliciter jactis fundamentis, philosophiæ cognitioni Medicinæ studium mature adjunxit, inque illud industriam atque solertiam

ſuam ſtrenue poſuit. Non tantum autem Baſileæ ſed & apud exteros, præcipue in Germania, viros in arte medica experientiſſimos audivit atque conſuluit, tandemque d. 5. Apr. 1754. Medicinæ Doctor ſolenniter fuit renunciatus, poſtmodum facultatis medicæ Baſil. adſeſſor ſuſceptus. Favente dein ſorte d. 3. Oct. 1760. Philoſophiæ moralis & Juris naturæ & gentium profeſſor denominatus munus ſibi commiſſum adiit d. 23. Dec. 1760. oratione ſolenni *de felicitate*. Etiam a. 1773. Bibliothecarius ordinarius conſtitutus hoc munere ut illo omni diligentia fungitur ac fide.

Edidit diſſ. de *febri ſemitertiana*. a. 1754. *theſes philoſophi as* a. 1760. in Actis Helv. Phyſ. Medicis V. 5. 1762. *analyſin ſeminum Caffeæ*.

PROFESSORES LINGUÆ HEBRÆÆ.

I. Wilhelmus Textoris, S. Theol. Doct. ac Prof. primus eſt, qui Baſileæ linguam Hebræam publice docuit, ejuſque Profeſſor dicitur fuiſſe a. 1462. de eo hæc habet matricula Theol. *M. Wilhelmus Textoris magnæ fuit honeſtatis & reverentiæ in humanis, & in Aquenſi eccleſia Canonicus adhuc* a. 1500. V. Prof. Theol. n. 3.

II. Conradus Pellicanus, Rubeaquenſis, ordinis minoritarum Guardianus, literas Hebræas Baſileæ publico nomine docuit ab a. 1524. uſque ad 1526. quo Tigurum ad eaſdem ut & græcas literas docendas abiit. V. Prof. Theol. n. 19.

III. Sebastianus Munster, Ingelheimenſis, A. L. M. cum Sim. Grynæo Heidelberga a. 1529. Baſileam vocatus, hebræas literas tradidit, donec d. 23. Maj. 1552. ex peſte mortem obiret. V. Prof. V. T. n. 3.

IV. Simon Sulcer, Bernas, Phil. Doct. profeſſionem hebraicam cum paſtoratu Petrino adminiſtravit ab a. 1552. & licet a. 1553. Sacrorum Antiſtes & a. 1554. N. T. Profeſſor conſtitueretur, tamen vir diligentiſſimus hebraicam cathedram retinuit, donec non tam laboribus

boribus preſſus, quam de digno ſucceſſore certus, a. 1556. ab ea deceſſit. V. Prof. V. T. n. 5.

V. SEBASTIANUS LEPUSCULUS, A. L. M. & paſtor apud Franciſcanos itemque Archidiaconus, cum munere ſacro junxit cathedram hebræam ab a. 1556. Ipſi autem ætate atque laboribus fracto a. 1573. *Johannes Tenantius* vicarius fuit datus; iſto autem alio profecto, a. 1575. rude donatus profeſſione abiit; fato autem conceſſit d. 5. Sept. 1576. V. Prof. Log. n. 4.

VI. SIMON SULCER, S. Theol. Doct. & ſacrorum Antiſtes, abdicata profeſſione N. T. cathedram hebræam iterum ambiit & d. 18. Febr. 1578. obtinuit; quadriennio autem ante ejus obitum, qui contigit d. 22. Jun. 1585. rude profeſſionis hebraicæ, ſervato antiſtitis officio, fuit donatus. V. Prof. V. T. n. 5.

VII. JOHANNES BRANDMULLER, S. Theol. Doct. & paſtor ad D. Theod. d. 24. Febr. 1581. Linguæ Hebrææ profeſſor denominatus, hanc cathedram ut & ſuggeſtum ſacrum conſcendit, dum d. 22. Sept. 1586. Profeſſor V. T. conſtitueretur. V. Prof. V. T. n. 8.

VIII. ISRAEL RITTER, Baſilienſis, natus Luciſvalli, oppido agri Baſil. loco quidem ignobili, ex doctrina tamen ſatis nobilis evaſit, & tam eccleſiæ quam academiæ haud parum profuit. Literarum amore captus Baſileam contendit & a. 1563. nomen inter ſtudioſos philoſophiæ profeſſus eſt. Cum autem in palæſtra literaria Palladiſque arena ſe ſtrenuum atque induſtrium exhibuit, atque liberalium artium cognitioni morum integritatem modeſtiamque conjunxit, dignus fuit habitus, qui prima Laurea tanquam virtutis ac eruditionis inſigni d. 28. Oct. 1565. publice redimiretur, prius habita oratione in quæſtionem: *Vtrum oratori bono adfectus in auditorum animis permovere conveniat, nec ne?* Hæc vero ſtudia philoſophica ulterius profecutus & ſublimiores harum artium gradus adſecutus, etiam ſecundam lauream reportavit d. 13. Jul. 1567. & ſpeciminis loco declamationem habuit in quæſtionem: *An, quæ de amazonibus literarum monumentis poſteritati conſecrata ſunt, profabula an hiſtoria potius habenda ſint?* Ab iſtis philoſophicis

Digitized by Google

phicis ſtudiis ad theologica tranſiit, nec minorem in iis tractandis adhibuit diligentiam. Citius progreſſus jam a. 1570. paſtor cœtus Lauffelfingenſis in agro Baſil. conſtituebatur. Hic cum ſingularem fidem, eruditionem atque adſiduitatem probaſſet, ad ſublimiora aſcendit & a. 1583. paſtoratum Leonhardinum ſuſcepit. Iſta autem ejus eruditio jam propius perſpecta ipſi etiam viam munivit ad profeſſionem hebræam, quæ ei delata fuit d. 22. Sept. 1586. quamque cum paſtoratu diligentiſſime obiit. Ceterum, teſte *Jac. Grynæo*, vir fuit fervente zelo pro adſtruenda veritate, & *Joh. Gualterius* in Chron. Eccleſ. l. 2. p. 1250. eum inter illuſtres theologos refert. Diu autem academiæ prodeſſe haud poterat, ut qui jam d. 14. Febr. 1588. vita exceſſit.

IX. JOHANNES BUXTORFF, pater gentis Baſileæ adhuc florentis & literaturæ hebrææ per univerſam Europam reſtaurator eximius, originem duxit ex Weſtphaliæ oppido Camena, ubi in lucem editus fuit d. 25. Dec. 1564. a patre *Johanne Buxtorff*, eccleſiæ patriæ antiſtite, *Joachimi* ſ. *Severini* filio, *Richardi*, conſulis Camenſis, nepote, qui majores vulgo *Bockstrop* ſ. *Boxtrop*, adpellari ſolebant, unde inſignia Buxtorffiana, hircum referentia, derivanda. Mater autem Noſtro fuit *Maria Volmaria*. Parentes puerum optimæ ſpei atque indolis mature miſerunt in ludum literarium Hammonenſem & Tremonenſem, ubi artium & linguarum prima tyrocinia fecit. Hinc ob patris obitum domum quidem reverſus, haud diu tamen ibi commoratus eſt, ſed mox, ſtudia literarum proſecuturus, prius Marpurgum, inde Herbornam abiit, & *Olevianum* atque *Piſcatorem*, ambos Theologiam tradentes, frequenter audivit; linguæ vero hebrææ fundamenta jecit ſub Piſcatoris auſpiciis, eaſque literas tanta adſiduitate fuit proſecutus, ut non tantum æquales ſuos longe anteverterit, ſed & ipſum magiſtrum in transferendis libris ſacris multum juvarit. Herborna relicta, cum ab artium & linguarum principum adparatu ſatis eſſet inſtructus, uberioris ingenii cultus capiendi ergo Heidelbergam ſe contulit, mox vero a. 1588. *Jac. Grynæum* atque *Hoſpinianum* auditurus Baſileam petiit; dein Tigurum profectus *Henr. Bullingerum*, & Genevæ poſtea *Theod. Bezam* adiit, eorumque inſtitutionem percepit. Baſileam reverſus Jac. Grynæus,

Digitized by Google

Grynæus, perſpecta in juvene judicii acrimonia, indefeſſo ſtudio, morum probitate, omnibus modis, ut hic retineretur, laboravit, eumque *Leoni Curioni* commendavit, qui ipſum menſa & hoſpitio liberali excepit, Buxtorffius vero eidem operam ſuam in informandis liberis ejus condixit atque præſtitit. Ceterum ut omnibus eruditis cunctiſque bonis fuerat amatus, ita præſertim Grynæo cariſſimus exſtitit atque magni æſtimatus, qui in aliis adfectus ſui erga eum datis argumentis biblia hebraica Veneta poſuit, quibus eum bono omine donavit. Adſumto dein in publica panegyri die 6. Aug. 1590. Magiſtri artium titulo, eodem anno linguæ hebrææ profeſſionem, quam jam ab a. 1588. vicario nomine laudabiliter adminiſtraverat, omnium votis non tam quæſitam quam oblatam obtinuit; deinceps etiam præter alia munia acad. gymnaſii cura ei fuit demandata, quibus ſingulis officiis, præſertim profeſſioni, ingenti ſtudiorum commodo & immortali nominis ſui fama præfuit. Menſe Auguſto 1592. iter in patriam inſtituit, ex quo poſt trimeſtre ſpatium exactum ſalvus Baſileam rediit, vices autem ejus interea ſuſtinuerat *Jac. Brandmuller*, tum Diaconus ad S. Claræ, antea paſtor Derwilenſis. Amici Buxtorffii vitam ejus jucundiorem eiuſque habitationem ſibi certiorem reddituri, jucundam thori conſortem ipſi proſpexerunt, *Margaretham Curionem*, *Leonis*, patroni priſtini, filiam, & *Cœlii Secundi*, Profeſſoris, neptem, quam connubio ſibi junxit a. 1592. & quæ ipſi XI. liberos peperit, quinque filios & ſex filias, tres filii, *Leon*, *Chananeel* & *Cœlius Auguſtinus* uno partu nati d. 15. Febr. 1596. in S. Templo baptizati fuere; ex filiabus *Maria*, nata 21. Apr. 1594. & nupta *Sam. Grynæo*, Paſtori Leonh. ob. d. 1. Maj. 1666. *Lucia* nata 4. Aug. 1597. nupta *Joh. Lud. Kœnig*, typographo, ob. d. 11. Oct. 1634. *Magdalena* nata 17. Jun. 1604. nupta *Theod. Zuingero*, S. Theol. Doct. ac Prof. nec non Antiſtiti ob. 13. Mart 1670. ex filiis præcipue memorandus *Johannes*, S. Theol. Doct. Linguæ hebr. ſimul & Theol. Prof. de quo ſuo loco plura ſunt adlata. Buxtorffius curis domeſticis ſi non ſolutus certe levatus omne jam tempus poſuit in literas hebraicas linguaſque hebrææ adfines, & indefeſſo ſtudio omnes Judæorum libros evolvit, Rabbinorum in Scripturam S. commentarios, philoſophos, hiſtoricos, medicos

medicos omnes, quos reperire potuit, legit atque rélegit, & ſtupendum linguarum orientalium, antiquitatum judaicarum, philologiæ atque criticæ ſacræ theſaurum ſibi comparavit, ita ut ipſimet Judæi in rebus dubiis, quoad legis cerimonias, ad ipſum confugerent, ac inſtar oraculi eum conſulerent. Libros rabbinicos, tum adhuc rariores, per amicos chriſtianos, plures vero per ipſos Judæos ex tota Europa magnis ſumtibus collegit, quæ bibliotheca a filio atque nepote inſigniter aucta tandem a. 1705. pretio mille thalerorum bibliothecæ academicæ adſerta fuit. Nec tantum mortuos ſed & vivos ſuper myſteriis rabbinicis diligenter conſuluit Judæos, plurimum cum illis converſatus. Etiam cum Biblia hebraica imprimenda curaret, permittente civitatis Magiſtratu, eruditum Judæum cum uxore atque liberis domi ſuæ aluit, qui correctoris officio fungeretur; quæ vero res ei haud exiguam exhibuit moleſtiam. Cum enim, ut Mſ. perhibent *Iſeliana*, menſe Junio 1619. hujus Judæi, *Abrahami*, uxor puerum eſſet enixa, paterque *Georgium Martinum Glæſerum*, ſupremum Magiſtratus miniſtrum, ad quem juriſdictio in cauſis Judæorum pertinet, rogaſſet, ut aliquot popularibus ſuis, quibus circumciſionis pueri teſtibus uteretur, liberum in civitatem aditum concedat, hocque conceſſo circumciſio præſentibus illis Judæis, itemque Buxtorffio ejuſque genero, Kœnigio, nec non duobus aliis civibus, peracta fuiſſet, res ad civitatis ſenatum fuit delata, qui d. 16. Jun. 1619. Buxtorffio atque Kœnigio, cuique multatitiam pecuniam centum florenorum indixit, Judæum Abrahamum pœna quadringentorum florenorum adfecit, & Glæſerum ut & duos reliquos cives, qui actui huic circumciſionis intererant, in carcerem conjici juſſit, ex quo tertio poſt die liberati fuerunt. Sed hæc amara dulcia plura prægreſſa fuerunt atque ſecuta. Plura tacentes, tantum publicos quoſdam atque majores honores, quibus adfectus fuerat, commemorabimus. A. 1610. a ſenatu acad. Baſil. profeſſio theologica ei fuit oblata, quam vero non accepit. Anno ſequente 1611. curatores academiæ Salmuriensis eum ad profeſſionem hebræam obeundam quam humaniſſime invitarunt, ſed & hanc vocationem recuſavit, ut & eam, quam academia Lugduno Batava aliquot annis antea tentaverat. Qua viri incomparabilis pariter & æquiſſi-

æquiſſimi pietate motus ampliſſimus magiſtratus Baſil. pro ſua in bonas literas & academiam munificentia honorarium profeſſorium ei liberaliter ſatis auxit, ſibique eum & hoc modo magis devincire ſtuduit. Inter hos labores muneris ordinarii atque lucubrationum continuarum, quarum plurimi fructus infra nominandi in publicum emanarunt, etiam frequentiſſimum habuit cum viris eruditiſſimis literarum commercium, *Phil. Mornæo*, *Joſ. Scaligero*, *Iſ. Caſaubono*, *Dan. Heinſio*, *Franc. Donato*, *Baudio*, aliiſque pluribus. Etiam Judæi per Germaniam, Poloniam, Moraviam, Bohemiam, Italiam diſperſi creberrimas ad eum literas dederunt, ad quas ipſe reſpondit & intricatiſſimas ſæpe in iis propoſitas quæſtiones erudite diſſolvit, quemadmodum plures epiſtolarum centuriæ adhuc in Bibliotheca publica Baſil. ſervatæ fidem faciunt. Cum doctrina autem eximia non minorem conjunxit pietatem, probe ſciens, illam ſine hac non ſolum nihil prodeſſe, ſed & multum obeſſe. E virtutum autem ejus choro maxime refulſerunt pietas in Deum, humilitas & candor, nec non erga pauperes liberalitas, & ſtudioſorum commoda promovendi nobilis ardor. Tandem optatam contigit metam & d. 13. Sept. 1629. virtute beatus beatiſſimam adiit vitam, ex peſte defunctus.

Scripta ejus ſunt: *Manuale hebraicum*, Baſ 1602. 1612. 1613. 1619. 1630. 1631. 12. &c. editio 6. caſtigatior cura *Job.* filii, Baſ. 1658. 12. *Synagoga Judaica*, germ. Baſil. 1603. &c. recuſa Francof. 1729. c. f. 8. in latinum converſa per *Hermannum Germbergium*, correctorem Corbacenſem, Hanov. 1604. dein per *Dav. Clericum*, revidentibus tum Buxtorffio patre quam filio, Baſil. 1641. 1661. cura *J. Jac Buxtorffii* 1680. 1712. 8. belgice translata Amſterd. 1650. 1694. 8. c. f. *Epiſtolarum hebraicarum decas*, hebr. & lat. Baſ. 1603. 8. *Epitome Grammaticæ hebr.* Baſ. 1605. 1613. 1616. 1629. 1640. editio 7. ib. cura Joh. filii *cum conſilio univerſali de ſtudio hebr. rite inſtituendo & promovendo*, Baſil. 1658 8. 1669. 1710. 8. *nec non Amſtelodami cum notis & appendice* Chriſt. Schotani *ad pleniorem Etymologiæ inſtructionem*, *item Ultrajecti* 1672. & 1675. 8. per Joh. Leuſdenium. *Epitome radicum hebr. & chald.* Baſ 1607. 8. *Lexicon hebr. & chald. cum brevi lexico rabbin. philoſ.* Baſ. 1607. &c. Editio 4. 1631. 1663. 1667. 1676. 1698. &c. 1735. item Londini cum abbreviaturis hebr. 1646. 8. Franeq. & Amſtel. 1654. 8. *Theſaurus grammaticæ hebr.* Baſ. 1609. 8. 1615.

Digitized by Google

8. 1615. 8. 1619. 1629. 1651. Amſtel. 1650. 8. editioni 6tæ Baſil. 1663. 8. per Joh. fil. curatæ additi ſunt indices, nec non *exercitatio de proſodia metrica & lectione hebræo germanica. Inſtitutio epiſtolaris hebr. cum epiſtolarum hebr. centuria*, Baſ. 1610. 8. *appendice epiſtolarum Maimonidis* &c. aucta per Joh. fil. ib. 1629. 8. *de abbreviaturis hebr. recenſio operis talmudici & bibliotheca rabbin.* ibid. 1613. 8. 1640. 8. Franeq. 1696. Herborn. 1708. 8. *Grammatica chaldaica & ſyriaca*, Baſ. 1615. 8. 1650. 8. 1685. 8. *Biblia hebraica, cum paraphraſi chald. & commentariis Rabbinorum* 2. T. fol. Baſ. 1618. *Tiberias* ſ. *Commentarius Maſorethicus*, Baſ. 1620. fol. & 4. 1665. 4. *Concordantiarum hebr.* opus adfectum & ad vocem אדני confectum reliquit, a filio *Johanne* perfectum ac editum Baſil. 1632. fol. *Epiſtola ad* Matthiam Martinium *ſcripta* d. 4. Sept. 1606. *& edita in Bibl. Brem.* cl. 4 F. 3. p. 598. In hac epiſtola, ut & alicubi in ſynagoga Jud. commemorat Buxtorffius, ſe librum compoſuiſſe ac prope abſolviſſe, adhuc vero ſuppreſſiſſe, qui contineat cauſas odii Judæorum in omnes gentes ac mundi populos, omnium autem maxime in Chriſtianos: initium, progreſſum, continuationem, blaſphemias duras, convitia in Chriſtum, Chriſtianorum magiſtratum, Chriſtianos omnes, imprecationes & ſimilia, ex ipſiſſimis Judæorum, non baptizatorum, ſed circumciſorum ſaltem libris collecta; hic autem liber hactenus ſuppreſſus manſit.

X. JOHANNES BUXTORFF, S. Theol. Doct. ejuſdemque Profeſſor, ex Diacono Petrino, loco Patris defuncti, d. 4. Maj. 1630. electus fuit linguæ hebrææ profeſſor, iſtamque linguam optima fide docuit, donec in cœleſtem academiam vocatus abiit die 17. Aug. 1664. V. Prof. V. T. n. 13.

Scripſit & edidit præter ibi commemorata *patris manuale hebr. cum conſilio de inſtituendo ſtudio hebr.* Baſ. 1631. 8. *Patris ſui Synagogam Jud.* ib. 1641. 1661. 8. *Patris epitomen Grammaticæ hebr. cum conſilio ſupra dicto*, ib. 1658. 8. *Ejuſdem theſaurum Grammaticæ hebr.* ib. 1663. 8. *Inſtitutiones epiſt. Patris auctiores*, 1629. 8. *Epiſtolam de recte inſtituendo ſtudio rabbin.* Muſ. Helv. P. 9. p. 122. *Manuale Concordant. Ebræo Bibl.* 4. ſ. l. & a. *Diatribam de compendioſa & facili linguam hebræam & chaldæam addiſcendi ratione*, Baſil. 1637. 8. ea adjuncta eſt *Mercurio quadrilingui C. Scioppii*, it. ib. 1638. 8. *Epiſtolam ad* Theoph. Spizelium, *præfixam huius libro, cui titulus:* Elevatio relationis Montezinianæ de repertis in America tribubus Iſraëlis, *Baſil. 1661. 8.* Collegit & V. L. ex Codd. hebr. MS. & impreſſis

preſſis, de quibus ſingulis judicium ſuum adjecit, quod vero opus lucem hactenus non vidit. V. Walton. in app. ad Biblia Polygl. Prolegom. VIII. S. 22. p. 50. & Catalecta Buxtorff. p. 448.

XI. JOH. JACOBUS BUXTORFF ſeptima fuit proles *Joh. Buxtorffii*, S. Theol. Doct. Ling. Hebr. ac Theol. Prof. quam is ſuſcepit ex quarta conjuge, *Eliſabetha Lützelmann*, *Leonhardi*, Tribuni plebis, filia. Ab his parentibus d. 4. Sept. 1645. procreatus ob vividum in eo animadverſum ingenium erectamque indolem tempeſtive literis dicatus fuit atque adhibitus. Educationis partem & quidem præcipuam pater ipſe ſuſcepit, partem vero idoneis magiſtris delegavit. Præcipua cura eo erat directa, ut tenello pueri pectori vera pietas, in qua omnis religionis vis poſita eſt, inſtillaretur: dein ut puer latinarum atque græcarum literarum primis elementis, nec non linguæ S. rudimentis imbueretur; hæc etiam fundamenta ita feliciter fuere poſita, ut puer ſeptennis & octennis hebrææ linguæ jam tantam peritiam habuerit, ut omnibus fuerit admirationi; unde etiam derivandum, quod poſtea illi per reliquum vitæ tempus hebraica lingua haud multo minus ac vernacula familiaris exſtiterit; nam *qui diſcit puer, ſimilis eſt atramento ſcripto in charta nova; qui vero diſcit ſenex, ſimilis eſt atramento ſcripto in charta veteri vel bibula*, dicunt Rabbini; *a teneris adſueſcere, multum eſt.* Factum hinc etiam, ut puer jam ad conſuetudinem virorum admiſſus, non ſolum morum facilitatem & ſuavitatem ſed & virilem prudentiam imbiberit; adeo ut *Lucas Gernlerus*, Venerabilis Eccleſiarum Baſ. Antiſtes, de illo ad amicum loquens dixerit: *ſe in hoc juvene ſenilem prudentiam admirari.* Ex gymnaſio a. 1659. ad academiam tranſmiſſus, non ſolum, patre duce, ſtudium hebraicum diligentiſſime excoluit, & ad altiora aſcendit, ſed & cum eodem philoſophicarum artium & humaniorum literarum notitiam non vulgarem conjunxit, publicis profeſſoribus uſus magiſtris, privata etiam opera *J. Jac. Hofmanni* adjutus, qui eum in omnigena literatura diligentiſſime inſtituit. Poſtquam publicis atque privatis ſpeciminibus profectus, quos in philoſophicis fecerat egregios, ſatis probaſſet, d. 28. Aug. 1660. prima Laurea ſolenniter fuit inſignitus, publice habita

oratione *de præſtantia linguæ hebrææ*, quam hebraice compoſitam hebraice propoſuerat; die vero 26. Nov. 1661. docturæ philoſophicæ dignitatem publice retulit, prius enodato ſymbolo Pythagoræ: *Adverſus ſolem ne loquitor*. Hoc philoſophiæ ſtadio feliciter confecto, ad Theologiam ſe convertit, & d. 6. Jul. 1661. matriculæ nomen ſuum intulit. In literatura autem hebraica non ſolum ſtrenuus perrexit, ſed & vicinas dialectos adgreſſus eſt. Cum autem in medio ſtudiorum theologicorum curſu verſaretur, & jam egregios in eo feciſſet profectus, pater ſenex a theologiæ ſtudio filium retractum unice avito linguæ hebrææ ſtudio adſtrinxit, & gradatim ad difficillimos auctores deduxit. Certam vero filio proſpecturus in academia ſtationem, a ſenatu acad. petiit, ut is ſibi in hebraicæ linguæ profeſſione vicarius, ſimulque in ea poſt obitum ſuum indubius ſucceſſor decerneretur, & utrumque, (poſterius adnuentibus etiam ſcholarchis) propter utriuſque, patris & filii, ſingularia merita haud gravatim obtinuit; itaque d. 21. Jun. 1664. vivo quidem ſed morbo lethali jam correpto parente, vicarius ejus cum ſpe indubitata ſucceſſionis fuit electus. Mortuo autem paulo poſt parente, profeſſionem d. 15. Nov. 1664. ſolenniter auſpicatus eſt. Mox Tigurum profectus præſertim *Joh. Henr. Hottingerum* ſibi fecit familiariſſimum. Etiam frequentiſſime uſus fuerat opera *R. Abrahami*, in vicinia Baſil. habitantis & parenti, Doctori Buxtorffio, familiaris, viri eruditi, quem recutitorum integerrimum adpellare ſolebat. Hic paucis ante obitum Buxtorffii patris annis aliquid genti ſuæ ſacroſanctum amiſit, quod ad Buxtorffium fuerat delatum; cumque de re perdita aliquando anxius ingemiſceret atque lamentaretur, interrogavit Buxtorffius, ecquod indici præmium ſit exſpectandum? cumque Judæus nihil non, quod quidem in ſua ſit poteſtate, pollicitus eſſet: Nihil, inquit, a te poſtulo, niſi ut contractam inter nos familiaritatem ad filium, ſi quid mihi humanitus accidat, derives, huncque, ſicubi in ſcriptis tuæ gentis interpretandis operam tuam deſiderabit, candide adjuves, ſimulque Rabbino id, quod tam anxie quærebat, reſtituit. Memor poſtea Judæus, quoad vixit, datæ fidei permanſit. Buxtorffio autem noſtro cum cognitum eſſet, quantum peregrinationes literariæ conferant cum ad eruditionem prudentiam-

dentiamque augendam, tum ad morum culturam, tale iter, quod jam beatus pater ipſi ſuaſerat, vere anni 1665. ingruente, venia a ſenatu acad. impetrata, & *Petro Werenfelſio*, tum Archidiacono, in muneris adminiſtratione vicario tantiſper relicto, bonis avibus eſt adgreſſus, una cum *Frid. Seilero*, tum S. M. C. poſtea paſtore Petrino. Cum hoc Achate, Solothuro, Berna & Lauſanna in tranſitu ſalutatis, Genevæ aliquamdiu commoratus eſt; hinc Lugdunum, indeque per Aureliam Lutetiam Pariſiorum venit, ibique per aliquod tempus ſubſtitit. Hinc Picardia, Hannonia, iiſque Belgii civitatibus, quæ hiſpanicæ tum ditioni ſuberant, peragratis, in fœderata tandem Belgica adpulit, duaſque inprimis ejus civitates, in quibus juſtum tempus conſiſteret, Trajectum ad Rhenum & Lugdunum Bat. delegit; ubique horum locorum viros eruditos, in his *Hummelium* Bernæ, *Müllerum* & *Schœnauerum* Lauſannæ, *Meſtrezatium*, *Turretinum* & *Tronchinum* Genevæ, *Dallæum*, *Morum*, *Juſtellum*, *Cappellum* Lutetiæ, *Voetium*, *Eſſenium*, *Nethenum*, *Leuſdenium*, Trajecti, *Coccejum*, *Heidanum*, *Hornbeckium*, *Golium*, *Vchtmannum* Leidæ ſibi fecit amiciſſimos, ubique etiam bibliothecas, cimeliarchia aliaque viſu digna diligenter perluſtravit. Poſtquam hyemem Lugduni Bat. tranſegiſſet, ibique ſtudioſis hebraicarum literarum id petentibus, magnaque ad eum frequentia adcurrentibus, privatum interea collegium indulſiſſet, vere ſequente in Angliam trajecit, Londinumque venit paulo ante lamentabile illud incendium, quod magnam ſpacioſiſſimæ urbis partem atque inter alia LXXXVII. templa parochialia abſumſit. Hoc miſerabile ſpectaculum cum oculis ſpectaſſet, idque non ſine periculo, cum plebi concitatæ & incendii auctores quærenti peregrini omnes ſuſpecti eſſent: ut ſtudiis, Arabicæ inprimis linguæ, liberius & tranquillius vacaret, in propinquum urbi pagum ſeceſſit, ibique apud quendam M. *Bonde*, virum orientalium linguarum peritiſſimum, aliquamdiu latuit; ita tamen, ut ſubinde in urbem migraret ad viſendos eruditos, inter quos fuerunt *Duportus*, *Oldenburgerus*, *Durellus*, *Morlæus* & *Wardus*, epiſcopi. Inde Oxonium delatus, omnes bibliothecas, præſertim Bodleianam, diligenter excuſſit, & *Pocockio*, *Hydio*, *Smithio*, *Leighio*, *Clerico*, aliiſque familiariſſimus evaſit.

Mundoniæ dein inviſit *Joh. Lightfootum* & Cantabrigiam delatus, raro honore, in collegium Emanuelis receptus fuit, *Pearſonio*, *Moro*, *Cudwortho* inprimis amatus atque æſtimatus. Anglia denique relicta Hamburgum trajecit, ubi *Ezhardi* familiaritate uſus fuerat atque delectatus. Tandem per Germaniam ſoſpes & incolumis a. 1669. Baſileam rediit, & commiſſæ profeſſionis munia repetiit. Dein a. 1670. in perpetuum vitæ conſortium adſcivit *Cleopheam Brandmuller*, *Jacobi* JC. & *Salomeæ Kœnig* filiam unicam. Ex hoc conjugio ſex liberos ſuſcepit, quorum quatuor ad meliorem vitam præmiſit, interque eos *Jacobum* ſummæ ſpei filiolum; patris funera viderunt filius *J. Jacobus*, natus d. 8. Oct. 1687. filiaque *Dorothea*, quæ, nata d. 16. Jan. 1683. *Joh. Hæuslero*, mercatori, nupta, obiit d. 26. Oct. 1752. Sub idem fere conjugii celebrati tempus commiſſa ei fuit cura Bibliothecæ acad. paulo ante bibliotheca Amerbachiana inſignique cimeliarchio auctæ & in ampliorem locum translatæ; nec non viſitatio gymnaſii Mariani, qua magna fide & diligentia defunctus eſt. Septies philoſophici ordinis Decanatum, Rectoratum acad. bis geſſit prudentiſſime. Præter publicas lectiones etiam privatas indulſit petentibus, in quibus hebraicam, rabbinicam, talmudicam, chaldæam atque ſyriacam linguam docuit. Ceterum præter pietatem in Deum ſingularem in eo conſpiciebatur prudentia circumſpecta, modeſtia germana, adfabilitas, officioſus in quoſvis, & beneficus in pauperes animus. Cum variis morbis, aſthmate, arthritide, hypochondriaco malo, podagra a multis jam annis conflictatus, atque iiſdem excruciatus, denique d. 1. Apr. 1704. phthiſico hydropicus obiit.

Nihil vir literatiſſimus lucubrationum ſuarum ex ſumma modeſtia typis mandavit niſi *præfationem* ad avi ſui commentarium maſorethicum a. 1665. editum, ejuſdemque *Synagogam Jud.* reviſam & a mendis expurgatam edidit Baſil. 1680. 8. *quorundam Rabbinicorum librorum verſiones, nec non inſigne auctarium bibliothecæ Rabbinicæ conſcripſerat quidem, ſed intra ſcrinia ſua ſervavit.*

XII. JOHANNES BUXTORFF, ex præclara & de academia Baſil, quin univerſo literato orbe, bene merita familia oriundus, editus eſt in lucem d. 8. Jan. 1663. patre

patre *Johan. Buxtorffio*, iterum senatore, & satrapa Varnspurgensi primum, dein Waldenburgensi, *Johannis*, S. Theol. Doct. & ejusdem nec non linguæ hebrææ Professoris filio, matre autem *Dorothea Beck*, *Sebastiani*, Theologi, filia. Majorum fama puerique optima indole adlectus parens filium literis destinavit, Deoque libavit. Mittebatur itaque in scholam latinam, in qua a pueritia ad pietatem, honestatem, humanitatem, nec non ad linguæ latinæ atque græcæ, historiæ, geographiæ atque aliarum scientiarum cognitionem diligenter deducebatur, ibique, ob ingenium, industriam, solertiam a præceptoribus plurimum amatus, in studiis brevi tempore adeo laudabiles fecit progressus, ut ad audiendas lectiones publicas admitteretur. In istis philosophorum lectionibus audiendis consuetum tempus consumsit, sed auditione prælectionum non contentus, audita etiam notavit, observavit, excoluit, & ad usum revocavit, tum frequenter in lingua & ligata & prosa perorando, tum alia exercitia componendo atque exhibendo. Quo pacto ingenium, solertiam, & in omni philosophia factos profectus præclaros denuo magistris suis ita probavit, ut utraque laurea philosophica ipsum dignum judicarent; quarum prima d. 3. Jun. 1679. secunda d. 8. Jun. 1680. fuit cohonestatus, qua posteriore occasione *de lauro ab ictu fulminis immuni* publice disseruit. Eodem anno 1680. nomen dedit studio theologico, illudque diligentissime tractavit. Sanam Theologiam, ut par est, præcipue ex fonte purissimo Scripturæ S. haurire studuit, hancque ut accuratius intelligeret, linguæ græcæ atque hebrææ indefessam operam dedit; majorum vero vestigia ut sequeretur, inprimis literaturam hebraicam excoluit, & præter theologos ordinarios etiam patruum suum, *Joh. Jacobum Buxtorffium*, frequenter adiit atque audivit, privata ejus opera quam plurimum sublevatus. In horum theologorum schola, adhibita omni diligentia adeo profecit, ut examen a futuris S. Ministerii candidatis requisitum cum laude subierit atque superarit, in eorum numerum a. 1685. omnium calculis receptus. His vero tentaminibus atque examinibus feliciter superatis, neutiquam, ut haud pauci perperam facere solent, torpori, otio atque pigritiæ sese tradidit, sed, ut ingenuum hominem decet, studium linguarum atque Scripturæ S. adsidue continuavit, quæ ipsi adhuc deerant, compa-

ravit, cognitionem rerum divinarum adauxit, ſicque ſe ad miniſterium S. olim rite obeundum digne præparavit. Haud diu poſt occaſio ipſi fuit oblata, ſeſe in miniſterialibus functionibus exercendi, & quantum in illis valeat demonſtrandi, a. 1689. a *baronis Strünckedenſis Marchici* vidua, ut ſibi a concionibus eſſet, vocatus. Ea a. 1690. defuncta, ſermoneque funebri, qui typis expreſſus legitur, in ejus honorem in Pſ. XVI. 5. 6. habito, iter in Belgium inſtituit, ibique inprimis linguarum orientalium ſtudium excoluit. Comparato pretioſo eruditionis theſauro, & conciliata cum plurimis eruditis arctiore amicitia, a. 1694. in patriam reverſus, eodem hoc anno paſtor in pago Baſil. *Ariſtdorff*, deſignatus fuit. Hinc autem ab academiæ proceribus d. 19. Sept. 1704. revocatus & linguæ hebrææ profeſſor conſtitutus eſt, quam provinciam adiit d. 19. Dec. 1704. *de hebræorum circa bonos malosve angelos erroribus* nonnulla publice præfatus. Spartam iſtam ſatis diu magno literarum incremento, academiæ honore, nominiſque ſui fama eximia exornavit, donec d. 19. Jun. 1732. ex hydrope pectoris exſtinctus ad majores ſuos collectus fuit; relictis ex *Auguſta Dorothea Hummel*, uxore, tribus liberis, *Auguſto Johanne*, qui a. 1765. paſtor ad D. Theodori, *Job. Jacobo*, qui a. 1767. Lugduni mercator obiit, & *Dorothea Emanueli Streckeyſen* nupta, quæ vidua adhuc ſupereſt.

In lucem edidit *exercitationem de Pontifice M. V. T.* 1685. *converſionem gentium, ſ. de propagatione Evangelii apud Indos*, 1698. 16. *concionem funebrem* in Dan. XII. 3. 1703. *ſpecimen theſium philologicarum*, 1704. *Drelincourtii tractatum gallicum de paterno Dei erga pios adfectu in germanicum translatum*, 1705. *Catalecta philologico theologica cum mantiſſa epiſtolar. viror. claror. ad Joh. Buxtorffium, patrem & filium, ſcriptarum*, 1707. *Specimen phraſeologiæ V. T. hebr.* Francof. 1717. *Muſas errantes collectas*, Amſt. 1714. 4. *iterum auctiores & emendatas*, Baſ. 1717. 8. *Orat. de nonnullis ſtudiorum juvenilium impedimentis, habitam* d. 28. Jun. 1716. Baſ. 1719. 4. diſſ. de Alcorani editione Arabica, ejuſque verſionibus, Bibl. Brem. Cl. 6. F. 2. p. 271. *Diſſertationes varii argumenti*, Baſ. 1725. 8. *diatriben de judicio particulari*, ib. eod. *Prelo etiam paraverat Catalectorum volumen alterum cum epiſtolis virorum clarorum nondum editis; faſciculum diſſertationum ſelectarum; volumen concionum ſelectarum; orationes academicas, epiſtolas & poëmata*; hæc vero lucem nunquam viderunt.

XIII. Joh.

Digitized by Google

XIII. Joh. Rodolphus Battier, *Friderici Battierii*, paſtoris Albani, & *Margarethæ Iſelin*, filius, natus eſt d. 9. Nov. 1693. Adoleſcens ingenio bono præditus mature ad literarum laborem adſuefactus, omnique humanitatis diſciplina cultus fuit atque inſtructus. Doctarum literarum elementis inſtituendus traditus eſt gymnaſii publici magiſtris, iiſque probe inſtructus ad academiam tranſiit & philoſophica ſtudia diligenter tractavit. Linguas eruditas arteſque ingenuas cum acriter intellexit atque conſuetis ſpeciminibus eruditionem ſuam probavit, etiam ſolennia præmia a ſapientiſſimo ordine accepit. Prima nempe Laurea cinctus fuit d. 10. Jun. 1710. philoſophici vero Magiſterii honore mactatus die 10. Nov. 1711. Eodem hoc anno ſtudio theologiæ nomen dedit, & cum præclara fuiſſet præditus indole, mente acutus, diſcendi cupidus, in audiendis lectionibus adſiduus atque adtentus, privatim etiam diurnas nocturnaſque horas legendis optimis libris, repetitioni atque meditationi impendiſſet, in lingua græca atque hebræa, philologia ſacra, hiſtoria eccleſiaſtica, ipſaque theologia dogmatica, morali atque elenchtica adeo amplam acquiſivit notitiam, ut a. 1716. dignus haberetur, qui in numerum Evangelii præconum adſciſceretur. His vero nondum contentus, etiam apud exteros eruditionem ſuam augere ſtuduit; aliquot annos in Gallia, Belgio atque Anglia commoratus. Ita multifaria, literaria atque eccleſiaſtica, eruditione locupletatus primum a. 1730. paſtor Orphanotrophii, dein d. 27. Mart. 1733. linguæ hebraicæ profeſſor fuit electus, quam provinciam d. 15. Maj. 1733. lectione publica *de linguæ hebrææ præſtantia* auſpicatus diligentiſſime adminiſtravit, donec triſtiſſimo caſu tantam animi fecit labem, ut, dum vixit, priſtinam ſanitatem non recuperarit. Vices ejus profeſſorias egit a. 1736. *Joh. Grynæus*, poſtea Theologus; a. 1738. *Joh. Balth. Burcard*, Rhetorices Profeſſor, ad docendam Theologiam vocatus; a. 1741. *Jacobus Pfaff*, S. M. C. qui quadriennio poſt obiit; a. 1745. *Joh. Henr. Brucker*, poſtea Hiſtoriarum Profeſſor; a. 1747. *Georgius Erzberger*, deinceps Diaconus Petrinus; a. 1752. *Joh. Henricus Gernler*, profeſſor dein hiſtoriarum; & a. 1754. *Jacobus Basler*, qui poſt fata Battierii hujus linguæ profeſſor ordinarius fuit electus. Denique Battierius corporis ergaſtulo fuit ſolutus & in

ætherem cœleſtem ſuſceptus Prid. Paſch. 1759. Relicta vidua *Dorothea Bernoulli*, *Johannis Bernoullii*, Matheſ. Prof. filia, unicoque filio *Joh. Battier*, mercatore.

Edidit *diſputationem theol. qua loca V. T. in Evangeliis citata expendit, & contra Judæorum ſtrophas atque cavillos defendit*, a. 1716. *Poſitiones Logicas miſcell.* 1722. *Theſes philologicas miſc. pro cathedra hebraea*, a. 1733.

XIV. JACOBUS BASLER, Societatis Phyſico Medicæ Baſilienſis ſodalis, natalem habuit d. 10. Sept. 1725. Studiis ab ineunte ætate imbutus, pro animo doctrinarum ut capaciſſimo ita avidiſſimo, magnos cito in iis fecit profectus. Prima morum præcepta & literarum atque ſcientiarum elementa in gymnaſio percepit. Depoſitis autem tyrocinii rudimentis, civibus academiæ adſcriptus philoſophia animum excoluit, omneque tempus literis dedit. Linguæ latinæ atque græcæ ſedulam dedit operam, inprimis autem Logica atque Metaphyſica, Matheſi atque Phyſica delectatus, omni diligentia haſce artes atque ſcientias adfectavit. Accepta dein prima Philoſophiæ Laurea, nempe d. 8. Jun. 1741. itemque d. 11. Jun. 1743. ſuprema in philoſophia dignitate, ad ſtudium theologicum animum adplicuit, & d. 11. Dec. 1742. ſacris literis ſolenniter nomen dedit. Licet autem in omnibus Theologiæ partibus diligenter eſſet occupatus, non tamen ſapientiæ depoſuit amorem, quin univerſam philoſophiam, quam maxime vero matheſin atque phyſicam, ad quas ſcientias animus inprimis inclinabat, diligentiſſimus didicit atque excoluit, ubi ei tam fortunato eſſe contigit, ut non ſolum publica ſed & privata trium in his ſcientiis principum, *Joh. Bernoullii*, patris, ejuſque duorum filiorum, *Danielis* & *Johannis*, optima frueretur inſtitutione, quam poſtmodum non ſine ingenti fœnore reddidit nobiliſſimis fratribus, *Johanni*, *Danieli* atque *Jacobo Bernoulliis*, Johannis Bernoullii filii natis, quos per plures annos philoſophia inſtrumentali ac reali, præſertim hujus parte theoretica, Phyſica atque Mathematica, fidiſſimus & feliciſſimo eum ſucceſſu inſtituit. In claſſem verbi divini miniſtrorum a. 1747. adoptatus, linguæ gallicæ facultatis acquirendæ cauſa a. 1748. poſtquam prius ſpecimen pro obtinenda profeſſione mathematica ediderat, Genevam

Genevam petiit, anno vero 1749. Lutetiam Parisiorum profectus est, officio ephori filii, necnon concionatoris Genevensis ad Regem Galliarum Legati, per annos fere quinque summa fide functus. Hoc temporis spatio plurimis academiæ Scientiarum conventibus atque exercitiis interfuit, magnumque inde, ut & ex consuetudine, quam cum clarissimis illius Academiæ sociis habuit, fructum percepit. Circa finem a. 1754. vicariatus professionis linguæ hebrææ ei fuit demandatus. Philosophicam autem scientiam magis adhuc perfecturus, anno 1756. Lausannam abiit, ibique integro anno substitit. Reversus illum vicariatum repetiit & diligenter administravit, donec d. 28. Sept. 1759. ordinarius Linguæ Hebrææ professor esset denominatus. Officium hocce adiit publice lectione inaugurali *de scholis atque academiis Hebræorum* d. 21. Apr. 1760. eoque ut & munere visitatoris gymnasii ordinarii a. 1773. ipsi demandato hactenus diligenter fungitur, studiosorum conatus atque labores philosophicos animo promtissimo promovens.

Edidit *theses mathematicas* a. 1748. & *observationes philologicas*, *vacante cathedra hebræa*, a. 1759.

PROFESSOR ANTIQUITATUM EXTRAORDINARIUS.

Frid. Samuel de Schmidt, Bernas, Sereniss. princ. marchionis Bada Durlacensis consiliarius aulicus & Philos. Doctor, postquam a magistratu Basilienſi civitate donatus & ipso petente d. 13. Sept. a. 1762. a Senatu academico *Antiquitatum professor honorarius* designatus fuit, publicis prælectionibus nummos antiquorum explicavit, de eorundem picturis, sculptis quoque cælatisque gemmis egit; majora minoraque veterum perlustravit signa; inscriptiones antiquas, & manuscriptos codices exposuit; sed biennio post, relicta Basilea, Durlacensis bibliothecæ curam suscepit; illinc autem, elapsis aliquot annis, Francofurtum contendit, ubi solemnibus nuptiarum celebratis, sedem suam fixit.

Edidit *Recueil d'antiquités trouvées à* Avanches, *à* Culm &c. Berne 1760. 4. c. f. *Lettre à Monſ.* d'Annone, *Doct. & Prof. à Bâle*, in Act. Helv. V. IV. 1760. p. 167. *Memoire*

moire ſur les Oolithes, ibid. V. v. 1762. p. 97–119. *Diſſertation ſur une Colonie Egyptienne établie aux Indes* &c. à Berne 8. d. 30. Maj. 1763. *Theſes antiquarias*, Baſil. 4. *Opuſcula. quibus res antiquæ, præcipue Ægyptiacæ, explanantur*, Carolsr 1765. 8. *diſſertationem de ſacerdotibus & ſacrificiis Ægyptiorum*. Tub. 1768. 8. Hæc opuſcula fructus ſunt laborum, quibus ante aliquot luſtra varia præmia academica meruit.

ADDENDA & CORRIGENDA.

Scriptis *Capitonis* p. 12. addantur 3. epiſtolæ ad *Lutherum* datæ; quarum prima ſcripta Baſileæ 11. Non. Sept. 1518. ſecunda Moguntiæ prid. Non. Dec. 1520. tertia ſine anno; nec non epiſtola ad *Melanchthonem*, Halæ d. 21. Dec. 1521. Omnes iſtæ epiſtolæ typis expreſſæ ſunt in Bibl. Brem. Cl. 4. F. 5. p. 920. & ſeq.

Scriptis *Oecolampadii* p. 15. addantur: Sermo de Sacramento Euchariſtiæ, lat. Auguſt. 1521. 4. Sermo de laudando in Maria Deo, lat. ib. 1521. 4. Concio germ. in *nunc dimittis* &c. Vertit de pœnitentia Petri archiepiſcopi alex. canones, de ſimonia Gennadii epiſtolam, nec non epiſtolam Nicephori Chartophylacis de ligandi & ſolvendi poteſtate, Baſil. 1518. 4. Pſegmata quædam Chryſoſtomi ab illo cum notis in latinum verſa prodierunt Baſil. 1523. 4. Theſes 3. ex prophetia Danielis deſumtæ & publice in aula Theologorum Baſil. ventilatæ, ſine anno. ib p. 15. in ſcriptis Oecol. l. 1. pro ritu l. *riſu*.

Pag. 90. n. 2. pro Helnich l. *Helmich*.

Pag 254. Scriptis *Reuchlini* addantur: Tract. in 7. Pſalmos pœnitentiales &c. 1512. Tabulæ 20. inſtitutionum in linguam S. Baſil 1554. Compendium Grammaticæ hebr. Wittenb. 1581. 8. Tractatui de *verbo mirifico* addendum, ipſum Auctoris autographum exſtare in Biblioth. publica Baſil. fol.

P. 379. Scriptis *Battierianis* addantur notæ in Sophoclis tragœdias, quæ leguntur Muſ. Helv. P. 24. p. 612.

Pag. 387. addendum vitæ *Ach. Wierzii*, eum in flore primo exſtinctum d. 2. Aug. 1778. omniumque lacrymis elatum fuiſſe d. 5. ejuſdem, relicta uxore *Antonia Catharina Laroche*, filia *Joh. Davidis*, J. V. C. ac Prætoris Lucisvallenſis & *Annæ Mariæ Stupanus*, quam ſibi vitæ ſociam adjunxerat die 9. Aug. 1773.

CATALO-

Digitized by Google

CATALOGUS RECTORUM ACADEMIÆ BASILIENSIS.

1460. *Georg. de Andlo*, Eccleſ. Baſ. Præp. Jur. Can. Doct.
Caſp. de Rheno, Cuſtos, dein Epiſcopus, eccleſiæ Baſ.
1461. *Petrus zum Luft*, Decr. Doct. Canonicus.
Joh. Creutzer, A. L. M. S. Theol. Prof. & Canon.
1462. *Gerhardus in Curia*, J. V. D. & ordinarius Sexti.
Wernerus Wœlflin, Med. Doct. ordinarius in Medic.
1463. *Wilhelm Textoris*, Theol. Prof.
Joh. Helmich, Can. Doct. Can. Petr. Fac. Jur. ordinar.
1464. *Joh. Blicbenrod*, Theol. Baccal. Canonicus Petr.
Arn. Truchſeſs, Canonicus eccleſiæ Baſil.
1465. *Nicol. Betzlin*, A. L M. Baſilienſis, per anni circulum.
1466. *Joh. Grutſch*, Decret. Doct. Canon. Petr. & Cuſtos.
Steph. Miſtralis, Juris civilis ſcholaris.
1467. *Petrus zum Luft*, Jur. Pont. Doct. & Canon. II.
Wilb. Textoris, Theol. Prof. & B. Virginis Canon. II.
1468. *Georg. Bernolt*, Jur. pont. ſcholaris.
Jodocus de Bruchſella, A. L. M.
1469. *Gerhard. de Eremberg*, Canonicus Mogunt.
Petrus Textoris, Decret. Licent. Canonicus Baſil.
1470. *Petrus Brunnenſtein*, Canonicus & Cantor Lucern.
Joh. Siber de Wangen, Theol. Baccal. Canon. Petr.
1471. *Hiltbrandus Brandenburg* de Bibraco.
Petrus de Andlo, Jur. Pont. Doct. & Præpoſ. Luterbac.
1472. *Otto Klingen* de Campis, Jurium ſtudioſus.
Jac. Lapidis de Pinguia, Juris Pont. Doct.
1473. *Georg. Fuchs* de Wunffurt, Canonicus Herbipol.
Chriſtoph. de Vtenheim, A. L. M. Juris pont. ſcholaris, Præpoſ. & Canon. Argent. poſtea Epiſcopus Baſil.
1474. *Joh. de Berwangen*, Juris pont. ſcholaris.
Adam Brunn de Eppfich, A. L. M.
1475. *Joh. Inſtitoris* de Ettenheim, A. L. M.
Wilb. Dremborn, Juris Pont. Doct.
1476. *Viricus Wild*, Norimb. Presbyter & Juris pont. ſtudioſ.
Jac. Louber Lindov. Decret. Licent.
1477. *Joh. Louber*, Canonicus Limpurgenſis.
Jac. Hugonis de Maursmunſter, A. L. M.
1478. *Arnoldus Rich* de Richenſtein, Canonicus Baſ.
Bernh. Ouglin, A. L. M. & S. Canonum Licent.

1479. *Bernh.*

Digitized by Google

1479. *Bernh. Molitoris* de Lieſtal, Præpoſ. Colmar. & Canon. Baſ.
Joh. Sporer de Iſnina, A. L. M.
1480. *Jac. de Liebenſtein*, Canon. Mogunt. poſtea Archiepiſcopus & Elector.
Hieron. de Weiblingen, A. L. M.
1481. *Joh. de Gengenbach*, Theol. Baccal. Juris pont. interpres & Poëticæ ordinarius.
Bernh. Ouglin, A. L. M. in decretis Licent. II.
1482. *Joh. Siber*, Artium & Theol. Prof. Canon. Petr. II.
J. Vlr. Surgant, Art. & Decr Doct. ad Theod. Curat.
1483. *Joh. Herborn*, Theol. Baccal.
Adam Brunn de Epfich, A. L. M. II.
1484. *Henr. Viſcher*, alias Currificis, A. L. M. & Capellanus.
Andr. Ondorp, alias de Alcmaria, Art. & utr. Med. Doct.
1485. *Hier. de Weiblingen*, A. L. M. & Juris pont. Lic. II.
Georg Bernolt, Norimb. Juris pont. Doct. Canonicus Baſ. II.
1486. *Lud. Odertzheim* in Decret Licent. A. L. M.
Thammo Loſer, Saxo, Præpoſ. Clodenſis, Canonicus Miſnenſis, durante rectoratu ſuo Juris Can. Doct.
1487. *J. Vlr. Surgant*, Decret. Doct. Canon. Petr. Theol. Curatus, II.
Joh. Siber, Theol. Prof. Scholaſticus & Can. Petr. III.
1488. *Joh. de Warambone*, comes de parva petra & de rupe, S. ſedis Protonot. Archidiac. & Canon. Biſunt. & Baioc.
Bernh. Oiglin, Decret. Doct. III.
1489. *Mich. Wildeck*, Mullhuſ. S. pag. Licent.
Joh. Sigriſt de Rufach, A. L. M.
1490. *Joh. Maroſſf*, de Fridberg, Jur. C.
Henr. Vogt, Præpoſ. Lucern. Canon. Beron. Decr. Doct.
1491. *Andr. Ondorp* de Alcmaria, Art. & Med. Doct. II.
Jac. Carpentarii, Argent. Canonicus Petr. Baſil.
1492. *Joh. Schenck*, L. B. de Limpurg, S. R. Imp. hæres & pincerna, Canon. Wurzburg. & Bamberg.
Erhard. Battmann, Canonicus Beronenſ. A. L. M.
1493. *Wilh. Grieb*, Baſ. Art. & J. V. D.
Joh. Inſtitoris de Ettenheim, Can. Doct. & in novis Jurib. Prof. II.
1494. *Joh. Stump*, de Weſchhuſen, Decr. Lic. Canon Petr.
J. Vlr. Surgant, Decr. Doct. Curatus ad S. Theod. III.
1495. *Mich. Wildek*, Theol. Doct. II.
Vlr. Kraft, Vlmenſ. Legum Doct. & ordinarius Juris.
1496. *Melchior de Baden.*
Bernh. Oiglin, Decret. Doct. IV.

1497. *Joh.*

Digitized by Google

1497. *Joh. de Tunſel*, d. Silberberg, Baſ. Art. Med. & Juris Doct.
Matthæus Bubenhoffer.
1498. *Henr. Viſcher*, d. Currificis, A. L. M. Epiſcopi Vicarius, II.
Joh. Herborn, A. L. M. Theol. Baccal. II.
1499. *Leonh. Marſchalck*, Juris civ. ſcholaris.
Hier. de Weiblingen, &c. III.
1500. *Arnold zum Luſt*, J. V. D. Canon. & Officialis Baſ.
Vlr. Krafft, J. V. Doct. Canon. Petr. II.
1501. *J. Vlr. Surgant*, Decret. Doct. Curatus ad Theod. IV.
Georg. Bernolt, Decret. Doct. Canon. Baſ. III.
1502. *Joh. Wentz*, A. L. M. & Canon. Petr.
Joh. de Tunſel, d. Silberberg, Decr. & Med. Doct. II.
1503. *Theob. Weſchhoffer* de Richenwir, Decret. Doct. Decan. Petr.
Adam. de Mullenberg, Doct. comes Palatinus.
1504. *Ladislaus Protheus.*
Wilh. Grieb, Baſ. Art. & J. V. D. II.
1505. *Hier. Brylinger*, eccleſiæ Baſ. Capellanus.
Joh. Sellatoris de Gebwiler, A. L. M.
1506. *Theob. Weſchhofer*, Decret. Doct. & Dec. Petr. II.
Wern. Schlierbach, Mullhuſ. A. L. M. & S. Pag. Baccal.
1507. *Joh. Gebwiler* de Columbaria, Licent.
Chriſtian. Struh de Sulgen, A. L. M.
1508. *Joh. Wyshar*, Rotenburg. Plebanus ad S. Theod.
Arn. zum Luſt, J. V. D. Canon. & Officialis Baſ. II.
1509. *Adam. de Mullenberg*, Doctor, II.
Joh. Juſtinger, A. L. M. Theol. Baccal. S. Can. Doct.
1510. *Jac. de Gottesheym*, de Aſt, Argent. Legum Doct. Juris civ. Prof.
Auguſtin. Lutenwang, Suevus, LL. civ. interpres, parochus Baſ.
1511. *Georgius*, comes in Tengen, Dominus in Nellenburg.
Nic. Briefer, Baſ. A. L. M. Canonicus Petr.
1512. *Martin. Schyner*, Decanus Valerii.
Joh. Wentz, A. L. M. Juris Pont. Doct. & ordinarius, Canon. Petr.
1513. *Joh. Sellatoris* de Gebwiler, A. L. M. Theol. Baccal. & Canon. Petr. II.
Matthias Sambucellus (Hœlderlin) Art. & Theol. Doct. Sulgenſis.
1514. *Lud. Berus*, Baſil. Art. & Theol. Doct. Canon. Petr.
Henr. Rinck, A. L. M.
1515. *Petr. Wenck*, de Lor, A. L. M. Theol. Baccal.
Joh. Sellatoris de Gebwiler &c. III.
1516. *Werner. Schlierbach*, A. L. M. & Theol. Baccal. II.
Joh. Suter, A. L. M. & Capellan. eccleſ. cathedr. Baſ.

1517. *Wolfg.*

1517. *Wolfg. Fabricius Capito*, Theol. Doctor.
Auguſtin. Lutterwang, LL. Doctor, II.
1518. *Joh. Sellatoris* de Gebwiler &c. IV.
Wern. Schlierbach, S. Pag. Licent. III.
1519. *Joh. Romanus Wonnecker*, Artium, Med. & J. V. D.
Claudius Cantiuncula, Metenſis, J. V. D. ejuſque Prof.
1520. *Lud. Berus*, Baſ. Artium & Theol. Doct. Præpoſ. & Canon. Petr. II.
Nic. Briefer, Art. Mag. Canonicus Petr. II.
1521. *Petr. Wenck*, A. L. M. &c. II.
Joh. Sellatoris de Gebwiler &c. V.
1522. *Joh. Gebwiler*, Doctor, II.
Joh. Rom. Wonnecker, Legum Doctor, II.
1523. *Petr. Fabrinus*, Auguſtanus, legum civ. Licent.
Nicol. Briefer, A. L. M. &c. III.
1524. *Petr. Wenck*, Theol. Licent. III.
Wern. Schlierbach &c. IV.
1525. *Joh. Viſcher*, d. Curificis, A. L. M.
Henr. Rinck, A. L. M. Theol. Baccal. II.
1526. *Bonif. Amerbach*, Legum Doct. ac Prof.
Leonh. Rebhan, Canonicus Petr.
1527. *Hier. Blatzheim*, A. L. M. capellanus Baſ.
Nic. Dumannus, alias Gaillard, Lotharing. ſtudioſus.
1528. *Sebaſt. Molitor*, animarum cuſtos ad D. Petri.
Oſw. Berus, Atheſinus, Medicus.
1532. *Oſw. Berus*, Med. Doct. ac Prof. II.
1533. *Paul. Conſtantin. Phrygio*, Seleſtadienſis.
1534. *Paul. Conſt. Phrygio*, Theol. Prof. II.
1535. *Bonif. Amerbach*, Legum Prof. II.
1536. *Wolfg. Wiſſenburg*, parochus ad D. Theod.
1537. *Andr. Bodenſtein*, d. Caroloſtadius, Theol. Doct. ac Prof.
1538. *Hier. Artolphus*, Rhætus, Med. Cand.
1539. *Nic. Briefer*, Decanus Petr. & Juris Licent. IV.
1540. *Bonif. Amerbach*, JC. III.
1541. *Simon Grynæus*, philoſ. ord. Theolog. extraord. Prof.
1542. *Albanus Thorinus*, Vitoduranus, Med. Prof.
1543. *Joh. Huberus*, Med. Doct.
1544. *Oſw. Berus*, Med. Doct. ac Prof. III.
1545. *Joh. Sphyracles*, J. V. L. Canon. Petr. & præpoſ. Inſtit. Prof.
1546. *Martin. Borrhaus*, Theol. Prof.
1547. *Sebaſt. Munſter*, Ingelheim. Linguæ Hebr. Prof.
1548. *Vdalr. Iſelin*, J. V. D. & Legum Prof.
1549. *Wolfg. Wiſſenburg*, Theol. Doct. ac Prof. II.
1550. *Oſw. Berus*, Med. Doct. ac Prof. IV.
1551. *Bonif. Amerbach*, J. V. D. ac Prof. rude donatus, IV.

1552. *Simon*

Digitized by Google

1552. *Simon Sulcer*, Bernenſis, A. L. M. Miniſter Petr. h. a. Antiſtes.
1553. *Martin. Borrbaus*, Theol. Prof. II.
1554. *Vlr. Iſelin*, J. V. D. ac Prof. II.
1555. *Joh. Huber*, Med. Doct. II.
1556. *Bonif. Amerbach*, JC. rude donatus, V.
1557. *Wolfg. Wiſſenburg*, Theologus, III.
1558. *Joh. Sphyractes*, J. V. L. Codicis Prof. II.
1559. *Iſaacus Keller*, Med. Doct. ac Prof.
1560. *Vlr. Iſelin*, J. V. D. & Legum Prof. III.
1561. *Baſil. Amerbach*, J. V. D. ac Prof.
1562. *Simon Sulcer*, Antiſt. & Theol. Prof. II.
1563. *Vlr. Coccius*, Paſtor Petrin.
1564. *Marc. Hopper*, Juris Doct. ac Prof.
1565. *Theod. Zuinger*, Med. Doct. Ling. Gr. Prof.
1566. *Baſil. Amerbach*, JC. II.
1567. *Joh. Huber*, Med. Doct. Archiater, & Prof. III.
1568. *Simon Sulcer*, Antiſtes & Theol. Prof. III.
1569. *Iſaacus Keller*, Med. Doct. & Prof. II.
1570. *Felix Plater*, Med. Doct. ac Prof. & Archiater.
1571. *Vlric. Coccius*, Theol. D. & Prof. ac Paſtor Petrin. II.
1572. *Theod. Zuinger*, Medicus, II.
1573. *Baſil. Amerbach*, JC. III.
1574. *Sam. Grynæus*, J. V. D. ac Prof.
1575. *Simon Sulcer*, Antiſt. & Theol Prof. IV.
1576. *Felix Plater*, Med. Doct. ac Prof. II.
1577. *Chriſtian. Vrſtiſius*, Mathematicus.
1578. *J. Nic. Stupanus*, Med. Doct. & Org. Ariſt. Prof.
1579. *Vlric. Coccius*, Theol. Doct ac Prof. III.
1580. *Baſil. Amerbach*, J. V. D. ac Prof. IV.
1581. *Theod. Zuinger*, Medicus, III.
1582. *Felix Plater*, Medicus, III.
1583. *Chriſtian. Vrſtiſius*, Mathematicus, II.
1584. *J. Jac. Grynæus*, Theol. Doct. ac Prof. eique mox Heidelbergam vocato ſuffectus Chriſt. Vrſtiſius III.
1585. *Henr. Pantaleon*, A L. M. Med. Doct. Theol. Licent. Phyſ. Prof. & comes Palat.
1586. *Baſil. Amerbach*, J. V. D. ac Prof. V.
1587. *Joh. Brandmuller*, Biberacenſis, Theol. Doct. ac Prof. & paſtor Micropolit.
1588. *Felix Plater*, Med. Doct. ac Prof. IV.
1589. *Sam. Grynæus*, J. V. D. ac Prof. II.
1590. *J. Jac. Grynæus*, Theol. Doct. N. T. Prof. & Ant. II.
1591. *Joh. Gut*, Rœtelanus, J. V. D. ac Cod. Prof.
1592. *Caſp. Baubin*, Med. Doct. Anat. & Bot. Prof.
1593. *Sam. Grynæus*, J. V. D. ac Prof. III.
1594. *Joh. Brandmuller*, Theol. Doct. V. T. Prof. Paſtor Micropolit. II.

1595. *Felix*

Digitized by Google

1595. *Felix Plater*, Med. Doct. ac Prof. V.
1596. *J. Jac. Grynæus*, Antist. Theol. D. & Pr. III.
1597. *Ludov. Iselin*, J. V. D. ac Prof.
1598. *Casp. Baubin*, Medicus, II.
1599. *Henr. Just*, Bas. A. L. M. Pastor Petrin. Organi Arist. Prof.
1600. *Amand. Polanus* a Polansdorff, Theol. D. ac V. T. Pr.
1601. *Johannes Gut*, J. V. D ac Prof. II.
1602. *Thom. Coccius*, Med. Doct. & Ethicæ Prof.
1603. *J. Jac. Grynæus*, Antistes, &c. IV.
1604. *J. Jac. Fæsch*, J. V. D. ac Instit. Prof.
1605. *Felix Plater*, Archiater &c. VI.
1606. *Jacobus Zuinger*, Med. Doct. Linguæ Gr. Prof.
1607. *Ludov. Iselin*, JC. II.
1608. *Petrus Ryff*, Phil. & Med. D. Mathes. Prof.
1609. *Amand. Polanus* a Polansdorff, Theologus, II.
1610. *Joh. Gut*, JC. III.
1611. *Casp. Baubin*, Med. D. Anat. & Bot. Prof. III.
1612. *J. Jac. Fæsch*, JC. II.
1613. *Mart Chmielecius*, a Chmielnick, Med. Doct. Physic. Prof.
1614. *Joh. Buxtorff*, A. L. M. Ling. Hebr. Prof.
1615. *Joh. Gut*, JC. IV.
1616. *Petr. Ryff*, Med. Doct. Math. Prof. II.
1617. *Sebast. Beck*, Theol. Doct. V. T. Prof.
1618. *J. Jac. Fæsch*, J. V. D. ac Prof. III.
1619. *Casp. Baubin*, Med. D. Archiater, Prax. Pr. IV.
1620. *J. Rod. Burcard*, J. V. D. Ethic. Prof.
1621. *Joh. Wolleb*, Th. D. V. T. Prof. Antist.
1622. *Joh. Gut*, JC. V.
1623. *Thom. Plater*, Med. D. Anat. & Bot. Prof.
1624. *Lud. Lucius*, A. L. M. Organi Log. Prof.
1625. *Sebast. Beck*, Theol. Doct. N. T. Prof. II.
1626. *J. Jac. Fæsch*, J. V. D. Cod. Prof. & Synd. IV.
1627. *Mart. Chmielecius*, Med. Doct. Phys. Prof. II.
1628. *J. Rod. Burcard*, J. V. D. Ethic. Prof. II. eique Archigrammateo electo successit Mart. Chmielecius III.
1629. *Joh. Wolleb*, Th. Doct. ac Prof. & Ant. ejusque defuncti vices egit Chmielecius IV.
1630. *J. J. Fæsch*, J. V. D. Pand. Prof. Synd. V.
1631. *Eman. Stupanus*, Med. Doct. Theor. Prof.
1632. *Jac. Burcard*, J. V. D. Eth. Prof.
1633. *Sebast. Beck*, Theologus, III.
1634. *J. Jac. a Brunn*, Med. Doct. Pract. Prof.
1635. *German. Obermeyer*, Med. Doct. Math. Prof.
1636. *Theod. Zuinger*, Th. Doct. V. T. Prof. Ant.
1637. *Remig. Fæsch*, J. V. D. Pand. Prof.

1638. *J. Casp.*

Digitized by Google

1638. *J. Caſp. Bauhin*, Med. Doct. Anat. & Bot. Prof.
1639. *Joh. Buxtorff*, fil. Linguæ S. Prof.
1640. *Sebaſt. Beck*, Theologus, IV.
1641. *J. Jac. Hofmann*, J. V. D. Cod. Prof.
1642. *Eman. Stupanus*, Med. Doct. Theor. Prof. II.
1643. *Jac. Hagenbach*, Med. Doct. Ethic. Prof.
1644. *Theod. Zuinger*, Theologus & Antiſtes, II.
1645. *J. Jac. Faeſch*, JC. & Syndic. VI.
1646. *J. Jac. a Brunn*, Med. Doct. Pract. Prof. II.
1647. *Jac. Burcard*, J. V. D. Ethic. Prof. II.
1648. *Sebaſt. Beck*, Theologus, V.
1649. *Remig. Faeſch*, J. V. D Pand. Prof. II.
1650. *J. Caſp. Bauhin*, Med Doct. Anat. & Bot Prof II.
1651. *Felix Plater*, Med. Doct. Phyſ. Prof.
1652. *Joh. Buxtorff*, Th. Doct. Ling. Hebr. & Locc. Comm. Th. Prof. II.
1653. *Luc. Burcard*, J. V. D. Cod. Prof.
1654. *Eman. Stupanus*, Med. Doct. Theor. Prof. III.
1655. *Petr. Falckeiſen*, Med. Doct. Rhet. Prof.
1656. *J. Rod. Wettſtein*, Th. Doct. N. T. Prof.
1657. *Jac. Brandmuller*, J. V. D. Inſtit. Prof.
1658. *J. Jac. a Brunn*, Med. Doct. Pract. Prof. III.
1659. *Luc. Gernler*, Th. D. Antiſt. Locc. Comm. & Controv. Th. Prof.
1660. *Remig. Faeſch*, J. V. D. Pand. Prof. III.
1661. *J. Caſp. Bauhin*, Med. Doct. Pract. Prof. III.
1662. *Joh. Buxtorff*, Th. Doct. V. T. & L. H. Prof. III.
1663. *Luc. Burcard*, J. V. D. Cod. Prof. II.
1664. *J. Caſp. Bauhin*, Med. Doct. Pract Prof. IV.
1665. *J. Frid. Burcard*, J. V. D. Orat Prof.
1666. *Joh. Zuinger*, Th. D. Controv. Th. Prof.
1667. *J. Rod. Burcard*, Med. Doct. Anat. Prof.
1668. *Sim. Battier*, J. V. D. Rhet. Prof.
1669. *J. Rod. Wettſtein*, Th. Doct. N. T. Prof. II.
1670. *Jac. Brandmuller*, J. V. D. Pand. Prof. II.
1671. *J. Henr. Glaſer*, Med. D. Anat. Prof
1672. *Chriſtoph. Faeſch*, J. V. D. Hiſt. Prof.
1673. *Luc. Gernler*, Th. D. V. T. Prof. & Antiſt. II.
1674. *Nic. Paſſavant*, J. V. D Inſtit Prof.
1675. *J. Caſp. Bauhin*, Med. D. Pract. Prof. V.
1676. *Jac. Rüdin*, A. L. M. Rhet Prof.
1677. *Petr. Werenfels*, Th. D. Locc. C. Prof. & Ant.
1678. *Luc. Burcard*, J. V. D. Cod. Prof. III.
1679. *J. Rod. Burcard*, Med. D. Theor. Prof. II.
1680. *J. Jac. Buxtorff*, A. L. M. Ling. Hebr. Prof.

1681. *Joh. Zuinger*, Th. D. V. T. Prof. II.
1682. *Nic. Paſſavant*, J. V. D. Pand. Prof. II.
1683. *Jac. Rot*, Med. Doct. Anat. Prof.
1684. *J. Jac. Harder*, Med D. Rhet. Prof.
1685. *Petr. Werenfels*, Th. D. V. T. Prof. Ant. II.
1686. *Sebaſt. Faeſch*, J. V. D. Inſt. Prof.
1687. *Nic Eglinger*, Med. D. Theor. Prof.
1688. *Bonif. Faeſch*, J. V. D. Ethic. Prof.
1689. *J. Rod. Wettſtein*, fil. Theol. Doct. Locc. Comm. Th. Prof.
1690. *Luc. Burcard*, J. V. D. ac Prof. emeritus, IV.
1691. *Jac. Rot*, Med. D. & Pract. Prof. II.
1692. *Joh. Wettſtein*, J V. D. Ling. Gr. Prof.
1693. *Joh. Zuinger*, Th. Doct. N. T. Prof. III.
1694. *Sebaſt. Faeſch*, J. V. D. Cod. Prof. II.
1695. *J. Jac. Harder*, Med. Doct. Anat. Prof. II.
1696. *J. Jac. Buxtorff*, Ling. Hebr. Prof. II.
1697. *Petr. Werenfels*, Th. D. N. T. Prof. Antiſt. III.
1698. *Jac. Burcard*, J. V. D. Pand. Prof.
1699. *Nic. Eglinger*, Med. Doct. Theor. Prof. II.
1700. *Jac. Bernoulli*, Math. Prof.
1701. *J. Rod. Wettſtein*, Th. Doct. V. T. Prof. II.
1702. *Bonif. Faeſch*, J. U. D. Inſt. Prof. II.
1703. *J. Jac. Harder*, Med. Doct. Theor. Prof. Comes Palat. III.
1704. *Theod. Zuinger*, Med. Doct. Anat. Prof.
1705. *Sam. Werenfels*, Th. Doct. V. T. Prof.
1706. *Sebaſt. Faeſch*, J. V. D. Cod. Prof III. ipſi ad munus Archigrammatei provecto ſuffectus Jac. Burcard, Pand. Prof II.
1707. *Nic. Eglinger*, Med. D. Pract. Prof. Archiater. III.
1708. *J. Jac. Battier*, J. V. D. Inſt. Prof.
1709. *J. Rod. Wettſtein*, Th. Doct. N. T. Prof. III.
1710. *Bonif. Faeſch*, J. V. D. Cod. Prof. III.
1711. *Theod. Zuinger*, Med. Doct. Pract. Prof. II.
1712. *Eman. Zaeslin*, Med. Doct. Rhet. Prof.
1713. *Hier. Burcard*, Th. Doct. V. T. Prof. Antiſt.
1714. *J. Jac. Battier*, J. V. D. Cod. Prof. II.
1715. *Joh. Rod. Beck*, Med. Doct. Phyſ. Prof.
1716. *Joh. Bernoulli*, Med. Doct. Matheſ. Prof.
1717. *Jac. Chriſtoph. Iſelin*, Th. D. Controv. Th. Prof.
1718. *J. Jac. Battier*, J. V. D. Cod. Prof. III.
1719. *J. Henr. Staehelin*, Med. Doct Anat. Prof.
1720. *Joh. Buxtorff*, Ling. Hebr. Prof.
1721. *Nic. Harſcher*, Med. Doct. Orat. Prof.
1722. *Sam. Werenfels*, Th. Doct. N. T. Prof. II.

1723. *Sam.*

Digitized by Google

1723. *Sam. Battier*, Med. Doct. Linguæ Gr. Prof.
1724. *J. Rod. Beck*, Med. Doct. Phyſ. Prof. II.
1725. *Hier. Burcard*, Th. D. V. T. Prof. Ant. II.
1726. *Eman. Zaeslin*, Med. Doct. Ethic. Prof. II.
1727. *J. Rod. a Waldkirch*, J. V. D. Inſtit. Prof.
1728. *J. Rod. Mieg*, Med. D. Anat. Prof.
1729. *J. Rod. Zuinger*, Med. Doct. Pract. Prof.
1730. *Hier. Burcard*, Theol. D. V. T. Prof. Ant. III.
1731. *Joh. Toniola*, J. V. D. Pand. Prof.
1732. *Chriſtoph. Eglinger*, Med. Doct. Rhet. Prof.
1733. *Nic. Harſcher*, Med. Doct. Orat. Prof. II.
1734. *Eman. Kœnig*, Med. Doct. Theor. Prof.
1735. *Jac. Chriſtoph. Iſelin*, Theol. Doct. Controv. Theol. Prof. II.
1736. *Bened. Staehelin*, Med. Doct. Phyſ. Prof.
1737. *Petr. Rybiner*, Log. Prof.
1738. *Nicol. Bernoulli*, J. V. D. Cod. Prof.
1739. *Nicol. Bernoulli*, J. V. D. Cod. Prof. II.
1740. *J. Rod. Zuinger*, Med. Doct. Pract. Prof. II.
1741. *Joh. Bernoulli*, Med. Doct. Math. Prof. II.
1742. *Joh. Grynæus*, Theol. D. N. T. Prof.
1743. *Nic. Bernoulli*, J. V. D. Cod. Prof. III.
1744. *Dan. Bernoulli*, Med. D. Anat. Prof.
1745. *Andr. Weiſs*, J. V. D. Ethic. Prof.
1746. *J. Balth. Burcard*, Theol. Doct. N. T. Prof.
1747. *Nic. Bernoulli*, J. V. D. Cod. Prof. IV.
1748. *Eman. Kanig*, Med. Doct. Theor. Prof. II.
1749. *Jerem. Raillard*, J. V. D. Rhet. Prof.
1750. *Jac. Chriſtoph. Beck*, Theol. Doct. Locc. Comm. Th. Prof.
1751. *J. Rod. Thurneiſen*, J. V. D. Pand. Prof.
1752. *J. Rod. Zuinger*, Med. Doct. Pract. Prof. III.
1753. *Petr. Rybiner*, Log. Prof. II.
1754. *J. Balth. Burcard*, Th. Doct. N. T. Prof. II.
1755. *Nic. Bernoulli*, J. V. D. Cod. Prof. V.
1756. *Dan. Bernoulli*, Med. Doct. Phyſ. Prof. II.
1757. *Jer. Raillard*, J. V. Doct. Rhet. Prof. II.
1758. *Jac. Chriſt. Beck*, Th. Dr. Contr. Th. Prof. II.
1759. *J. Rod. Thurneiſen*, J. V. D. Pand. Prof. II.
1760. *Frid. Zuinger*, Med. Doct. Theor. Prof.
1761. *Jac. Chriſtoph. Ramſpeck*, Med. Doct. Eloq. Prof.
1762. *Eman. Rybiner*, Th. Doct. Locc. C. Th. Prof.
1763. *J. Rod. Iſelin*, J. V. D. Inſt. Prof.
1764. *J. Rod. Staehelin*, Med. Doct. Anat. Prof.
1765. *Joh. Bernoulli*, J. V. D. Math. Prof.
1766. *Jac. Chriſt. Beck*, Theol. Doct. V. T. Prof. III.

1767. *Joh.*

Digitized by Google

1767. *J. Henr. Falckner*, J. V. D. Cod. Prof. Reip. Synd.
1768. *Frid. Zuinger* Med. Doct. Theor. Prof. II.
1769. *Jac. Basler*, Ling. Hebr. Prof.
1770. *J. Werner. Herzog*, Th. Doct. Locc. C. Th. Prof.
1771. *J. Rod. Thurneiſen*, J. V. D. Pand. Prof. R. Synd. III.
1772. *J. Rod. Staehelin*, Med. Doct. Anat Prof. II.
1773. *J. Henr. Rybiner*, Med D. Ethic. Prof.
1774. *J. Balth. Burcard*, Th. Doct. N. T. Prof. III.
1775. *J. Henr. Falckner*, J. V. D. Cod. Prof. Reip. Synd. II.
1776. *Jac. Meyer*, Hiſtor. Prof.
1777. *Jac Chriſt. Beck*, Th. D. V. T. Prof. IV.
1778. *J. Henr. David*, J. V. D. Pand. Prof.

CATALO-

Digitized by Google

CATALOGUS PROFESSORUM ALPHABETICUS.

Acronius Joh. p. 334. 412
Aerimontanus Severinus. 279
Afinius Joh. 283
Amerbach Bonif. 111
——— Basil. 114. 132
Andlo (de) Petr. 100
Annone (de) Joh. Jac. 330
Ardisaeus Vitus. 412
Artolphus Hieron. 173. 332
Atrocianus Joh. 334

Basler Jac. 456
Battier Simon. 142. 162. 302. 435
——— J. Jac. 147. 162. 304. 323
——— Samuel. 377
——— Joh. Rod. 455
Bauhin Casp. 183. 234. 362
——— Joh. Casp. 189. 235
——— Hieron. 218. 235
——— Johann. 295
Bech Philip. 262. 335
Beck Sebast. 38. 75
—— Jac. Christoph. 64. 95. 398
—— Christoph. 321. 397
—— Joh. Rod. 343. 409
Bernoldt Georg. 101
Bernoulli Nicol. 148. 345
——— Daniel. 239. 411
——— Johan. pat. 373. 423
——— —— fil. 324. 423
——— Jacob. 418
Berus Ludov. 8
—— Oswald. 176. 206
Betuleius Xystus. 310
Bez Joh. 101
Birr Anton. 382

Bodenſtein Andr. p. 19
Borrhaus Martin. 24. 283. 312
Brand Sebaſt. 103
——— Bernh. 154
Brandmuller Jac. JC. 122. 162
——— — Theol. 270
——— Johann. 35. 443
Brieffer Nicol. 108
Brucker Joh. Henr. 398
Brunn Joh. Jac. 187. 235
Burcard Hieron. 60. 91
——— Joh. Balth. 81. 95. 306
——— Joh. Jac. 124. 144. 162
——— Lucas. 141. 162. 341
——— Joh. Rod. Med. 192. 220. 235. 414
——— — — JC. 432
——— Chriſtoph. 318
——— Jacob. 318. 434
——— Joh. Frid. 322
——— Samuel. 342
Buxtorff Joh. fil. 44. 88. 448
——— Joh. Rod. 308
——— Joh. pat. 444
——— Joh. Jac. 449
——— Joh. nep. 452

Cantiuncula Claud. 110
Capito Wolfg. Fabr. 10
Capnio Joh. 251
Caroloſtadius Andr. 19
Caſtellio Sebaſt. 354
——— Frid. 298. 300. 317. 362
Chmielecius Mart. 336. 406
Chriſt Franc. 163
Coccius Huldric. 74. 271. 280. 335
——— Samuel. 265. 272
——— Thomas. 269. 336. 431
Collibus (a) Hippol. 157
Copus Guil. 169
Creutzer Joh. 1. 247
Cridenwyſs Adam. 101
Curia (in) Gerhard. 100
Curio Cœl. Sec. 284. 312
—— Auguſtin. 294
Cynus Joh. 108

David

David Joh. Henr. p. 129
Dieck Joh. 6

Eblinger Joh. 271
Eglinger Nicol. 194. 221. 237. 409
——— Chriſtoph. 305
——— Samuel. 415
Eraſtus Thom. 427
Ertzberger Severin. 279
——— Henr. 281
Ettenheim (de) Joh. 104

Faeſch J. Jac. pat. 118. 138. 141. 159
——— Remig. 119. 139. 161
——— J. Jac. fil. 140. 161
——— Sebaſt. 144. 162
——— Bonif. 146. 162. 303. 435
——— Chriſtoph. 341. 397
Falckeiſen Petr. 301. 414
Falckner Joh. Henr. 151. 441
——— Vlric. 264
Finiger Mauric. 6
Freigius Joh. Thom. 295
Frey Joh. Lud. 61. 398
—— Joh. Thom. 295
—— Joh. Jac. 366
Fueglin Joh. 266. 294. 312. 335

Gaius Petr. 264
Gebwyler Joh. 7
Gemuſaeus Hieron. 390. 404
Gengenbach Joh. Matth. 102. 247
Gernler Luc. 48. 89
—— Joh. Henr. 401
Geyler Joh. 3
Glareanus Henr. 247. 411
Glaſer J. Henr. 235. 371
Gottesheim (de) Jac. 108
Graf Joh. Luc. 301
Gratarolus Guil. 174
Grieb Wilhelm. 105
Groſs Joh. Georg. 83
Grüningen (de) Joh. 2

Digitized by Google

Grutſch Joh. p. 100
Grynaeus J. Jac. 29. 75
——— Simon, Theol. 69. 349. 392
——— —— Med. 425
——— Joh. 79. 95
——— Samuel. 115. 136. 157. 312
——— Thom. 261. 280
Guarletis (de) Frid. 101
Gut Joh. 117. 137. 159

Hagenbach J. Jac. 339. 434
Harder J. Jac. 221. 237. 303. 409
Harſcher Matthias. 329. 434
——— Nicol. 323
Helius Joh. Beat. 316. 335
Helmich Joh. 99
Helmut Andr. 103
Henric Petri Adamus 333. 157
——— —— Jac. 298
Hermann Jac. 436
Hermogenes Jac. 283
Hervagius Caſp. 132
Herzog J. Wern. 98
Hofmann J. Jac. ſen. 139. 161. 320
——— —— iun. 371. 397
Holzach Sam. 267. 298. 362
Hopper Marc. 156. 334. 354. 404
Hoſpinianus Joh. 284. 312. 392
Hottomannus Franc. 134
Huber Mart. 132
——— Joh. 180. 404
——— J. Wern. 430
Hugkel J. Jac. 281
Hugobaldus Vlric. 265. 332. 425

Ieckelmann Henr. 365
Inſtitoris Joh. 104
Inſula (de) Melch. 159
Iſelin J. Rod. 164
—— Jac. Chriſtoph. 91. 398
—— Reinh. 434
—— Vlric. 113. 132
—— Ludov. 137. 159
Iuſtus Henr. 268. 336. 392. 431

Keller

Keller Iſac. p. 207
Kiſſelbach Henr. 496
Klett Luc. 108
Koenig Eman. pat. 223. 373. 409
——— —— fil. 227. 239
Kraft Vlric. 104

Lachenal (de) Wern. 245
Legrand Luc. 348
——— Chriſtoph. 388
Leo J. Georg. 405
Lepuſculus Sebaſt. 333. 354. 392. 443
Loritus Henr. 247. 411
Lüblerus Thom. 427
Lucius Ludov. 392
Luft (zum) Petr. 99
—— — Arnold. 106
Lupabus (de) Gerh. 105
Luttwang Auguſt. 107
Lycoſthenes Conr. 256. 271. 334

Mader Theoph. 426
Maner Caſp. 1
Mangold J. Georg. 304
Megerlin Petr. 417
Merian Matthaeus. 388
Meyer Wolfg. 85
—— Matthaeus. 264. 272. 283. 362
—— Jac. 402
Mieg J. Rod. 226. 239
—— Achill. 204
Moernach Joh. 107
Morſianus Chriſtian. 411
Müllenberg Adam. 106
Müller Matthaeus. 100
——— Theobald. 268
Münſter Sebaſt. 22. 442
Mutius Vlric. 265. 332. 425
Myconius Oſwald. 67

Niſaeus Joh. 266. 294
Noldt Henr. 2

Digitized by Google

Obermeyer German. p. 413
Oecolampadius Joh. 12
Oeglin Bernh. 102
Ondorp Andr. 168
Oporinus Joh. 349

Pantaleon Henr. 258. 271 — 294. 404
Paracelsus Theophr. 170
Passavant Nicol. 124. 162
Pellicanus Conr. 17. 442
Peyer Mart. 132
Pfister Joh. Conr. 300
Phrygio Paul. Const. 18
Picellius Petrus. 412
Pieraeus / Pitrellius } Petr. 130
Pizellius Petr. 412
Plater Felix sen. 181
—— Thomas fil. 187. 235
—— —— pat. 272
—— Felix iun. 338. 406
Polanus Amand. 37
Prallus Vincent. 317

Raillard Jerem. 307
Ramspeck Jac. Christoph. 327. 423
Reuchlin Joh. 251
Rich Arnold. 102
Richil Andr. 167
Riedtmuller Henr. 3
Ritter Israël. 443
Roth Jac. 193. 221. 237
Rudin Jac. 302. 435
Ryff Petr. 412
Ryhiner Eman. 95
——— Petr. 346
——— J. Henr. 441

Sambucellus Matthias. 9
Sattler Wolfg. 431
Scherb Philip. 211. 335. 430
Schilling Christoph. 280
Schmidt Frid. Sam. 457
Schreckenfuchs Erasm. Osw. 297

Sichardus

Sichardus Joh. p. 308
Silberberger Joh. 105. 168
Sinckeler Sebaſt. 180. 206
Solidus Chriſtoph. 280
Sphyractes Joh. 153
Spoerlin Georg. 433
Spreng J. Jac. 384
Staehelin J. Rod. 231. 244
——— J. Henr. 237. 323
——— Bened. 409
Steinanus Joh. 284. 312. 392
Stupanus Joh. Nicol. 215. 312. 335. 392
——— Emanuel. 217
Sulcer Simon. 26. 74. 332 442. 443
—— Albert. 267
Surgant Joh. Vlr. 102
Syber Joh. 2

Taurellus Nicol. 312. 425
Tenantius Joh. 443
Textoris Wilhelm. 1. 442
——— Joh. 107
Thorinus Alban. 206. 283
Thurneiſen J. Rod. 127. 398
Toniola Joh. 127. 148
Tunſel Joh. 105. 168

Veſalius Andr. 232
Vlricher Ladisl. 6
Vrſtiſius Chriſtian. 34. 412

Waldkirch J. Rod. 164
Wecker J. J. 263. 271
Weiolingen Hieron. 104
Weiſs Andr. 439
Wentz J. Henr. 108
Werdmuller Otto 423
Werenfels Petr. 53. 79. 89
——— Sam. 57. 79. 89. 323. 373
Wertenberg J. Frid. 337
Wettſtein J. Rod. fil. 55. 79. 89. 323. 373
——— ——— pat. 76. 89. 369. 397
——— Joh. 126. 163. 373. 435
——— J. Jac. 379

Wierz

Wierz Achill. p. 387. 458
Wild Anton. 424
Wildegk Mich. 6
Wiſſenburger Wolfg. Theol. 72. 411
———— —— JC. 431
Wittenbach Thom. 7
Woelflin Wern. 167
Wolleb Joh. Theol. 40
———— — Med. 408
———— Theod. 369
Wonnecker Joh. Roman. 168

Zaeslin Emanuel. 305. 435
Zaſius Joh. Vdalr. 130
Zenoin Hieron. 369
Zuinger Theod. Theol. 41. 76
———— Joh. 50. 79. 89. 371
———— J. Rod. Theol. 89
———— Theod. Med. iun. 196. 223. 237. 323. 409
———— J. Rod. Med. 201. 238. 345
———— Theod. Med. ſen. 208. 361. 425
———— Frider. 229. 244
———— Jacob. 362

Digitized by Google

Digitized by Google